BUONAMICI
162 A

R. BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE
DI FIRENZE

OPERE BIBLIOGRAFICHE E BIOGRAFICHE

RACCOLTE DAL

DOTT. DIOMEDE BONAMICI

di Livorno (1823-1912)

Novembre 1921.

Digitized by Google

NICOLAI COMNENI
PAPADOPOLI
HISTORIA
GYMNASII PATAVINI

Poſt ea, quæ hactenus de illo ſcripta ſunt, ad hæc noſtra tempora pleniùs, & emendatiùs deducta,

CUM

AUCTARIO

De Claris cum Profeſſoribus tum Alumnis ejuſdem.

TOMUS II.



VENETIIS, MDCCXXVI.

Apud Sebaſtianum Coleti.

SUPERIORUM VENIA, ET PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Prov. 1124

Digitized by Google

PRÆFATIO.

Contrahimus, ut licet, Operis immenſi ſpatia intra fines, quos illi præſtituimus ab initio, cumque nos undequaque maximorum Nominum premat numerus, urgeatque fama, ea tantum calamo noſtro concedimus, quorum noſſe geſta, recenſere ſcripta potuimus. Nec imus inficias, potuiſſe hæc ipſa latiùs exponi, ornari curioſiùs, atque etiam augeri, ſi non fuiſſet properandum, ne obluctari videremur obſequio debito juſſibus Excelſi Magiſtratus noſtram Operam urgentiùs exigentis. Ea data eſt intra triennium; proſecutaque prima ſui parte, quæ ad ſpeciem ac notionem Gymnaſii noſtri, Profeſſorumque ejus, quos fama nominis, & gloria Scriptorum ab obitu voluere ſuperſtites, pertinebant: in hac Secunda, quos ex Alumnis clarioribus, ejuſdem Lycæi dignitate, virtute, ſcriptiſque in ævum perennaturis potuit non mediocri labore congerere, & ingerere Poſteritati noſtrę, hos pro cujuſque merito deſcribet, ſeriſque Nepotibus noſcendos exponet: quo diſcant pari virtute ad gloriam niti, eamque ſocordiæ notam excutere, quam Italę Juventuti exteræ Gentes invidioſiùs objiciunt.

Hanc ſanè animus erat in parte aliqua noſtri Operis diluere propoſitis adversùs obtrectatores injurioſos illis, qui adhuc ſuperſtites, quam in hoc noſtro Gymnaſio Sapientiæ laurum recepere, meritis augent, dignitatibus exornant, ſcriptis doctiſſimis Immortalitati commendant. Verum deterruit nos pudor ille prudens, & moderatus, quo quiſque, dum Veritati ſervit, nec aliorum judicio ſcribit, ſed ſuo, trepidat, hæretque, ne illuſtrium Virorum officiat Nomini, cui perennem ſtudet apud poſteros plauſum conciliare: & alioqui Profeſſorum quidem, quorum virtute Gymnaſium Patavinum exultat, quadamtenus ex Operibus editis, ac nomine apud exteras Nationes gloriam expreſſimus. Horum, dum hæc prælo committimus, ordinem auget recepto virtutis eximiæ præmio Alexander Burgos, de quo actum eſt inter Metaphyſicorum interpretes, & Sacræ Eruditionis Antiſtites. Eum ad Inſulas Catanenſes auguſto judicio invictiſſimi Cæſaris Caroli VI provectum Gymnaſio noſtro nuper eripuit probata Vitę ac morum Sanctimonia, Doctrina multiplex, locupletiſſima rerum Eccleſiaſticarum, & in omni caſtigatioris Hiſtoriæ parte verſata notitia, quam ſumma ſemper frequentia coluit accurrentium diſcipulorum, admirata eſt Gymnaſii curioſitas erudita: meum pręcipue veneratum eſt Studium, quod me aſſiduum illi auditorem in hac ultima ętate libentiſſimè, jucundiſſimè, ſed & utiliſſimè præſtitit. Alumnorum verò noſtrorum viventium is clariſſimus, pręſtantiſſimus numerus eſt, omniumque patens obtutibus, ut neque percurri ex merito queat, nec niſi otioſè commemorari iis poſſit, qui illum vident, eo paſſim utuntur, ejuſdemque labore, ſedulitate, inſtitutione reguntur, curantur, excoluntúrque.

Hujus plena ſunt Patavina Doctorum Collegia, Urbiumque cæterarum illuſtriſſimi Cœtus. Huic fora plaudunt omnia, ſive Veneta, ſive quæ Itali Continentis jurgia componunt, ac dirimunt. Hic pro roſtris, ac Tribunalibus ſententias edit, vindiciaſque dicit, vel pro cujuſque jure adverſus iniquitatem, vel adverſus crimina pro publica felicitate. Nec aliunde quam ex hoc omnium ſcientiarum numero Morbi curationem accipiunt, Philoſophia Naturę ſecreta ſcrutatur, Matheſis certa theoremata colligit, Sacra Theologia Rerum divinarum difficiles extricat nodos.

Quod ſi Dignitates conſideres, nulla eſt, quam Alumni Gymnaſtici, queis vita ſupereſt, & ut ſuperſit diuturna, precamur, vel non meruerit, vel non ſit conſecuta. Ut illum prætereamus, qui Sacris Patavinis nunc præeſt, quemque ſuo loco ſalutavimus, noſtri Gymnaſii Cancellarium Jo. Franciſcum Barbadico Cardinalem, Petrus Priolus Cardinalis hìc lauream accepit, & in Theologorum ſacra Subſellia Collegio plaudente receptus eſt. Hinc Romam profectus affinis Alexandri VIII. Pontificis Maximi Virtutum pretio ſibi Purpuram comparavit, quà latè conſpicuus Sacris Bergomatibus imperat; Patriciamque ab ultima ſtirpe Familiam, & iteratis Principum Venetorum faſcibus memorabilem illuſtrat profuſiùs doctrina, religione, pietate.

Harum ſplendore ſupra cæteros enitet hac noſtra ætate Dionyſius Delphinus Aquilejenſis Patriarcha, vivę Sanctitatis exemplar, in quo venerere, quæ jamdudum Aris impoſuit in Carolo Borromæo, quæque imponere properat in Gregorio Barbadico, documenta Heroicæ Virtutis Eccleſia. Jam Auguſtus Zacco nuper Corcyrenſium dilectiſſimus Archiepiſcopus, nunc Pręſul Tarviſinus, cujus adhuc in Patavino Juriſconſultorum Collegio ſubſellium eſt, qua doctrinę, prudentiæ, gravitatis, & in ſacro munere ſolicitudinis curæque laude Poſteritati Gymnaſii noſtri prælucet? Horum agmen pari meritorum gloria claudunt Sebaſtianus Venerio Nicolai ac Hieronymi D. M. Procuratorum, ac Triumvirorum filius, & Frater, Vicentinæ Eccleſiæ præfectus, Marcus Gradonico Triumviri ac D. M. Procuratoris Hieronymi Filius, Bartholomæi D. M. Procuratoris frater, Veronenſis primùm Epiſcopus, nunc Patriarcha Venetus, Marcus Juſtinianus Triumviri & D. M. Procuratoris Filius, Hieronymi Aſcanii literarii Triumviri Frater, Altinas Antiſtes, Dominicus Condulmerius è Poſteris Eugenii IV. Pont. Max. Pharenſis Pontifex, quorum duorum nos olim emerita tempora legali ſtemmate coronavimus, Petrus de Graſſis Patricius Venetus, & in Aula Ro-

manu diu multumque magna cum laude verſatus Parentinus Epiſcopus, Viri omnes Juriſconſultiſſimi, & Gymnaſii ſuffragio ad ampliſſima munera, quæ ſanctiſſimè obeunt, officioſè deducti. His addere licet amiciſſimum nobis Caput Alumnum Patavino Lycæo memorabilem Marinum Drago, Aſcrivienſibus olim, nunc Melænæ Corcyræ Sacris Præpoſitum, Dalmaticæ Juriſprudentiæ principem, Dalmaticæ virtutis, ac ſapientiæ immortale decus, atque, abſit invidia verbis, ornamentum unum, & maximum omnium.

Sed horum laudes dabunt peculiariùs, qui poſt nos ſcribent, quemadmodum & illorum, quorum ex libris editis claret nunc nomen, clarebitque olim nunquam interiturum ab obitu. Revocabit hos fama ſuperſtes ad vitam, quam ſecundam dixere Philoſophi; exurgetque è doctis exuviis vis illa, quæ probet, priſcorum gloriam in poſteris perennare. Nam quis hoc neget lectis, quas in Græcia lux publica veneratur, Sapientiſſimi Patriarchæ Hieroſolymitani Chryſanthi doctiſſimis lucubrationibus, quæ paſſim editæ Gentem noſtram diverſiſſimis Inſtitutionibus imbuunt. Achæus Gente ex Peninſula Pelopis Familia Notara Byzantinis Imperatoribus conſanguineus, Vir tantus jam tum Archimandrites S. Sepulcri, ac Sedis Hieroſolymitanæ Legatus ad Moſchos, mentem à prima ætate concreditam, ſubactamque Græcis literis, ac diſciplinis, ut exactius excoleret, huc venit, magnique renovans exempla Beſſarionis, hic me Magiſtro (glorior enim hoc nomine, quo me conſtanter vel è ſublimi, cui inſidet, ſolio tantæ Virtutis Antiſtes dignatur) hic me Magiſtro pluſquam quadriennio Gymnaſticis Albis adſcriptus latinas literas didicit, latinas artes, ſcientiaſque percurrit, imò verò hauſit, exhauſitque, atque hinc redux in Græciam exoticas ſapientiæ opes in publicam noſtræ Gentis utilitatem effudit, primùm Cæſarienſis Metropolites in Palæſtina, mox datus ſucceſſor Avunculo Patriarcha Hieroſolymitanus, ejuſque apud noſtros nominis Pontifex, ut illi Græcia tota procumbat, atque in eo veneretur rarum illud in miſera Captivitate doctrinæ decus, quod prædicant ſcripta ejus Typis publicis evulgata ſive illuſtrant Ethicas Inſtitutiones Baſilii Macedonis, ſive Geographicas Tabulas & Notiones exponunt, ſive adverſus Hæreticos Fidei Orientalis Eccleſiæ clam inſidiantes de dogmatibus theologicè diſſerunt. Eſt ergo, ut ex Alumno noſtro, quem videt, quo Sacrorum Præſide fruitur, æſtimet Græcia Gymnaſium Patavinum.

Nec aliter de hoc cenſebit Italia, ſi caſus, receſſuſque legat Hiſtorias Petri Garzonii Senatoris Ampliſſimi, quo Alumno ſuo inter ſuperſtites maximo gloriatur Lycæum noſtrum. Adoleſcens hic Patriciam indolem Philoſophis erudiendam exhibuit, hic nativam, & ingenitam Patriciæ nobilitati facundiam artibus Oratoriis inſtruxit, hic animum imbuit regalibus Juriſprudentiæ diſciplinis, quarum lauro redimitus, ingenium quod deſtinaverat Sacris, mutata toga tranſtulit ad Rempublicam, gradatimque Patriæ honores omnes emenſus, ſummus Orator ad ſummas in Auguſta Republica dignitates ſua virtute nixus evaſit: Præconſultor Senatus in Supremo Sapientiæ Collegio, eloquentia potens, conſilio prudens, odio impietatis, ac ſtudio Religionis omnibus latè conſpicuus: cui propterea non rerum dumtaxat ſuarum adminiſtrationem, ſed & famæ, & nominis arbitrium ſui Senatus commiſit, cùm ſcribendarum munus Hiſtoriarum injunxit. Quanta hoc functus ſit fide, elocutione, prudentia, facilitate, ac majeſtate ſcribendi, narrando quæ, quæ noſtra ætas grandia, diverſiſque Fortunæ vicibus obnoxia, & poſteris memoranda tulit, is ignoraverit, qui ſe ipſum ignorat. Macte his meritis, hoc nomine, hac ſapientiæ fama, Senator eximie, atque illud, uti precamur, intellige, Gymnaſium noſtrum, te olim gloriari Alumno maximo, te nunc optare Patronum privatis tuis auſpiciis beneficum.

Te quoque indictum præterire nefas Virum doctiſſimum, ac Gymnaſii noſtri amantiſſimum, Comes Foreſte Foreſte, quem jure dixerim non alumnum dumtaxat, aut hoſpitem, aut inquilinum, ſed Civem planèque domeſticum Palladis noſtræ. Sacris hujus initiatus nondum Brixienſi Nobilitate præclaram adoleſcentiam egreſſus, in ejus ampliſſimo ſinu ſcientiis omnibus feciſti conſtanter, utiliter; provectuſque ad Sacerdotium Juſtitiæ, vix dum Juriſprudentiæ laurum reportaveras, cùm in hanc, quas ab illa receperas, opes cum fœnore refudiſti: atque editis libro ſingulari Selectorum Juris enarrationum, Hypomnemmatibus ad leges Julias Publicorum Judiciorum, probaſti Doctorem te fuiſſe eam docerere. Regreſſum in Patriam hæc te ſemper apud ſe retinere non potuit. Deſiderium te Patavini Lycæi, hac tui pietati, ac Sapientiæ victurum, revocavit, demoraturque etiamnum, quò in exemplum præeas diſcipulis Vir tantus Publicarum Prælectionum auditor aſſiduus, ſolatio ſis Magiſtris, quorum eruditis laboribus adſis benigniſſimus fautor, decora Gymnaſii tui univerſim amplifices probitate vitæ, morum integritate, doctrinæ multiplicis, eloquentis, eximia copia. Hanc Poſteritas celebrabit in Epiſtola Judicio Patavino in Cauſa Pyrauſtæ appendicis loco à te adjuncta, editaque tam Patavii tum Romæ ſimul cum Actis Collegii Patavini, & Diſſertationibus habitis per Theologos Salmanticenſes atque Sorbonicos, ut inde appareat, quàm falſi ſint, qui evulgarunt judicium Patavinum de Pyrauſta à S. Congregatione rejectam fuiſſe. Celebrabit autem uberiùs perenniuſque in libris quinque Sacro Moralium Inſtitutionum, ex quibus quantus ſis in Re Sacra & Profana; quàm latinè in argumento difficili verſeris, quàm nitidè, & eleganter horridam ſeveræ Virtutis explices faciem, non noſtrum, qui te familiariſſimè utimur, ſed eorum, qui te non norunt, & ex his te unicè Commentariis doctiſſimis æſtimabunt, judicium eſto.

HISTO-

HISTORIÆ GYMNASII PATAVINI
TOMUS II.

LIBER I.

DE CLARIS ALUMNIS JURISPRUDENTIÆ PATAVINÆ.

CAPUT I.

Jacobus Joannes Stennus. Simon Paltinerius Cardinalis. Hieremias Montagnonus. Jo. Monachus Card. Gullielmus Longus Card. Albertinus Muſſatus. Cinus Piſtorienſis.

I. PRimus inter Alumnos Gymnaſii noſtri notatur in Matriculis ſive Al- 1271
bis Gymnaſticis à Porcellino (1), JACOBUS JOANNES Patavi-
nus, qui Scardeonio *Jacobus Antonius* eſt, cognomine STENNUS,
agnomine *Malitia*; quique quamvis, ante conſtitutum Gymnaſium
Patavii, bonis artibus, ac præſertim Juriſprudentiæ operam dederit,
attamen jure illi tribuitur, ad cujus crepundia pertinet, cuique om-
nino præluſit. Is genere nobilis, Juriſconſultus (2) fuit ſæculo XIII.
clariſſimus, & in universâ Italiâ Orator egregius. Malitia dictus eſt, ſive, ut quibuſ-
dam placuit, quòd aſtubus, ac verſutiis, quarum uſus eſt apud patronos cauſarum,
in tuendis clientibus, plus nimio, atque etiam feliciter uteretur, vel potiùs, ut Pan-
cirolus (3) exiſtimat poſt Scardeonium, quod Malitiam in agro Vicentino villam,
uxoris dotem habuerit, poſſederitque, ac in poſteros eodem uſuros agnomine tranſ-
miſerit. Extat monumentum Stennæ familiæ ad D. Auguſtini cum aliis ad ſæculum
XIII. pertinentibus extra januam templi. An in patria docuerit incertum eſt, nec vi-
detur veriſimile, cum nulla nominis hujus memoria ſuperſit in re gymnaſticâ. Hoc
certum, enim diu extra Patavium vixiſſe, ac fuiſſe familiariſſimum Gullielmi Duranti,
qui vulgò à Juriſperitis Speculator dicitur. Tradunt enim ei à Gullielmo fuiſſe deman-
datum, ut Opus illud aureum, quod ſpeculum appellamus, emendaret cum aliis, ex
quibus Durantus claret inter Jureconſultos, celebraturque a Pancirolo (4). Eundem
Gullielmum Stennus ſecutus, tum in Flaminiâ, tum in Quæſtura ſub Martino IV. tum
etiam provectum ad inſulas Mimatenſes, & unum ex Patribus in Synodo Viennenſi
ſub Clemente V. admodum amicum juvit; ejuſque & judicia, & opera, & conſilia ex
arbitrio moderatus eſt. Obiit in patria ſenex, poſt quam Durantus Legatus Romani
Pontificis ad ſacrum bellum profectus, Leucoſiæ, quæ Nicoſia eſt, deceſſit in Cypro
an. MCCLXXI.

II. SIMON PALTINERIUS Cardinalis, ex iis, quæ congerit Salomonius (5), ex 1276
Lignamineo, quibus præluxit Porcellinus (6), diu ſtuduit Patavii, poſtquam ex tra-
ditis ſuo loco jura gymnaſii Bononienſis huc translata fuit à Friderico II. Natus eſt in
oppido agri Patavini Acello, quod vulgò Montem Silicem dicimus. Si credimus Scar-
deonio (7), claruerit adeo apud nos, ut hinc accitum Lucius III. Pont. Max. inter
Purpuratos Patres adlegerit: ipſe grati animi cauſa inſignia familiæ ſuæ, quæ cycnum
præſeferebant, mutaverit, ut deinceps lucium piſcem objicerent, eumque Cardinalem

 piſcem

(1) in Miſcell. Salom. ad Inſcript. Gymn. (2) Scardeon. lib. 2. Claſs 8. p. 162. (3) de Clar. Interp. lib. 3. c. 14. p. 330. 331.
(4) loc. cit. (5) Inſcrip. Gym. in Miſcell. (6) in Matric. not. ſub init. (7) lib. 2. Claſs. 6 p. 127.

Piſcem nominarent. Quæ omnia ex vulgari traditione collecta, meræ ſunt fabulæ. Certiora damus ex Panuino (1), & Oldoino (2). Satis imbutus Juriſprudentiæ ſeverioribus inſtitutis diu verſatus eſt in aulâ Pontificum, in quâ virtute ac ſapientiâ clarus ab Urbano IV. Presbyter Cardinalis SS. Silveſtri & Martini tit. Æquitii renunciatus eſt an. MCCLXI., quo ipſo anno cum ad eundem Pontificem criminationes quædam adversùs ipſum delatæ fuiſſent, reus factus eſt, illique vetitum, ne, pendente accuſatione inſignibus dignitatis uteretur, neu Purpuratorum conſiliis, actibuſque ſeſe immiſceret. Sed enim non diu poſt, dilutis obtritiſque criminibus, vir innocens ab omni obſervatione judiciorum ſolutus, non ſolum famæ, gloriæque priſtinæ reſtitutus eſt, verùm etiam ad graviſſima negotia paſſim adhibitus Urbani juſſu Legationes in Umbria, Piceno, Etruria, Venetiis, & in Galliâ Ciſalpinâ ſanctiſſimè obiit, familiariſſimus, & Urbano ipſi, & ejus ſucceſſori Clementi, quorum partes, ac jura tutatus eſt diligenter adversùs Manfredum tyrannum Siciliæ. Interfuit inaugurationi quatuor ſummorum Pontificum, Gregorii X., Innocentii V., Adriani V., & Joannis XXI. Vivere deſiit an. MCCLXXVI. Meminere Monachus Patavinus (3), Theodoricus Niemus (4), quos producit Oldoinus (5), ut Panuinum refellat, ratum Simonem Presbyterum SS. Silveſtri, & Martini ab Urbano IV. provectum ad purpuram Gallum fuiſſe.

1300 III. HIEREMIAS MONTAGNONUS Judex Patavinus, notus nobis eſt ex uno Scardeonio (*6*): nam de eo cæteri ſilent, nec ejus mentio ulla eſt apud Porcellinum. Fuiſſe dicitur excellens Juriſconſultus, & ob id judex appellatus, quippe judicis nomen apud Patavinos priſcos non aliud à juriſperito, ſeu juris utriuſque doctore ſignificaſſe. Moralem Philoſophiam adjunxerit legum ſcientiæ, atque ex ea mereatur claris alumnis noſtri Gymnaſii annumerari, cum enim nihil ab eo ſcriptum in jure, quod nobis notum ſit, extet, extat editus liber perutilis inſcriptus, *Epitome Sapientiæ*. Continet excerpta, collectaque, ac in capita operosè digeſta, quæ ex pluribus excerpſit ſcriptoribus, dicta, exempla, ratiocinia ad rem Moralem pertinentia. Deceſſit in patria an. MCCC. Extat ejus ingenti mole ſepulcrum in cæmeterio antiquo baſilicæ Antonianæ, inſcriptum tamen Dorelli nomine, filii quondam nobilis viri Hieremiæ de Montagnone.

1313 IV. JOANNEM Cardinalem familiâ, non inſtituto MONACHUM dictum, alii apud ſuos in Gallia bonis artibus imbutum juris utriuſque laurum ibi retuliſſe tradunt, alii cenſent Romæ educatum, & literarum inſignibus exornatum. Refert utroſque Oldoinus (7). Nos illum accenſemus alumnis Gymnaſii noſtri ex notulis Porcellini (8), & collectaneis Salomonii (*9*), quibus adſtipulantur Provincialium matriculæ, in quibus Juriſconſultus jam tum clarus inter diſcipulos notatur an. MCCLXXIII. Natus eſt in pago Creſſiaco Ambianenſis diœceſis, quæ ad Galliæ Belgicæ provinciam nunc Piccardiam pertinet. In jure Pontificio verſatiſſimum ferunt maximi habitum Romæ, atque ex ea doctrinæ famâ notum fuiſſe Carolo II. Siciliæ utriuſque Regi, apud quem uſque adeo gratiâ valuit, ut ejus precibus Cœleſtinus V. eum collegio Cardinalium adſcripſerit an. MCCXCIV. Neapoli, quâ in urbe, unus è ſuffragatoribus pro Bonifacio VIII. fuit, eâque deinceps apud illum familiaritate, quâ factum, ut ad Philippum Pulcrum Gallorum Regem pro graviſſimis rebus miſſus ſit. In illa Legatione, cùm, quæ multa peccabantur in Galliâ, caſtigaſſet, Regem ipſum, quòd juſſis Bonifacii parere detrectaſſet, ejuſdem Pontificis mandato, non eſt veritus Chriſtianorum conſortio ſacro prohibere, interpoſito propalam anathemate. Quamobrem in cuſtodiam datus, detruſo in carcerem tabellario, qui literas Bonifacii detulerat, cùm fortiter, & animo prorsùs invicto Pontificis auctoritatem fuiſſet tutatus, è Gallia pulſus eſt. Rebus deinde poſt obitum Bonifacii compoſitis, præfuit eccleſiæ Meldenſi: quâ tamen abdicavit ſe poſtremis vitæ temporibus, poſtquam ampliſſimum collegium erexit, ac dotavit Pariſiis in ſuburbio S. Victoris, quod etiamnum à Cardinali Monacho appellatur: pateatque ſolis Theologis ex ultimâ voluntate conditoris, qui legatus Avenionenſis Avenione obiit ſub Clemente V. an. MCCCXIII. corpus delatum Lutetiam in æde collegii ab illo extructi, jacet ſub hac epigraphe.

Hic jacet Dominus Joannes
Monachus, Ambianenſis Diœceſis,
Tituli Sanctorum

Marcel-

(1) in Ind. Card. S. R. E. (2) ad Ciaccon. T. 2. p. 158. (3) in Chron. (4) Vit. Urbani IV.
(5) ibid. (6) lib. 2. Claſſ. 10. p. 235. (7) in Ciaccon. T. 2. p. 187. (8) Not. ad Matric.
(9) Inſcript. Gymn.

Marcellini, & Petri
Presbyter Card.
Qui obiit Avenione An. Dom. MCCCXIII.
Die XXII. Menſis Auguſti,
Sepultus fuit hìc prima die
Menſis Octobris eodem Anno
Orate pro eo.

Scripſit *Commentarias in Sextum Decretalium Bonifacii VIII.*, & alia quædam in jure Canonico.

V. GUGLIELMUS LONGUS Cardinalis, Bergomi natus nobili genere, quod Ciac- 1319
conio eſt de *Longa Spatha*, Leandro, *de Alexandris*, quibus favet Calvus (1), ex pri-
mis fuit alumnis Patavini Gymnaſii, ut notat Porcellinus (2), quem Salomonius exſcri-
bit (3). Exacto ſtudiorum tyrocinio in jure doctor ad curiam Neapolitanam vix ætate
major profectus eſt, ubi ex virtute, doctrinâ, ſed maximè ex præclarâ, & floridâ, &
ad omnem oris, & corporis venuſtatem compoſitâ juventute commendatus Carolo II.
utriuſque Siciliæ Regi, receptus in curiam eſt, in quâ deinde Cancellarii, ſeu Scribæ
Regii munere ſunctus eſt. Mox etiam, Rege eodem petente, ad Sacram Purpuram ve-
nit, relatus in Senatorium Eccleſiæ ordinem à Cœleſtino V. Neapoli an. MCCXCIV.
dictuſque Diaconus Card. S. Nicolai in Carcere Tulliano. Interfuit comitiis Bonifacii
VIII. Clementis V., & Joannis XXII. Stetit porrò cum aliis viris doctiſſimis pro Bo-
nifacio in Concilio Viennenſi, ejuſque cauſam defendit acerrimè edito ſcripto in jure
Canonico. Nempe vir doctus, nec minus vitæ integritate, quàm juſtitiæ, ac pietatis
tenax admodum quoque dabat virtuti grati animi erga Pontificem, apud quem polluit
auctoritate ſingulari, quoque mandante, difficillimas legationes obierat; ex quibus, &
aliis Sacerdotiis, quæ illi pinguia Caroli II. munificentia contulerat, dives, ſacros
cenſus ad cultum pietatis vertit, erectis, dotatiſque cœnobiis, noſocomiis, ſacellis, ac
templis reſtauratis, quorum nomina leges apud Calvum (4), recenſenturque apud Ol-
doinum ex Elogio prolixo (5), quod etiamnum legitur Bergomi, in ſacello S. Nicolai
ad ædes Minorum ſacras, ubi marmoreo tumulo contectæ jacent ejus exuviæ Avenione
translatæ: qua in urbe obiit ſub Joanne XXII. an. MCCCXIX. V. Idus Aprilis.

VI. ALBERTINUM MUSSATUM, & Alumnum Gymnaſii noſtri, & ejuſdem im- 1329
mortale decus aſſerere fas eſt: quippe qui, & conſtituto jam patriæ lycæo floruit, &
in eo diſciplinarum omnium ornamentis capacem animum inſtruxit, eidemque facem
prætulit, quâ humanitatem, & elegantiam, excuſsâ barbarie videret, amaret, ſibique
nexu familiaritatis perpetuò duraturæ conciliaret. Is nobiliſſimâ (6) Muſſorum familiâ,
quæ à poſteris Muſſata dicta eſt, Patavii natus, à primâ ætate optimis in patria di-
ſciplinarum inſtitutis imbutus, præ reliquis Muſas, & Suadam amavit; atque ita in il-
lis purgandis, in hac ditandâ ornandaque verſatus eſt, ut ex utrâque civium præci-
puus, ac penè non Miniſtrorum princeps re, factoque habitus ſit. Præturam geſſit
Florentiæ, ac Lendenariæ, ex quo, ſi taceant monumenta Gymnaſtica, colliges eum
Juriſconſultum fuiſſe, ac legum inſignibus ornatum Patavii. Variis deinde Legationi-
bus pro Republicâ Patavina functus eſt, ad Henricum VII. Cæſarem, cujus iras ad-
versùs Cives ſuos nullis aut promiſſis, aut muneribus expugnabiles placidâ, jucundâque
oratione, ac verborum mirabili lenocinio pacavit; Mox pactis conventis pacem uti-
liſſimam inter Canem Scaligerum, & Patavinos ſanxit; miſſuſque ad Romanum Ponti-
ficem, eâ apud illum gratiâ valuit, ut Gualpertino fratri ditiſſimum S. Juſtinæ ſacerdo-
tium obtinuerit. Hinc porro Albertino infortunia, & ærumnæ, quamvis jampridem
gloriâ doctrinæ clariſſimo, & ex laude Poeſeos totâ prorsùs Europa notiſſimo. Quip-
pe jam antea in conſpectu totius Lycæi Patavini, coram Profeſſoribus omnibus, &
universâ Civitate à Pagano Turriano Antiſtite Patavino, & Alberto Saxoniæ Duce
Gymnaſiarcha, Poeta fuerat coronatus, interpoſito ſuffragiis omnium decreto, ut ex
Muſſo, Muſaptus appellaretur, quaſi Muſis aptus, quo cognomine deinde Muſſatos
Riccobonus dignatur communiter, quamvis ab ipſis negligatur, retento titulo Muſſa-
torum, quod vetuſtius, nobiliuſque, & ab ultima ſtirpe gentis deductum reipſa glo-
rioſius eſt. Eodem decreto additum, ut quotannis deinceps, die Chriſti ſervatoris na-
tali collegiorum Doctores cum turba gymnaſtica, ſolemni pompâ, præcinentibus tubis,
ædes

(1) Scen. literar. P. 1. p. 303. (2) not. in Matric. (3) ibid. (4) ibid. p. 305.
(5) ibid. T. 2. p. 294. (6) Scard. lib. 2. Claſ. 10. p. 229. 230.

ædes Poetæ coronati, ſitas in vico Cunei ad Molarem pontem adirent, eamque cereis, quaſi honorario quodam tributo, anniverſariis honorarent. Stetit mos hic ad an. MCCCXVIII., forte etiam ad ſequens decennium, quo tanti viri gloriam fortuna deſeruit, ac penè non familiam, quantumvis ex Albertino penitus innocentem, obruere conata eſt. Cùm enim, ipſo apud Canem Scaligerum abſente Veronæ, rerumque, quæ Patavii agebantur, ignaro, nothi filii Gualpertini Abbatis, cum Vitaliano Albertini filio, Pauli Dentis partes adversùs Carrarienſes fuiſſent ſecuti, illis victis fugatiſque, Albertinus Carrarienſibus inviſus exceſſit à patria ſponte, & Clodiæ injuſſum ſibi, & inconctum exilium fecit ad obitum uſque, qui contigit pridie Kal. Junii MCCCXXIX. Reportatus Patavium conditus eſt in templo D. Juſtinæ cum epitaphio, quod cum jampridem perierit, hìc damus ex Blondo (1), & Scardeonio.

Condita Trojugenis poſt diruta Pergama tellus
In mare fert Patavas undè Timavus aquas,
Hunc genuit Vatem: tragica qui voce Tyranni
Edidit Archilochis impia geſta modis.
Præbuit ætati Vitæ monumenta futuræ,
Ut ſit ab externis cautior illa malis.

Memoratur Albertinus à Petrarcha (2), à Vergerio ſeniore, & ab omnibus rerum Patavinarum Scriptoribus (3). Scripſit multa, quæ Scardeonius recenſet: nobis hæc nota ſunt.

Hiſtoria de rebus Geſtis Henrici VI Cæſaris pedeſtri ſtylo.
Tragædia jambico carmine de Tyrannide Actiolini, & Alberici ejus fratris.
Carmen Heroicum de Bello Populi Patavini adverſus Canem Scaligerum.
Hiſtoria de Tyrannide Actiolini.
Dialogi de lite inter Naturam, & Fortunam. Hos edidit in Exilio Clodiano, quare ferociùs in illis mordentur Carrarienſes.
Liber de rebus ſui temporis, & ſuis.

Ingentem in carminibus ſpiritum laudabis, tumidum tamen: at ſtylus in iis non ita elegans eſt, & latinus, ut barbariem penitùs deterſiſſe videatur.

1336 VII. CYNUM PISTORIENSEM, *Sigisbaldum* aliis, aliis *Smibaldum* Scriptores Patavini, quos certè Panciroluſ non legerat, Porcellinus (4), & Pignorius (5), & ex his Salomonius (6) conſtanter Patavii operam dediſſe Juriſprudentiæ profitentur, doctore Riccardo Malumbra, & Jacobo ab Arenâ: addunt, ad examinis diſcrimen adductum excidiſſe laborum præmio, reprobatumque ſeceſſiſſe Bononiam, aliiſque præceptoribus uſum, quod fuerat Patavii paſſus dedecus redemiſſe, in eamque mox nominis famam evaſiſſe, ut ritè ab omnibus inter ſummates Juriſconſultos ſui temporis par omnibus, ni etiam major audierit. Reipſa cùm ex albis Gymnaſticis certum ſit Cynum ſtuduiſſe Patavii, cavet hoc ipſum Cynus cum de doctoribus, ac magiſtris ſuis ſcribit, rationemque ſtudiorum ſuorum poſteris reddit, nec aliunde ſe Juriſperitum produiſſe ſignat, quàm ex Bononienſi Gymnaſio. Paſſim enim auſpicia doctrinæ ſuæ refert ad Dinum (7) Mugellanum, quem ſæpè præceptorem ſuum reverendiſſimum appellat: uſus eſt aliis quoque inſtitutoribus Franciſco Accurſii, Lambertino Rampono, & Martino Sylimani, à quo (8), ubi in re uſuſfructus ad trutinam examinis revocatus eſt, inſignia recepit Bononiæ. Jam doctor Ludovico Allobrogi Romæ Senatorem agenti (9) aſſedit, deinde circa an. MCCC. Codicem profeſſus eſt Bononiæ, & in Pandectas aliqua ſcripſit, ex quibus clarior, ad Peruſinum Gymnaſium, quod olim Petrus (10) Capocius Romanus Cardinalis erexerat, accerſitus, ibi inter Auditores plurimos Bartolum diſcipulum habuit circa an. MCCCXXIII. Gloriabaturque Bartholus hoc magiſtro, atque ex hujus prælectionibus ingenium ſuum fuiſſe formatum, ſubactumque, Baldo teſte (11), dictitabat. Scripſit luculenter, & accuratè quæcunque ſcripſit, ſed iis dumtaxat utilia, qui in hoc legum Civilium ſtudio jampridem quadantenus profeciſſent. Juris Canonici doctos interpretes inſectatus eſt paſſim (12). Nam hos dicit, manus extra Gazophylacium Juſtinianei theſauri habentes inter mendicantes eſſe recenſendos. Addit, eoſdem feciſſe ſibi jura pro libito: nec ex re, dictatiſque juris, ſed pro commodo

(1) apud Scard. ibid. (2) lib. 4. de reb. memorab. (3) de Geſt. Carrarien. in princip. (4) Præf. in not. Matric.
(5) in Eclogis rerum Pat. (6) Miſcell. Inſcript. Gym. (7) l. 1. C. de ſent. quæ pro cod. quod inter. l. 1. §. primum Cod. de rei uxor. Act. (8) in l. ult. Cod. de uſufruct. (9) Cyn. in l. 1. n. 10. Cod. qui bo. ced. poſſ.
(10) Vid. Plat. in Gregor. X. (11) in c. 1. §. ſi Vaſallus 11. ſi de feud. fuer. controv. inter domin., & agnat.
(12) Abb. in c. ult. de for. compet. & in c. ſuper literis an. de reſcriptis.

modo ſuo legibus à ſe ſancitis uti, queis caveant, ne quid moveatur contra eccleſiaſticam poteſtatem, cujus velamento ipſi in Principum juriſdictionem, invadant. Fuit attamen peramicus Joannis Andreæ Canonum interpretis celeberrimi (1), de quo diximus: delectatuſque, præter morem tunc juriſprudentiæ ſubruſticæ, muſatum deliciis, familiariſſimè uſus eſt Petrarcha, Boccacio, & Guidone Cavalcante, quorum in rhythmis Italicis pangendis gloriam imitatus, æmulatuſque, commercio, atque etiam contubernio, ac ſocietate peregrinationum delectatus dicitur. Nam eum cum his iter feciſſe Utinum ad Carnos, exceptumque fuiſſe ibi peramanter ab Archipræſule Aquilejenſi narrat Pancirolus (2), apud quem leges, quæ de ejus, & Comitum icone vulgaris traditio refert. Si Bartholo credimus (3), obierit Cynus Bononiæ, ſtumarique voluerit juxta præceptorem ſuum Dynum. Sed verius eſt ex Pancirolo, eum deceſſiſſe Piſtorii in patria, ſepultumque in templo principe. Ibi ejus mauſoleum eſt elaboratum ab Andrea Piſano ſculptore celebri, quod idem Pancirolus deſcribit, appoſitâ hac Epigraphe.

Cyno Eximio Iuris Interpreti, Bartholique Præceptori
Digniſſimo
Populus Piſtorienſis Civi ſuo B. M. Fecit
Obiit An. MCCCXXXVI.

Scripſit

Super I. Parte Digeſti Veteris uſque ad Tit. ſi de noxali cauſa, quo explicato non ultra progreſſus eſt.

Item ſuper II. Parte ad Tit. de rebus creditis.

Comment. in libros Codicis.

CAPUT II.

Albericus Roſate. Iacobus Ardizonus. Franciſcus de Aptis Card. Simon de Borſano Card. Antonius de Nateriis. Lupatus.

VIII. ALBERICUS Roſate, ſeu *Roxiate*, Tatii filius, Bergomas, antiquiſſimus juris utriuſque doctor, atque (4) clariſſimus ſæculo XIV. ſcriptor, Patavii Riccardum (5) Malumbram, & Oldradum à Ponte, viros eximios, de quibus diximus, audivit, ut annotat poſt Pancirolum (6) Calvus in Scena literaria Bergomenſium. Lauream aſſecutus foro ſe totum addixit, patronique officio ſunctus diu tum in patriâ, tum Romæ, eam ſibi famam comparavit, quâ & ignobilitatem ſui generis obruit, & ſibi nomen Practici maximi fecit (7). Româ redux in patriam ſummo in honore fuit, tantæque apud Mediolanenſes, quibus tunc Bergomates ſuberant, auctoritatis, ut huic uni præ omnibus Juriſconſultis, in rebus difficillimis expediendis (8) tribuerent. Hinc illum Joannes Novarienſis Epiſcopus, & Luchinus Vicecomites Mediolani Principes Avenionem (9) Legatum miſere ad Benedictum, non XI. ut ſcribit Freherus, ſed XII. interfuitque ibi turbulentæ diſceptationi, quam cum Pontifice habuit Ludovicus Cæſar de jure Principis. Gravibus Avenione negotiis, ad quæ miſſus fuerat, feliciter expeditis, domum rediit cum nummo aureo (10), hinc Benedicti referente iconem, inde civitatis Avenionenſis effigiem, atque eo munere contentus fuit, ut ea ferebat ſimplicitas ſæculi. In patria populi, ac Decurionum decreto lectus eſt, ut leges Municipales Bergomi recenſeret (11), emendaretque, quem ille laborem ſuſcepit, ac gnaviter exantlavit. Vertit deinde ſe ad Commentarios eruditiſſimos conſcribendos, quibus jus utrunque univerſum illuſtravit, ſibique novum titulum addidit, quo apud omnes eruditos viros obſervator (12) fidelis Antiquitatis dictus eſt. Jam ſenex anno piaculari MCCCL. Romanam cum uxore, & filiis peregrinationem religionis causâ ſuſcepit, ut veniam criminum ſuorum, adoratis Apoſtolorum exuviis, impetraret: inde regreſſus deceſſit in patria an. MCCCLIV. Sepultus eſt in ſuburbio S. Catherinæ, & ſacrario S. Nicolai apud Monachos S. Benedicti. Ejus oſſibus vetuſtis 1354

literis

(1) Cyn. in l. 28. Cod. de Pact. (2) de Clar. Interpr. lib. 2. c. 58. p. 144. 145. (3) in l. 1. n. 2. ff. de Juriſd. omn. judic. (4) V. Fulgoſ. conſ. 47. 120. 155. 175. 179. 237. (5) Alber. princ. ff. & l. 1. in princ. de novo Cod. compon. (6) de Clar. Interp. lib. 2. c. 66. à p. 152. (7) Fulgoſ. Conſ. 155. (8) Jaſon in l. 1. in princ. ff. de nov. oper. nunciat. (9) Alber. in l. 1. n. 5. Cod. de Sacroſ. Eccl. & alibi. (10) Freher. T. 2. P. 2. Sect. 4. p. 787. (11) Alber. in l. 1. Cod. de novo Cod. compon. (12) Jaſon. in l. 4. §. de verb. oblig.

Digitized by Google

literis hoc hexaſticon barbarum, & inſulſum, impoſitum legitur, tum apud Pancirolum, tum apud Calvum.

Hic jacet, in arca, Legum qui jam fuit arca.
Claret lecturis, quas fecit corpore juris
Atque aliis multis, quibus in ſcribendo refulſit.
Hic de Roxiate Albericus, gloria morum
Tempore non parvo miſeros relevare Miniſter
Virginis obſequio, prece cujus Cœlica ſumpſit.

Scripſit, *Super toto Codice libros XII., quos Collegio Bononienſi dedicavit.*
Super Digeſto Veteri libros XXIV.
Super Digeſto Novo libros XII.
Super Infortiato lib. XIV.
Super Inſtitutis lib. IV.
Super VI. Decretalium lib. I.
De Teſtibus lib. I.
De Statutis, & de Præpoſitionibus.
Super omnes partes Juris, tam Matutinas quàm Veſpertinas.
Repetition. Digeſti Novi in Tit. de Cuſtodia Reor. l. in eos.
Dictionarium Juris, tam Civilis, quàm Canonici: quod Franciſcus Decianus pluſquam mille octingentis vocibus locupletavit..
Tractat. de Accentu. De Orthographia. De Arte Oratoria.
Summam Confeſſorum librum I.
In Comœdiam Danthi. librum I.

IX. JACOBUM ARDIZONUM Veronenſem, coævum fuiſſe Albertino Roſate, ejuſ-
1354 demque condiſcipulum, conſtàt ex ipſo Alberico (1), quo teſte claruerit ſuo tempore inter principes Juriſconſultos, Ticini, ac Piſis docuerit, evocatuſque in aulam Avenionenſem, cauſas egerit ad ſacrum conſiſtorium pertinentes. Laudatur à Baldo (2) ex acumine ingenii, & inter maximos, & egregios Juriſconſultos numerandus aſſeritur. Nec aliter de illo Alvarotus (3), cujus judicio Ardizonus adeo redundans eſt, ut nihil intactum penitus in re, quam pertractat, reliquerit: adſtipulatur Mantua (4) hæc ipſa, quæ tradimus, adnotans. Annum ejus emortualem nuſquam ſignatum deprehendere licuit, quamobrem illum cum æquali Alberico hic ooſcendum poſteris noſtris proponimus. Edidit *ſummam* in uſibus Feudorum maximi ſemper habitam, habendamque.

X. FRANCISCUS Cardinalis DE APTIS Tudertinus ab Andrea Ranuccio patre
1355 Domino Poggii, Guardiæ Fermani Montis, aliorumque Oppidorum, qui diu vixit Venetiis, juſſus eſt dare operam Philoſophiæ, ac Juriſprudentiæ Patavii ſub Rayoerio Arſendo, quem æquaſſe adhuc diſcipulus ingenii ſubtilitate, & mirâ memoriâ dicitur à Diplovatacio (5), ex quo ejus notitiam hauſimus. Hinc inſignis Canonum Doctor ad Romanam curiam poſt obitum patris profectus brevi Corcyrenſes inſulas adeptus eſt, ut ex regeſto Vaticano probat Ughellus (6), quo teſte, an. MCCCXLVIII. translatus ad ſedem Cluſinam in Etruriâ, poſt biennium aſcendit ad Caſſioenſium Sacrorum regimen, nec ibi plus biennio itidem eo munere functus ab Innocentio VI. Eccleſiæ Florentioæ præfectus eſt, ut leges apud Vincentium Borghinum (7) anno MCCCLV. Poſt annum Avenionem accitum idem Innocentius in ſacrum ſenatum adlegit (8), ac purpuratis Patribus addidit. In ea dignitate claruit per annos quinque, obiitque Avenioae an. MCCCLVI. nondùm quinquagenarius. Scripſiſſe eum multa refert Ughellus: notum eſt, vulgatumque ejus opuſculum *de Quarta Canonica*, cujus meminere Baldus (9), & Abbas (10).

1381 XI. SIMONEM DE BORSANO Mediolanenſis Diœceſis, quem an. MCCCXXXIX. ab Angelo Pagliarino utriuſque Juris inſignibus exornatum, magnumque fuiſſe Canonum Doctorem, ſcribit Poreellinus (11), quemque adhuc diſcipulum terrori fuiſſe Profeſſoribus ipſis cum publicè diſceptabat, probat Lignamineus (12) ex diſticho inſcripto parietibus Gymnaſii

Burſanus pugnans Doctores implicat omnes:
Burſa an Rete eſt? Munus utrunque facit.

non alium ſanè ab eo exiſtimamus, qui aliis Boyſſanus eſt, aliis Buoſinus, Borſanius, vel de Bourſaoo aliis, & quem Theodoricus à Niem apud Oldoinum (13) Joannem pro

(1) lib. 8. ſup. Dig. nov. in præfat. (2) Conſ. 193. incipit ad evidentiam col. 2. Vol. 3. (3) in Proœm. Feud. Col. 2. (4) de Vir. Illuſt. n. 133. (5) de Clar. Juriſconſult. lib. 3. (6) T. 3. p. 641. n. 17. (7) de Epiſcop. Floren. (8) V. Oldoin. ad Ciaco. T. 1. p. 534. (9) Conſ. 134. (10) Quæſt. 37. lib. 1. (11) not. ad Matric. (12) in Inſcr. Gym. apud Salom. (13) T. 2. p. 607.

pro Simone nominat; fuitque S. R. E. Cardinalis, & clariſſimus ſæculo XIV. Jureconſultus. Nam utrunque hoc laudati Scriptores profitentur, neque eo ſæculo præter hunc Juriſconſultum clarum hujus nominis, & agnominis hiſtoria memorat. Genere Italus, domo Mediolanenſis, poſtquam doctrinæ retulit præmia, docuit in pluribus Italiæ lycæis avidiſſimè auditus, præſertim Peruſiæ: undè ob ſapientiæ famam, & vitæ integritatem à Gregorio XI. vocatus ad inſulas Mediolanenſes Gullielmo Puſterlæ ſuffectus eſt (1); mox an. MCCCLXXV. in altera Cardinalium creatione Presbyter Card. SS. Joannis, & Pauli tit. Pammachii renunciatus inter Senatores Eccleſiæ ſedit eodem Gregorio auſpice, quamvis non deſint, qui putent eum primùm quidem ab Urbano V. ab exedra ad Purpuratorum Subſellia fuiſſe translatum, deinde à Gregorio XI. ad ſedem Mediolanenſem ſubvectum, ut leges apud Ughellum (2). Utrumlibet placeat non repugnabimus. Ab obitu Gregorii Clementis VII. partes ſecutus contra Urbanum VI. ſtetit ad annum uſque MCCCLXXXI. quo devixit Nicææ in Provincia, ibidemque ſepultus eſt. De eo præter Scriptores relatos Panuinius (3), & Ciacconius, Victorellus (4), Contelorius (5), & alii. Scripſit celeberrimum Commentarium, & prolixum in VI Decretal.

XII. ANTONIUS DE NATERIIS è Monte Aniano diœceſis Patavinæ, depoſito 1393
legum tyrocinio Patavii, Doctor, claruit inter juris utriuſque, præſertim Canonici doctos Interpretes. A multis gymnaſiis expetitus, quod nos ſcimus, in unâ Ticinenſi Academia docuit, undè ad curiam Avenionenſem miſſus, inde Bellunenſis Antiſtes ab Urbano V. creatus rediit anno MCCCLXIX. Ughello hæc omnia debemus (6), quo authore Antonius Bellunenſis Eccleſiæ leges vulgò *Statuta* compilavit, vel potiùs ita recenſuit, emendavit, & in unum codicem retulit, ut etiamnum vigeant, ſerventurque. Scripſiſſe eum alia multa idem Ughellus tradit, quæ nos non vidimus. Obiit anno MCCCXCIII. ſepultuſque eſt in templo majore ritu ſolemni.

XIII. De LUPATO nobiliſſimo viro Patavino non minore Jureconſulto quàm Poe- 1399
ta, quem proinde ex utraque laude claris Alumnis annumeramus Gymnaſii noſtri, hæc habet Petrarcha ſcriptor æqualis (7): *Lupatus Patavinus fuit nuper Poetarum omnium, quos noſtra, vel patrum noſtrorum vidit ætas, facillimè princeps: niſi juris Civilis ſtudium amplexus eſſet, & novem Muſis duodecim Tabulas immiſcuiſſet. Is amici ſubita cauſa, & moras reſpuente neceſſitate, ipſo quotidiano, ac domeſtico, quo fortè inventus eſt, habitu togatus in judicium venit. Novus judex, qui tribunal impleverat, egregio viro nec aſſurrexit, nec aliquo eum honore dignatus eſt. Cœperat Lupatus amici cauſam planis verbis, ac vulgaribus agere, & illum in ſingulis verbis obluctantem urbanè admodum, ac ſuaviter convincere: indignatus judex, tanquam magnum aliquid dicturus ſit interrogavit. Scis literas? At ille, ſcis paucas, reſpondit. Riſit inſulſus judex, idiotam ratus, quòd incongruè reſpondiſſet, ſcis, pro ſcio: non arbitratus, id de ſe dictum, quòd paucas literas ſciret: & ad inceptum rediit ſermonem. Nec ineptus, ac ſtolidus judex ante ſe deluſum ſenſit, quàm diſertiſſimi viri cognoſceret, & ratione ſimul, & oratione ſe fuiſſe ſuperatum. Nomen autem abeuntis quærens ab aſtantibus didicit, Lupatum eſſe, cujus nomen ea tempeſtate, non Patavii tantum erat celebre, ſed etiam per totam Italiam inſigni gloria ferebatur.* Hæc Petrarcha, cujus ſi judicio acquieſcas, habes è Gymnaſio noſtro ſummum ſua ætate Poetam, qui tamen inſignis fuerit Jureconſultus, & equeſtri ordine ſpectatiſſimus teſte Scardeonio (8), qui nimirum ſcientia, & exiſtimatione, tam inter patronos, quàm inter patricios in curia principem locum tenuerit. Fertur autem ex nominis magnitudine, vel potiùs ex petulanti natura, quam inflabat doctrina, & nominis gloria fuiſſe plus nimio elatus, atque maledicus, adeo autem in omnem tam privatim, ac publicè obtrectandi licentiam effuſus, & improbus, ut nulli ſexui, nulli unquam ordini parceret. Refert Lignamineus acuta ſatis (9), & admodum ludicra, ſed & arrogantiſſima dicta, vernaculâ Patavinorum linguâ mores Jacobi Carrarienſis, cognomento Grandis, Patavii tunc Principis, totamque Carrarienſium familiam proſcindentia. Nec alia fuerint ab iis, ob quæ Jacobo fuit ſemper inviſus, tandem hanc ob cauſam exilio ad Clodiam damnatus patria excidit, donec amicis agentibus exoratus Jacobus eum ab exilio patriæ, ac propriis laribus poſtliminio reſtituit. Scripſiſſe eum multa credibile Scardeonio videtur, undè illi tantum nomen, tantumque gloriæ, & exiſtimationis obvenerit, neque ipſa quoidam ejus Tractatus de Poeſi, & carmine Leonino propoſita XII. Tabularum effata, fuiſſe apud Pignorium ex recenſione bibliothecæ Pignorianæ tradit Salomonius (10) poſt Tomaſinum (11) in Athenis: nobis non

(1) Oldoin. ibid. (2) T. 4. p. 252. n. 106. (3) uterque in Vita Gregor. XI. (4) in addition. ad Ciaccon. (5) in Elench. Card. (6) Tom. V. p. 163. n. 45. (7) lib. de reb. memorand. (8) lib. 2. Claſ. 10. p. 132. (9) Inſcript. Gymnaſ. (10) Inſcr. Gym. in Miſcell. (11) P. 2. p. 4.

non alia nota ſunt, quàm quæ leges inſculpta tumulo ejus ad D. Laurentii è regione ſepulcri Antenorei. Ea inſcribi juſſiſſe ſepulcro ſuo, tradunt omnes, Scardeonio præeunte (1); ſic autem ludunt.

Mors mortis morti mortem ſi morte dediſſet,
Hic foret in terris, aut integer aſtra petiſſet.
Sed quia diſſolvi fuerat ſic juncta neceſſe,
Oſſa tenet ſaxum, melior pars gaudet in eſſe.

Circa Baſim Sepulcri

Id, quod es, ante fui: quid ſim poſt funera quæris?
Quod ſum, (quidquid id eſt) tu quoque lector, eris.
Ignea pars Cœlo, cæſæ pars oſſea rupi,
Lectori ceſſit nomen inane Lupi.
Obiit Lupatus an. MCCCXCIX.

CAPUT III.

Petrus Corſinus Card. Angelus Barbadico Card. Henricus à Langenſtein. Franciſcus Lando Card. Ludovicus Romanus. Antonius Chartularius. Hugo Luſignanus Card. Nicolaus Tudiſcus Abbas Panormitanus.

1405 XIV. PETRUS CORSINUS Cardinalis, ut ipſe ſcribit (2), adoleſcens, quòd Florentiæ, ubi nobiliſſimo genere natus eſt, nullus eſſet, qui jura doceret, Piſæ autem Florentinis eſſent infenſæ, Patavium commeavit, ut Bartholum Sentinatem audiret. Nec tamen huic admodum adhæſit, ſed auditor aſſiduus Ægidii Mandelberti Cremonenſis jus Canonicum profitentis, hinc Doctor Decretorum prodiit, notaturque in priſcis diſcipulorum albis reſte Porcellino (3). Depoſito tyrocinio juris Avenionem profectus, ibi ſacri Palatii Auditor, deinde Volaterranus Epiſcopus plures obivit legationes Urbani V. juſſu, celebremque illam in primis ad Ludovicum Pannoniæ Regem, Rodulſum Auſtriæ Ducem, & Joannem Boemiæ, ac Moraviæ Marchionem pro fœdere fauciendo. Re bene geſtâ, ita ſibi Caroli IV. Cæſaris gratiam conciliavit, ut inter S. Imperii Proceres, ac Principes relatus cum poſteris fuerit; extatque ad idipſum diploma datum apud Ughellum (4). E Germania redux, atque ex his clarus, petente Petro de Albiziis Florentino Vexillifero relatus eſt in album Cardinalium ab Urbano eodem, an. MCCCLXX. Presbyter Tit. SS. Laurentii, & Damaſi. Interſuit comitiis Gregorii XI. eumque ſecutus eſt, cum Avenione ſedem retulit Romam. Poſt Urbani VI. comitia ſtetit à partibus Clementis VII. Pſeudopontificis, quocum ſe Avenionem recepit, damnatus propterea cum aliis, ac ſacro fulmine ictus ab Urbano. Deceſſit in ſchiſmate, non Florentiæ, ut habet Michael Pocciantius (5), ſed Avenione, ſepultuſque eſt apud Auguſtinianos an. MCDV. undè ejus exuviæ relatæ Florentiam, in templo principe conditæ ſunt ſub lapide ejus iconem referente, & elogio, quod legitur apud Oldoinum (6). Scripſit doctum opuſculum *de abolendo Schiſmate*, quod olim legimus; *Sermones* quoque aliquos, & nonnullorum *Pontificum Vitas*, quæ non vidimus, recenſenturque ab eodem Oldoino.

1418 XV. ANGELUS BARBADICO, claro, & patricio genere Venetiis natus, adoleſcentiam, & partem nobiliſſimæ juventutis egit in Patavino Gymnaſio, in cujus monumentis Gymnaſticis nomen ejus proponitur ab an. MCCCLXXV. ad MCCCLXXXIII., ut ex Porcellino (7) colligit Salomonius (8), quo teſte, cariſſimus fuit, & contubernalis Riccardi Com. S. Bonifacii, quem affinitate attingebat. Emenſus curriculum ſtudiorum, cùm ſe ſacræ militiæ addixiſſet, Chiſamenſis titulo renus Eccleſiæ Præſul in Creta dictus in aula Romana vixit, undè illum ad infulas Veronenſes evexit Gregorius XII. ejus avunculus an. MCDVII. Eas iniit eodem anno iis ceremoniis, quas deſcribit Bartholomæus de Oliveto (9). Anno verò ſequenti idem avunculus ejus eum vocavit ad Purpuram ſub Tit. SS. Petri, & Marcellini. Hac dignitate auctus ſe ſponte

Veronenſi

(1) ibid. p. 233. (2) lib. de Schiſmate abolendo. (3) not. in Matric. Scholar. (4) Tom. 3. in ſerie Florent. Epiſcop. (5) de Script. Florent. (6) ad Ciaccon. T. 2. p. 573. (7) not. in Matric. Schol. ad hos annos. (8) Inſcr. Gymn. ex Ligoamin. (9) in Diariis.

Veronenſi Eccleſiâ abdicavit, ſibi nefas ratus, ejus res Sacras per Vicarium adminiſtrare: Quippe fuiſſe dicitur vir ſingulari religione præditus (1), juſtitiæ ſtudioſiſſimus, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ cultor egregius. Quæ virtutes in ſereniſſima domo perennare videntur, ut conſtat ex iis, quæ alibi ſcripſimus in Gregorio venerabili Cardinali Epiſcopo Patavino, veneramurque nunc in ejus nepote Joanne Franciſco Cardinali, Veronenſi primùm, deinde Antiſtite Brixienſi, cùm hæc exſcriptori tradimus Epiſcopo Patavino, Magno noſtri Gymnaſii Cancellario. Interſuit porro Angelus Concilio Conſtantienſi, undè cum Martino V. dum in Italiam revertitur, Genuæ gravi morbo tentatus occubuit an. MCDXVIII. ætatis, ut colligere licet ex dictis, LXII.

XVI. HENRICUS A' LANGENSTEIN (2), dictus de Haſſia Germanus, avunculus Joannis Hinderbachii Epiſcopi, & Principis Tridentini, vir doctiſſimus, Theologiæ Profeſſor, & primus lycæi Vindobonenſis Rector. Fuit Parochus in Medling Auſtriæ oppido prope Vindobonam, ac Cæſaris Friderici à ſecretis. Studuit Juriſprudentiæ Patavii auditor Jacobi de Zochis, Angeli de Caſtro, Antonii de Roſellis, & Leonardi de Baziolis, quorum ſcripta extant in bibliotheca Tridentina manu Henrici ipſius exarata. Ipſe Henricus juſto Commentario Friderici Cæſaris geſta complexus eſt, atque edidit, undè illa longiore circuitu conſcripſere Æneas Silvius, & Boeclerus, vel potiùs Kulpiſius deſumpta ex codice, qui ad Epiſcopum Tridentinum Joannem pertinuit, Floruit Henricus circa an. MCDXX. Emortualis ejus annus ignoratur. 1420

XVII. FRANCISCUS LANDO Cardinalis patricius Venetus ex noſtro Gymnaſio I. V. D. peracto ſtudiorum curriculo prodiit, ut legimus in annotatis à Porcellino (3), qui refert huic primùm fuiſſe conceſſum, quod jam eſſet Epiſcopus deſignatus, ut more Nobilium, Doctorum lauro redimiretur. Eum quippe Gregorius XII. Patriarchali dignitate Gradenſi auxerat an. MCDVIII. Interſuit Synodis Piſano, & Conſtantienſi. Ab Alexandro V. titulum honorarium Patriarchæ Conſtantinopolitani meruit anno MCDIX., eumque Joannes XXIII. provexit ad Purpuram, dixitque Cardinalem S. Crucis in Hieruſalem an. MCDXI. quem deinde Martinus V. Sabinenſi titulo decoravit. In Baſilica Liberiana ſacellum extruxit munificè, dotavitque adjecto cenſu pro pluribus Sacerdotibus, ibi quoque tumulari voluit, condituſque eſt marmoreo ſepulcro cum elogio verſibus ejus laudes complexo, cui Canonici Liberiani epigraphen addidere grati animi cauſa. Utrunque exhibet Oldoinus, ex quo hæc ipſa deſumpſimus. Obiit an. MCDXXVII. VII. Kal. Januarii. 1427

XVIII. LUDOVICUS PONTANUS, quem vulgò Romanum appellant, ut ipſe in prologo ad codicem profitetur, Patavii Joanni Imolenſi adhæſit, ab eoque hìc Juriſprudentiæ ſacra cœpit initia. Natus in Umbria Spoleti humili genere, Romæ altus eſt educatuſque, undè illi Romani agnomen fuit. Inſtitutus primùm Peruſiæ ſub Joanne Pettuccio, & Angelo Perillio, hunc ſecutus Patavium venit, ubi Perillo relicto ſe totum inſtitutioni Imolenſis addixit, eumque præ cæteris Myſtagogum ſuum ad legum ſcientiam deinceps habuit. Cum eo profectus Ferrariam, atque inde Bononiam, ibi poſt depoſitum tyrocinium, lauream accepit (4), ad eam diem ne mutire quidem, aut ab aliquo diſſentire auſus, quod tum modeſtiæ, tum præſtantiæ tribuit ingenii Raphael Volaterranus (5). Senas profectus, ubi, ſtatim ac poteſtatem docendi nactus eſt, ſtatim itidem prælegit publicè primam Pandectarum partem (6): notatque hoc ipſum Mantua (7), atque exemplo Romani acriter, & quò planiùs intelligatur ab omnibus, inſurgit in eos, qui ſuo tempore, atque utinam non etiam noſtro, Juriſprudentiæ laurum conſequuntur. Eum tamen non admodum gloriæ conſecutum ex munere docendi, ſcribit Pancirolus, quippe, inquit, ineptus adeo infeliciter recitabat, ut præclara quæque in ejus ore ſordeſcerent. Et tamen à Mantua, non doctrinâ tantum, & ingenio, ſed & eloquentiâ nemini ſui temporis ſecundus floruiſſe traditur, ipſeque de ſe teſtatur (8), cùm Romæ *Authenticam Similiter Cod. ad l. Falcidiam* explicaſſet, tam frequenti ſe auditorio fuiſſe uſum, quanto alius nunquam ab hominum memoriâ docuiſſet. Senis diſcipulum habuit inter alios Franciſcum Accoltum Aretinum (9), Florentiæ verò Advocati officio functus acerrimum expertus eſt adverſarium Nellum à S. Geminiano, ex utroque autem gloriam ſibi apud poſteros immortalem conciliavit, quod & magiſter ſummi Jureconſulti fuerit, atque æmulo docto, & accurato ſuffecerit. Poſt hæc Romam regreſſus ab Eugenio IV. Protonotarius creatus eſt, nec diu poſt accitus Neapolim ab Alfonſo Aragonio Rege ſummâ in exiſtimatione ob inſignem eru- 1439

(1) Oldoin. ad Ciaccon. T. 2. p. 769. (2) Jo. Mark. de ill. Theol. (3) not. in Matric. D. D. ſub init.
(4) ipſe Rom. Sing. 262. (5) lib. 22. Antropolog. [6] Rom. in l. ſi finita §. Julianus ff. de damno infect.
[7] de Vir. Illuſt. n. 174. [8] Sing. 33. [9] Jaſon in l. 9. §. 8. n. 22. ff. de re. cred. ſi cert. pet.

ditionem habitus unà cum Nicolao de Tudeſchis tunc Epiſcopo Catanenſi, mox Panormitano ad Synodum Baſileenſem legatus Regius miſſus eſt (1). Ibi cum collega Panormitano magnas, & attoces controverſias, & rixas habuit, nec dubium, quin contra collegam pro Synodo ſtantem pro Eugenio: tanti interim apud graviſſimum illum doctiſſimotum Patrum cœtum nominis, & ex ſapientia, ac probitate exiſtumationis, quantâ eum cenſendum putat Æneas Sylvius (2). Nam ubi illum comparavit, ac pene non prætulit Theodectæ, Cyneæ, Carneadi, Metrodoro, Hortenſio, Senecæ, hæc ſubdit. *Erat memor omnium, quæ ipſe unquam aut legiſſet, aut audiſſet: nec oblitus erat eorum aliquid, quæ ipſe vidiſſet: nec ut cæteri Juriſconſulti principia legum in diſputando allegabat, ſed quaſi Codicem legeret, ſic Textum memoriter recitabat. Vir non Româ tantùm, ſed cœlo dignus, & cui nemo mortalium comparandus videtur; non admirationi, ſed ſtupori futurus omnibus populis, ſi, ut æquum videbatur, ætatis tempora duplicaſſet.* Quibus tanti ſcriptoris, ac ſynchroni verbis refelluntur notæ quædam illi à poſterioribus inuſtæ, quaſi ſubleſtæ fidei fuerit (3), atque artifex novarum opinionum, quibus ſanciendis fictis priſcorum auctoritatibus uteretur: quaſi avaritia in edendis Reſponſis laboraverit (4), nec ad veritatem, ſed ad lucri libitum ſcripſerit. Obruit hæc omnia datum ex Ænea dudum elogium, quod proſecuti, obitum tanti Juriſperiti ſic damus. *Sed invidit*, inquit, *fortuna Italiæ, nec tantum ſcientiæ lumen creſcere paſſa eſt. Immiſit peſtiferum morbum, virumque vix XXX. egreſſum ætatis annum abſtulit: nec plus horis ſex, & triginta ſivit ægrotare. Viſuſque non tranſitus ille hominis, ſed furtum. Quis enim virum adeo juvenem, adeo robuſtum tam brevi morula extirpari putaſſet? Sed fuit mors damnoſior morte cujuſvis. Regis enim, quod regni heres ſuccedit in regno, viro autem adeo docto nullus ſupereſt in literis heres. Sed dum Cardinalari vir benemeritus, manet, apud Chartuſiam ſepelitur.* Hæc Sylvius, apud quem (5) Epitaphios elegos de obitu Romani leges. Obiit V. Idus Julii an. MCDXXXIX. Baſileæ, ubi hunc titulum habet,

Anno Domini MCDXXXIX.
Reverendus in Chriſto Pater D. Ludovicus
Pontanus de Roma Utriuſque Juris Doctor
Sedis Apoſtolicæ Protonotarius,
Cujus anima requieſcat in pace. Amen.

Edidit *Comment. in Digeſtum, & Codicem.* *Repetitiones,*
Singularium Volumen. *Reſponſa.*

1440 XIX. ANTONIUS CHARTULARIUS, Patavinus, pater Joannis Merici, de quo diximus libro tertio tomi primi, clarus ex patrio Gymnaſio Juriſconſultus foro itidem patrio inſignem operam dedit; fuitque Orator clariſſimus. Memoratur à Scardeonio (6), & Portinatio ex libro (7), quem edidit, *de Moribus Philoſophorum*. Obiit in patria an. MCDXL.

1442 XX. HUGO LUSIGNANUS Cardinalis, gente Græcus, Cyprius patriâ, Joannis Regis filius, Jani Regis frater, ut refert Stephanus Luſignanus (8), adhuc puer ad infulas Archiepiſcopales Nicoſienſis Eccleſiæ in Italiam erudiendus mittitur, atque in hac urbe, & Gymnaſio adoleſcentiam tranſegit, ſeque bonis artibus, Philoſophiâ, Juriſque prudentiâ imbuit. Redit deinde Nicoſiam, & Sacris majoribus initiatus, à Martino V. Diaconus Cardinalis S. Adriani renunciatus eſt. Legationem obiit in Campaniâ, & Maritima. Interfuit Epiſcopus Præneſtinus Baſileenſi Concilio, cujus juſſu ad pacem inter Gallorum Regem, & Ducem Burgundiæ ſanciendam in Gallia fuit, ſeditque Synodi OEcumenicæ Legatus in conventu Atrebatenſi. Abbatiam S. Mariæ ad Pinerolium adminiſtravit commendatam; ſanxitque fœdus nuptiarum inter Joannem Jani Regis filium, nepotem ſuum, & Amadeam Palæologam filiam Joannis Jacobi Marchionis Montisferrati: nec diu poſt egit, ut Anna Luſignana neptis nuberet Ludovico Allobrogum Duci filio Felicis Antipapæ, cujus mox partes ſecutum Eugenius IV. exauctoravit. In ea pœna deceſſit menſe Auguſto an. MCDXLII. apud Subalpinos. Plura de eo apud Cardinalium Biographos.

1444 XXI. NICOLAUS TUDISCUS, gente Siculus, Catanæ natus eſt, ibidemque Congregationi Monachorum S. Benedicti nomen dedit in cœnobio S. Agathæ. Pervagatus

deinde

(1) Æne. Sylvi. de dictis, & Factis Alfonſi Regis lib. 2. c. 11. (2) de Geſt. Baſil. Concil. lib. 1. (3) Alex. in l. 12. §. 1. n. 4. ff. ſolut. matrim. Silva Nupt. lib. 5. n. 62. (4) Claud. Seiſel. in l. 36. ad fin. ff. d. VO. Cardi. Alban. conſ. 24. (5) Vid Pancirol. de Clar. Interp. lib. 2. c. 94. à p. 195. Ficard. in Vit. Juriſconſult. in Romano. (6) lib. 2. Claſſ. 10. p. 242. (7) lib. 7. c. 7. p. 272. (8) Hiſt. Luſign. lib. 3.

deinde Italiam celeberrimos ea ætate Juriſconſultos omnes audivit, tandemque Patavii Franciſci Zabarellæ diſcipulus jus Canonicum apprimè didicit, ab eoque lauream doctoris accepit, ut notat Pancirolus (1), ſignant monumenta gymnaſtica (2), ipſe gloriatur (3). Cùm juri civili dabat operam Bononiæ, tanti habitus eſt, ut inter Doctores gymnaſii privilegia cognituros adlectus fuerit (4). Jura publicè docuit primùm in Academiâ Senenſi decennio ab an. MCDXXI. (5) deinde Parmæ ſexennio integro (6): quo tempore à Martino V. Abbas Monicenſis cœnobii in diœceſi Meſſanenſi renunciatus eſt (7), atque hoc ſub titulo magis innotuit ob ea ſcripta, quæ recenſebimus. Eodem cum titulo Bononiæ docuit, conductus octingentorum aureorum mercede (8), magnâque nominis famâ jus Pontificium interpretatus eſt. Poſt hæc Romam accitus, ac relatus inter eos, qui Referendarii dicuntur, Apoſtolicæ Cameræ Auditor, ſeu Quæſtor Generalis in curiâ fuit; alii eum annumerant Rotæ Judicibus, & fortaſſis in utroque munere fuerit, donec Archiepiſcopus Panormitanus dictus ex hoc quoque nomine apud Juriſconſultos claret. Synodo Baſileenſi indictâ, ſocius datus Tarentino Cardinali, Legatus Alfonſi Aragonii Baſileam venit; fuitque à partibus Eugenii, quem egregiè theſibus quibuſdam propoſitis tutatus eſt, ita volente Aragonio, ut Æneas Sylvius refert (9), adversùs Argentem Epiſcopum, Joannem Segoviam, & Franciſcum Fuxeum Theologos. Ea diſceptatio utrique parti dedecori fuit; quippe in ea exarſit jurgia, quæ modum excederent, & in maledicta, & probra turpiùs, quàm pro loco, & patrum dignitate, degeneravit. Statutum tamen à Synodo contra Panormitani ſententiam, quamvis poſtularet judicium differri. Quamobrem ſcripſit opuſculum Quæſtionum, quæ de Concilio Baſileenſi excuſæ typis inſcribuntur. Opuſculo hoc edito, Romam rediit, indeque Neapolim redux ab eodem Rege, qui novas ob cauſas Eugenium oderat, Baſileam Legatus cum Ludovico Romano remittitur, ut pro Synodo adversùs Pontificem, quem defenderat, depugnaret; nec recuſavit invidioſum, & plenum inconſtantiæ munus vir ad omnia paratus ex vitio magnorum ingeniorum, quique ea pro & contra de Poteſtate Romani Pontificis in iis, quæ ſcripſit, aſſeruit, quæ ne ipſa quidem aula probavit, expungendaque poſtea ſcriptis ejus curavit utiliter. Ob hæc non adeo Synodo jam rebelli placuit Panormitanus, ut non ex pluribus aliis diſplicuerit, quæ narrantur à Sylvio, quæque in causâ fuere, ut cum collega Romano implacabiles rixas, ac diſſenſiones habuerit, in quibus componendis, pluſquàm in Bohemis ad Fidem Orthodoxam revocandis, laboratum eſt, ut aſſerit Sylvius (10). Ludovico fatis erepto, ipſe in dies adversùs Eugenium ferocior, cùm de eligendo alio Pontifice ageretur, auctor præcipuus fuit eligendi Felicis Pſeudopontificis, atque hoc impetrato, diſceſſit à Synodo, quam ad ſchiſma perpulerat: eò tamen rediit tertiò, Cardinalis creatus à Felice, totuſque fuit in propagandis actis perduellibus Synodi. Sed cùm precibus piorum Felix in eo propenderet, ut ſe ſpurio Pontificatu abdicaret, ipſeque crebris hortatibus moneretur, ut gratiam ſibi veri Pontificis conciliaret, pertæſus piæ pœnitentiæ, quam oderat, Synodo valedixit, ac recepiſſe ſe dicitur in Siciliam. Obiit Panormi ante quàm Eugenii ſe poteſtati ſubjiceret an. MCDXLV. Sepultus eſt in templo principe cum hoc vincto numeris elogio.

Morte tua Canon, Leges, & jura Quiritum
Occubuere jacentque hoc tumulata loco.
Tu Nicolaus eras, Tudiſco ſanguine natus,
Panormi Antiſtes, & Catanenſis eras.
Eugenio, & Baſila diſcordi pace ruebat
Noſtra Fides: ſteterat, te duce, Concilium,
Nominis, & tituli cumulos, & laudis adeptus;
Undè tuum texit rubra Tiara caput.

Edita ſunt ejus notiſſima *Commentaria in libros Decretalium*,

Compendium Lectura Decretalium.
Volumen Diſputationum Tractatuum, Quæſtionum, & Practicarum.
Interpretatio in Clementinas.
Quæſtio in Gymnaſio Parmenſi diſputata.
Volumen alterum diſputationum.

(1) lib. 3. de Clar. Interp. c. 32. p. 355. (2) Porcell. not. in Matric. Colleg. Juriſconſult. (3) in R. de Judic. col. 2. & in c. 1. de cauſ. poſſeſſ. & propriet. (4) Abb. in c. ult. n. 3. ne Cler. vel Monach. (5) Abb. in R. de obſerv. jejun. n. 6. & in fin. Quæſt. (6) Idem in c. 1. n. 7. de lit. conteſt. (7) Idem in c. cum olim in princ. de dolo, & contumacia. (8) Pancir. loc. cit. (9) lib. 1. de geſt. Concil. Baſileen. (10) lib. 2. c. 18.

Volumina duo Conſiliorum CIV. *Concilii.*
Liber de Poteſtate Papæ, Imperatoris, & *Liber ſingularis pro Concilio Baſileenſ.*

CAPUT IV.

Antonius Corrarius Card. Vincentius Cattus Dumbenius Card. Gaſpar SchliKius. Albertus Gandinius. Franciſcus Condulmerius Card. Fantinus Valareſſo Archiep. Creten.

1445 XXII. IN appendice Annalium libro ultimo (1), in quo Tomaſinus aliquos viros illuſtres, ac doctrinâ, & ſanctitate conſpicuos ordinis ſui Canonicorum Sæcularium S. Georgii de Algâ recenſet, primum locum habet ANTONIUS CORRARIUS Cardinalis, quem ex ipſo Gymnaſii noſtri clariſſimis Alumnis annumeramus. Patricius Venetus Gregorii XII. tunc Angeli Corrarii, & Epiſcopi Caſtellani, ex Philippo patre nepos, patruo agente, cùm ſe Sacris deſtinaſſet, Patavium miſſus eſt, atque hìc Philoſophiæ primùm, deinde Juriſprudentiæ operam dedit, in utrâque autem Doctor cùm rediſſet Venetias animum ad Theologos vertit, Divique Thomæ Sententias didicit in cœnobio SS. Joannis, & Pauli. Sacrorum poſt hæc initia cepit, ac Decanus Coronenſis Eccleſiæ fuit. Sed enim, non diu poſt rerum humanarum pertæſus, ac cœleſtium incenſus deſiderio, anteſignanum, ac ducem ſe præbuit illorum, qui Sæcularium Canonicorum hujuſmodi congregationem, ac cœtum inſtituêre. In eo ſanctiſſimè vixit ab an. MCCCXCV. ad an. MCDVII., quo à patruo Pontifice ad Romanam curiam accitus, primò Bononienſis Epiſcopus titulo tenus (Bononienſes enim non parebant Gregorio) mox Patriarcha vel Hieroſolymitanus, vel Conſtantinopolitanus, & Romanæ Eccleſiæ Quæſtor, ſeu Camerarius, denique anno ſequenti in Senatum Purpuratorum Patrum cooptatus eſt, Presbyter Cardinalis S. Petri ad Vincula, ut rejectis aliorum ſententiis comprobat Oldoinus (2). Sub Martino V. reipſa fuit Bononienſis Epiſcopus, ſeque Cardinalem Bononienſem appellavit: inde ab Eugenio IV. Epiſcopus Portuenſis, & poſtea Oſtienſis renunciatus Bononienſem Eccleſiam, parte redituum retentâ, reſignavit. Sub patruo Legationes varias obivit in Gallia, & Germaniâ: ſub Martino Legatus Senis, & Peruſiæ fuit, ſub Eugenio Romæ vixit, atque abiens Eccleſias, Æmonienſem in Iſtriâ, mox etiam Cervienſem in Æmilia commendatas adminiſtravit. Jam ſenex receſſit Patavium apud Canonicos ſuos, ac dimiſſis Sacerdotiis, quod opum ſacrarum ſupererat erogavit in Pauperes. Quin & ſupellectilem ſuam in ſacra Cœnobitarum collegia largiſſimè contulit; veſteſque ſuas ſacras, & bibliothecam, multis, magniſque comparatam impenſis, templo S. Georgii in Alga ſuperſtes adhuc attribuit. Quæ omnia confusè more ſuo, & ſubobſcurè Tomaſinus refert (3), clariùs, & luculentius Oldoinus (4), apud quem ex contemptu rerum mortalium, & vitæ ſanctimonia laudatur à Blondo, D. Antonino, Sigonio. Deceſſit Sacri Collegii Decanus Patavii in cœnobio S. Joannis ſui Ordinis an. MCDXLV. XI. Kal. Martii. Cadaver tranſlatum Venetias ad D. Georgii in Alga conditum eſt marmoreo ſepulcro cum epigraphe brevi. Scripſiſſe dicitur hiſtoriam ſui temporis (5).

1448 XXIII. VINCENTIUS CATTUS DUMBENIUS Cardinalis Dolinæ ſtirpis, Polonus, vir doctiſſimus, ac juris Canonici peritiſſimus, ab ineunte ætate ſeverioribus diſciplinis operam dedit, pervagatuſque eſt tota adoleſcentia, & juventute varias Europæ Academias, hæſit autem in Patavina diutiùs, in qua numerum Doctorum auxit, retulitque præmia ſtudiorum ſuorum, ut annotat Porcellinus (6), & conſtat ex albo gymnaſtico tabularii Quæſtorii (7). In patriam redux theſauro Gneſnenſis Eccleſiæ cuſtos præfectus eſt, ſimul curam egit accuratiſſimè filiorum Wlasdislai Regis bello diſtenti, educator eorum publicè datus à comitiis Warzenſibus. Electus Gneſnenſis Metropolites diu litem habuit cum Polonorum proceribus, ratis ex lege Regni, non alium in eam ſedem eligi potuiſſe, quàm in dignitate proximiorem. Vicit demum Romani Pontificis decreto, quo ejus creatio rata habita eſt, conſtitutumque, legem Polonicam in profanis dignitatibus locum habere, ſacris intactis, quas non poſſet afficere. Iniit ergo gubernacula maximæ ejus Eccleſiæ an. MCDXXXVII. auſpiciis Eugenii IV. mox legationem obivit ad Albertum Cæſarem nomine Regni Polonici pro Bohemis

Regem

(1) ſub initium. (2) ad Ciaccon. Tom. 2. p. 765. (3) in Annal. paſſim & in Append. loc. cit. (4) ibid. (5) Tomaſ. in App. ibid. (6) Not. in Matric. Coll. Pat. Juriſconſult. (7) apud Salom. in Muſcell. ad Inſcr. Gymn.

Regem ex arbitrio creare volentibus. Ex illa regreſſus bono publico curas omnes, ac ſtudia contulit, Præſul propagandæ religionis ſtudioſiſſimus, hæreticorum hoſtis acerrimus, & Bonorum Eccleſiaſticorum propugnator invictus. Hæc ille non ſibi, aut ſuis, ſed utilitati atque ornamento Eccleſiæ ſuæ conſtanter impendit, extructis templis, collegiis Cœnobitarum inſtitutis, auctâ Gneſnenſis Eccleſiæ ſacrâ ſupellectile, auro, gemmiſque. Eum Felix Pſeudopontifex in Synodo Baſileenſi abſentem, & nihil tale cupientem Presbyteris Cardinalibus adſcripſit, quem ille honorem an receperit, dubium eſt, certè reſignavit ſpontè ſub Nicolao V. circa annum MCDXLVII. ut probat Oldoinus (1), quem ſequimur, ac probabiliſſimum exiſtimamus, reſignatum honorem purpuræ ritè illi fuiſſe à Nicolao teſtificatum. Emortualis ejus annus certus non eſt, aliis obitum ejus an. MCDXLVIII. ſignantibus, aliis an. MCDXLIX. Jacet in templo majore Gneſnenſi.

XXIV. GASPAREM SCHLIKIUM illuſtribus noſtri Gymnaſii Alumnis annumeramus ex duplici epiſtolâ Franciſci Card. Zabarellæ, alterâ ad Schlikium ipſum, alterâ 1449
ad Vergerium. In utraque vir hic ſæculo XV. clariſſimus ipſius Zabarellæ diſcipulus dicitur præceptore ipſo Zabarella Patavii plures annos impendiſſe inſtitutionibus Philoſophicis, Oratoriis, ac Legalibus. Natus eſt in agro Tarviſino nobili Lazanæ familiâ, patre Germano Francone, matre Italâ è Collis Alti Comitibus nobiliſſimis; fuitque vir doctiſſimus, prudentiſſimus, facundiſſimus: his enim præclaris nominibus eum appellat Zabarella, & Vergerius (2). Statura corporis eminens, ac formæ ſpecies liberalis augebat has dotes animi; hiſque gratiam, & amorem ſibi Sigiſmundi Cæſaris conciliavit, à quo in aulam adſcitus particeps ſecretorum aulæque Cæſareæ ſcriba, ſeu cancellarius fuit. Hoc opem ferente, dirigente, docente, Cardinalis Zabarella profitetur (3), ſibi omnia proceſſiſſe felicirer, cum Legatus à latere Joannis Pontificis Sigiſmundum convenit. Interfuit Conſtantienſi Synodo inter Cæſaris Miniſtros, & familiares, nec, ut narrat Freherus (4), latam adversùs Joannem Huſſum ſententiam palam, ut præcipitem damnavit; ſed illud illi minimè placuit, quod mali eſſe exempli cenſebat, eam ſententiam, quam juſtiſſimè pronunciatam in hæreticum relapſum, ac pertinacem prædicabat, in eo ſacro conventu effectam dari, ad quem univerſalis Eccleſia pacis pangendæ causâ convenerat. Sic apertè rem narrat Vergerius oculatus teſtis (5), & Schlikii peramicus. Interfuit quoque Baſileenſi Concilio cum Sigiſmundo an. MCDXXXI. eumque ſecutus, cùm eſt inauguratus Imperator ab Eugenio IV. Romæ fuit. Exorto diſſidio Cæſarem inter, & Pontificem, cùm ille Senas ſeceſſiſſet, ibi Schlikius cum Domino ſuo aliquandiu vixit, ibidemque formâ, & blandiciis illectus, nobilem fœminam amavit, ac planè deperiit; ejuſque amores Æneas Sylvius deſcripſit ſub Eutiali, & Lucretiæ nominibus, amatorio libello, quem Pontifex factus inter alia reprobavit. Poſt obitum Sigiſmundi in eâdem dignitate, ac muneribus perſtitit apud Albertum II., & Fridericum III. Rom. Imperatores, atque hic illum Baſſiani Comitem dixit, ditavitque prædiis multis in Marchiâ Tarviſinâ, accedente Venetæ Reſpublicæ gratiâ, quâ factum, ut Schlikia familia diu hos titulos reipſa retineret, quibus tandem penitùs excidit à bello Cameracenſi, fruſtra hos etiamnum jactans, alioqui dives, & clara ex ditione peramplâ Joachimicæ vallis in finibus Bohemiæ. Scripſit Gaſpar hiſtoriam Conſtantienſis, & Baſileenſis Concilii; ex utrâque ad teſtimonium producitur *in Relatione* (6), ſic enim inſcribitur, diſputationis ſuæ habitæ Baſileæ in Synodo Franciſci Fuxei. Deceſſit Schlikius Vindobonæ in Auſtriâ ictus apoplexi an. MCDXLIX. de quo plura Æneas Sylvius.

XXV. ALBERTUM GANDINUM Aretinum facit Pancirolus (8), nec tamen inficias it, ab aliis Cremenſem dici: at Calvus origine ſaltem Bergomatem facere nititur, tantique nominis gloriâ Cremenſes multare (9). Verùm ipſe cum ſe alumnum aſſerat Gymnaſii noſtri, & auditorem Patavii Joannis Anguſſolæ juris Pontificii celeberrimi profeſſoris (10), unà nos jubet de patria ejus decernere ex monumentis Gymnaſii Patavini. In his & in albo Quæſtorio ad an. MCDXX. cùm filii ejus nominantur Albicinus & Jacobus, filii dicuntur Excell. Alberti Gandini Cremenſis. Ipſe Gandinus in actis Juriſconſultorum Patavinorum cum ad recipiendam juriſprudentiæ laurum *conventuatur* an. MCCCXCIX. Albertus Gandinus Cremenſis dicitur quondam Jacobi, ut non dubium ſit Cremam illi patriam fuiſſe, quidquid ſit de origine, quâ obtentâ Calvo quidlibet licet ſomniare ridiculè adeo, ut non dubitet vel Galenum Græcum 1451

(1) ad Ciacc. T. 2. p. 946. (2) de Geſt. Card. Zabar. (3) Ep. ad ipſum citata. (4) Tom. 2. p. 2. Sect. 3. p. 763. (5) loc. cit. (6). circa fin. (7) hiſt. Bohemic. c. 53. (8) de Clar. Interp. lib. 2. c. 48. p. 133. (9) Scen. liter. P. 1. p. 16. (10) . Gand. de Pœnis reor. ante n. 8. Pancir. ibid. lib. 3. c. 18. p. 335.

hominem, & Aſianum origine Bergomatem aſſerere, quod Pergamenus natus ſit Pergami, quo nomine Bergomum à Scriptoribus barbaris appellatur. Claruit Albertus ſub initium ſæculi XV. inter judices Prætoribus urbium aſſidentes, quorum tunc non mercenarium, ſed nobiliſſimum fuit munus, atque ipſis Prætoribus venerabile. Functus eſt autem eâ muneris hujus parte, quæ circa maleficia, & reorum quæſtiones verſatur. In hoc eum officio vixiſſe ſemper, & Pancirolus tradit (1), & ex ejus libris colligitur, quibus docemur (2), functum illum ea juriſdictione Peruſiæ primùm, deinde Florentiæ, ac Senis, denique, & quidem perdiu Bononiæ in Quæſtionum tribunali, quod Turoni nunc vocant Auditorium. Quamobrem falluntur illi (3), qui Gandinum criminalia docuiſſe ferunt Bononiæ, invitatumque ad hoc noſtrum Gymnaſium, permodeſtè excuſaſſe ſe, miſſis huc filiis, ut ibi alerentur ad ſapientiam, undè olim ipſe ad eandem ſibi alimenta paraverat. Quo anno, aut ubi mortalis eſſe deſierit, non conſtat; poſt annum certè MCDL. atque adeo octogenarius. Nam hoc apertè colligitur ex ejus Tractatu *de crimine læſæ Majeſtatis*, ubi laudat Joannis Uniadæ modeſtiam, ob reſignatam Regni Pannonici adminiſtrationem, quæ certè non ante an. MCDLI. tentata (4), nec tamen recepta eſt à Ladiſlao Rege. Hæc ſunt edita ejus Opuſcula, ex quibus in Criminalibus cauſis princeps appellatur.

Opuſculum de Maleficiis, inquit Pancirolus ex Odofredo (5), & Guidone Suzario deſumptum compoſuit. Sed ipſe ex pluribus, quæ in facto vidit, & egit, librum eâ diligentiâ ampliavit, ut magno in uſu à forenſibus habeatur.

De Judiciis, & Tortura.
Practica Criminalis.
An in loco Domicilii, ſeu Originis poſſit contra aliquem inquiri de Maleficio, Diſputatio.
De Crimine læſæ Majeſtatis.
De Quæſtionibus.

1453 XXVI. FRANCISCUS CONDULMERIUS Cardinalis patricius Venetus, Eugenii IV. ex fratre nepos, juſſu patrui adoleſcens Canonicorum S. Georgii in Alga hoſpitio uſus eſt Patavii ad S. Joannis, ut apud hos pietate, & moribus optimis, in Gymnaſio bonis artibus imbueretur. Teſtis horum eſt Tomaſinus (6), cùm nihil extet in monumentis gymnaſticis. Hoc auctore recipimus Condulmerium ſtuduiſſe juriſprudentiæ, & in eâ non mediocriter profeciſſe, atque in ipſo adoleſcentiæ flore libellum edidiſſe doctum admodum, & eruditum adversùs Baſileenſes Schiſmaticos, & Bohemos hæreticos. Nondum exacto ſtudiorum curriculo à patruo Pontifice accerſitus Romam (7), necdum ætate major Protonotarius Apoſtolicus, deinde Vicecamerarius, & Vicecancellarius Biſuntinum Archiepiſcopatum, & Patriarchatum Conſtantinopolitanum obtinuit; Epiſcopatu quoque Veronenſi eum patruus cumulavit, quem tamen ille non niſi multis, magniſque difficultatibus auctoritate Pontificiâ ſuperatis conſecutus eſt anno MCDXLII. nec diu poſt Romam regreſſus abſens adminiſtravit, ornavitque collegiis clericorum, & domibus cœnobitarum ampliſſimis. At ipſi Romæ, & voluptates, quibus plus nimio indulſiſſe fertur, ſuperfuere, nec defuerunt ærumnæ. A Populo Romano captus, fugiente Eugenio IV., in honeſtâ cuſtodia fuit; ædes ejus direptæ, cæſa, fugata familia, iiſque ipſe damnis multatus eſt, quæ non niſi reditu patrui Romam redempta ſunt; quippe novis ab illo Sacerdotiis ditatus, regio planè ſumptu vixiſſe dicitur. Inter hæc Veſontionenſis Eccleſiæ cenſus, ac redditus poſſediſſe, tradunt apud Oldoinum ſcriptores Galli (8), Cardinalem Venetiarum, quo nomine Condulmerius appellabatur. Magnas quoque eum, & opulentas Legationes obiiſſe ſcribit Panuinius (9): quo auctore in illis inertiſſimè ſe geſſit; magnarumque cladium Chriſtianis cauſa fuit. Interfuit comitiis Nicolai V. ſub quo è numero vivorum abiit nondum ſenex III. Kal. Novembris an. MCDLIII. Sepultuſque eſt in Vaticano.

XXVII. FANTINUS VALARESSO patricius Venetus primus nominatur inter Ve-
1455 netos (10), qui poſt deditum Venetis Patavium, ex eo ordine ſe albis Gymnaſticis inſcripſere, dederuntque nomen juriſprudentiæ. Vix annorum (11) vigintiquinque juveois Doctor, & linguarum Græcæ, & Latinæ ſcientiſſimus ad ſedem Parentinam evectus eſt à Joanne XXIII., quo exautorato in Synodo Conſtantienſi, inſulas Fantino conceſſas ratas habuit Martinus V. ac ſupplevit vitium ætatis an. MCDXVII. Præfuit Parentinis ſacris ad annum uſque MCDXXVI. quo ad Archiepiſcopatum Cretenſem tranſvectus eſt. Inclaruitque hac dignitate in Synodo Ferrarienſi, & Florentinâ ſub Eugenio,

(1) ibid. (2) in princ. Tract. Malefic. in ult. R. in Tract. de Malefic. & tit. de Bannitis pro Malefic. n. 5. Boſ. de delict. n. 17. (3) Porcell. in not. ad Matric. Schol. Salom. in Miſcell. ad Inſcr. Gym. (4) Vid. Foreſt. T. 4. P. 2. lib. 11. p. 43. (5) ibid. p. 134. (6) in App. Annal. lib. 2. (7) Oldoi. ad Ciaccon. T. 2. p. 595. (8) loc. cit. [9] Synt. de Card. [10] Porcell. not. in Matric. Schol. (11) Ughell. T. 5. p. 440. n. 43.

nio, ad quem eruditiſſimè ſcripſit *Commentarium de Unitate Eccleſiæ*. Extat (1) hoc Opus cum aliquot ejus Epiſtolis eruditis in bibliotheca Barbarina. Obiiſſe creditur circa an. MCDLV.

C A P U T V.

Dominicus & Angelus Cardinales fratres Capranicæ. Petrus Montius. Angelus Gambilionus. Theodorus Lælius.

XXVIII. DOMINICUS CAPRANICA Cardinalis nobiliſſimo genere Romano na- 1456
tus unà cum Angelo fratre, tum Bononiæ, tum Patavii Philoſophiæ, ac Juriſprudentiæ, cæteriſque artibus optimis operam dedit, ut habet Poggius ejus biographus (2), hìc autem doctrinæ inſulas meruit, doctorque laureatus in patriam remeavit, ut ſignant acta Collegii apud Porcellinum (3). Vulgò confunditur cum alio Capranica, qui Firmanus (4) Antiſtes fuit. Longè alius eſt noſter Capranica ab illo, cujus funeſta mors etiamnum non ſine populorum execratione memoratur. Nam ille Capranica Jo. Baptiſta fuit, noſter Dominicus; ille ad Purpuram, quam non merebatur, non venit, noſtrum Roma Cardinalem vidit: ille è gente Capranicâ ultimus, noſter primus Firmánas inſulas geſſit vir pius, doctus, & qui jure inter clariſſimos Alumnos Gymnaſii noſtri memorandus ſit. A Martino V. Apoſtolicæ Quæſturæ, ſeu Cameræ Clericus, particeps Secretorum, & Protonotarius dictus juſſus eſt Æmiliæ præeſſe: quo munere functus egregiè, provectus eſt ad Firmanæ ſedem Eccleſiæ; ſimul Umbriæ Præfectus jus dixit Spoletinis, & Peruſinis. Idem Pontifex ſub finem vitæ Capranicam Senatui Cardinalium adſcripſit. Sed cum hoc ipſum in cœtu Purpuratorum, quem Conſiſtorium vocant, non enunciaſſet, in comitiis, quæ Eugenium IV. Pontificem Eccleſiæ præfecere, nulla ejus ratio habita eſt, perrexitque in eo deſpiciendo, rejiciendoque idem Eugenius, donec regreſſum è Baſileenſi Concilio, quòd ſpontè ad Synodum Florentinam veniſſet, ibique ſe Eugenio ſubjeciſſet, Pontifex probavit, recepitque, & ritè Cardinalem renunciavit. Reſtitutus in dignitatem ſimul Firmanas inſulas recuperavit, ac deinceps ſecundâ fortunâ, nec virtutibus ejus iniquâ uſus eſt. Nam eum Eugenius amavit inter paucos, eique graviſſima trepidis temporibus negotia demandavit: adminiſtrationem nimirum Picenæ Provinciæ, quam ille utiliter tutatus eſt à victricibus copiis Franciſci Sfortiæ, queis miſerè vexabatur, depulſoque Firmanis arcibus hoſte; Gerionem collem impoſitum urbi exarmavit exciditque: mox eâdem ſtrenuitate Peruſinam civitatem ditioni Pontificiæ aſſeruit, ac miſſus ad Alfonſum Neapolitanum Regem Legatus, eum, qui dudum Eugenio infenſus Tibur invaſerat, aliaque multa Romanæ Eccleſiæ victor ademerat, omnia reſtituere compulit. Claruit etiam ſub Nicolao V. ejuſque juſſu Legatus, Chriſtianos Principes ad bellum ſacrum adversùs Turcas, expugnato dudum Byzantio toti Europæ inhiantes, incaſſum evocavit. Sed Dominici Card. Capranicæ virtus non rebus dumtaxat fortiter geſtis enituit, at maximè inclaruit ex ſapientiâ, conſtantiâ, piâque munificentiâ, & pietate ſingulari. Ex hac laudatur à D. Antonino (5), quo teſte ſynchrono, poſt obitum lumbi ejus contecti veſte cilicinâ reperti ſunt. Conſtantiâ tantâ fuit, ut Pontificibus Maximis, ſi quid in ſacris cœtibus non omninò probandum ſanciri juberent, coram refragaretur. Ejus doctrinam commendat liber aureus *de Contemptu Mundi*, quem ab illo conſcriptum eleganter, ac doctè cuſtodiri hactenus refert Ughellus in bibliothecâ Ciſtercienſi Florentiæ. Ut liber hic deſit, virum fuiſſe doctiſſimum ex eo maximè colliges, quòd peramicus fuerit omnium ſapientum virorum ſui temporis, quòd bibliothecam nobiliſſimam inſtruxerit Romæ, in eaque codicum pluſquam duo millia congeſſerit; quodque in domo paternâ ſtudioſorum juvenum collegium aperuerit, cujus adhuc Romæ præclarum nomen eſt. Opes ſuas reliquas magna ex parte teſtamento legavit pauperibus, religioſiſve collegiis, quæ ſummo ſtudio vel collapſa reſtauravit, vel deformata ad priſtinum ſplendorem reſtituit. Hæc latiùs, quàm operis noſtri ferat inſtitutum tradita, deſcripta, laudata leges à Poggio (6), in Epiſtolis Card. Papienſis, à Ciacconio, Victorello, & aliis, quos Ughellus (7), & Oldoinus enumerant (8). Obiit Romæ an. MCDLVI. ætat. LVIII. Sepultus eſt cum elogio ad S. Mariæ ſupra Minervam.

Domi-

(1) Ughell. ibid. (2) in ejus vita ſub initium. (3) not. in Matric. Colleg. (4) V. Volaterran. in Comment. Urban. Bertachin. Tract. de Gabell. p. 9. n. 4. Ughell. T. 2. p. 718. n. 58. (5) Hiſtor. P. 3. (6) in Vit. Capran. Card. (7) Ibid. n. 53. p. 716. 717. (8) T. 2. p. 832. 841.

Dominico Fratri conjungimus ANGELUM Cardinalem CAPRANICAM fratrem; quamvis è vivis ereptum ſeriùs. Fuit hic quoque, ut pari jure clarus alumnus Gymnaſii noſtri, in quo juriſprudentiæ lauros emeruit, ita par meritis (1), virtute, ac dignitate fratri, virâ integer, doctrinâ & rerum agendarum dexteritate vir inſignis. Archiepiſcopus primùm Sipontinus an. MCDXXXVIII. poſt annos novem ad ſedem Aſculanam translatus an. MCDL. non ante annum quartum ab obitu fratris ad Purpuram lectus eſt an. MCDLX. Presbyter Card. S. Crucis in Hieruſalem. Quæ optimè geſſit cum penè congeminent geſta, patrataque à fratre Dominico, pete, ſi vacat ab Ughello, & Oldoino (2), quo auctore obiit an. 1478.

1457 XXIX. PETRUS MONTIUS, humili loco natus Venetiis, ex grammatico, & pædagogo datus curator formatorque morum M. Antonio Corrario, & Gabrieli Condulmerio, cùm hi in cœnobium S. Georgii in Alga ſe detruſiſſent, eos ſecutus eſt, ut annotat Tomaſinus (3), quo auctore cum iiſdem venit Patavium, atque hic omnium diſciplinarum ſe opibus cumulavit, ex quibus artium, & I. V. Doctor, quod epigraphe ſepulcrali ejus oſtentat Romæ. Cum Gabriel Purpuram accepit à patruo, inter familiares adſcitus, atque ejuſdem familiaritatis particeps, poſtquam Gabriel in Eugenium IV. evaſit, ab hoc Protonotarius, deinde Brixienſis Epiſcopus renunciatus eſt an. MCDXLII. Mox ad Regem Gallorum legatus, cùm Eugenius obiiſſet, ad Eccleſiam ſuam remeavit, quam extructis ſumptuosè ædificiis ornavit; auctiſque virginum Sanctimonialium collegiis ad peculiarius Numinis obſequium, cultumque provexit. Reliquiſſe eum aliqua ingenii ſui monumenta refert Ughellus (4). Sed ea multa fuerint, & docta, recenſenturque à Thoma Diplovatacio, cum agit de famoſis Theologis ætatis ſuæ. Nos ex his, quæ nobis prorsùs ignota nominare piget, non vidimus, niſi Tractatum prolixum, & barbarum adverſus Orientale Schiſma, ex Miſcellaneis Andreę Eudæmonioannis inter Allatiana repertum. In eo Montius hiſtoricè ſimul, & Theologicè controverſias Orientales inter, atque Occidentales ad trutinam revocat juris Divini, ſimul ea narrat, quæ contigere in Synodo Florentinâ, cui videtur interfuiſſe inter familiares Eugenii. Ea etiam delibat, quæ ad ſubactum à Turcis Byzantium ſpectant, palamque Gentis noſtræ internecinum excidium pervicaciſſimo Schiſmati tribuendum exiſtimat. Ingenuè fatemur, ex hoc nos multa mutuatos cùm adversùs Photianos non uno in loco pugnavimus. Quamvis enim pluſquam barbarè omnia deſcribat, attamen doctus eſt, lacertoſus, & ex præliari Theologiâ perutilis. Obiit Romæ an. MCDLVII. ſub Pio II. Sepultus eſt in æde Baſilica S. Mariæ ad Præſepe cum epitaphio, in quo, uti diximus, artium & juris utriuſque Doctor nuncupatur.

1458 XXX. Inter clariſſimos Alumnos Gymnaſii noſtri numerandus eſt ANGELUS GAMBILIONUS, vel à *Gambilionibus* Aretinus. Is juris imbutus rudimentis Peruſii ſub Onuphrio Bartholinò (6), ſolidiora, ac præcipua juriſprudentiæ fundamenta jecit Patavii auditor Raphaelis Fulgoſii (7), Cumani, & Pauli Caſtrenſis. Mox Bononiam profectus, poſt auditum Joannem ab Imola, & Florianum à S. Petro, ibi orante Joanne Vaſcono, ab ipſo Floriano præceptore inſignia doctoris accepit (8). Adhuc juvenis Peruſiæ primùm, deinde Tipherni (9), & Romæ judicibus ordinariis aſſedit, ibidemque Senatoris urbani vices geſſit (10). Nurſiæ poſt hæc, quæ Umbriæ Civitàs eſt, & caſtrandorum hominum artifex, Quæſtoris, quem Collateralem vocant, officium ſuſcepit, Quæſtorque malò omine fuit. Nam perfidiâ, & malignitate civium illorum, ex more in Quæſtores, ac Magiſtratus turbas, & calumnias conflantium, dignitate motus, reus factus Magiſtratus malè adminiſtrati, objectiſque criminibus conjectus in carcerem capitis periculum ſubiit (11), quod interpoſitis, & precibus, & ſcriptis editis juriſconſultorum, vix tandem evaſit, ſeque ad docendum convertit. Et primò Ferrariam accerſitus à Borſo magnâ nominis famâ Inſtitutiones interpretatus eſt (12). Deinde Bononiam vocatus Titulum de Actionibus an. MCDXLI. publicis prælectionibus illuſtravit (13). Eum Hercules poſtea revocavit Ferrariam (14), ibi partem Inſtitutionum ultimam aſſiduâ interpretatione, doctiſque commentariis illuſtravit, aliaque compoſuit, quę lecta lectoribus ingerunt viridem ejus ſenectam, cujus meminit Epitaphium ejus Ferrarię in templo Carmelitarum. Hanc ille ſibi parabat exercitatione corporis etiam in ſene-

(1) Porcell. loc. cit. (2) Tom. 1. (3) in App. lib. 2. (4). T. 4. p. 517. n. 92. (5) Ep. ad Card. Fliſcum. (6) Aret. in §. 2. & 7. Inſtit. quib. mod. teſtam. infirm. (7) idem in §. ult. Inſt. de teſtam. & in l. 1. §. 3. quæ ſent. ſine appel. retein. (8) idem in §. 6. Inſt. de Nupt. (9) idem in §. ult. n. 5. Inſtit. de Teſtam. (10) idem in l. 1. ff. à quibus appell. non licet, & Inſt. de perpet. & tempor. action. (11) Paris de Put. tract. de Syndica. de off. Syndica. in fine. (12) Aret. in princ. Inſtit. [13] Idem. Inſtit. de actio. in princ. & §. ex maleſic. [14] in Proœm. Inſtit. & §. 2. de bon. poſſ. & §. 10. de hæred. inſtit. & de l. Aquil. in princ.

in ſenectute pertinaci, cui adeo ſuiſſe deditus tradunt (1), ut extra urbis mœnia ſæpè diſcipulos ſuos ad currendum provocaret, eoſque plerunque pedum velocitate anteverteret; feruntque eum in hujuſmodi ludo victorem ab Herculę deprehenſum erubuiſſe. Annus, quo vivere deſiit, compertus non eſt; nec tamen, ſi ſcripta ejus rimere, obiiſſe eum ante an. MCDLVIII. deprehendes.

XXXI. THEODORUS LÆLIUS aliàs *de Lellis* natus Interamnæ in oppido Samnieum agri Præcutiani, puer Patavii adolevit, & ſtuduit, ac I.V.D. renunciatus eſt, ut ipſe gloriatur non uno in loco (2), profeſſus unà gratias maximas, tum Venetis, tum Patavinis, quorum beneficiis ipſi, & patri exuli fortunam tueri, ac vitam licuit honeſtè tolerare, Patre è vivis erepto, cùm in patriam rediiſſet, nec natu nobilis ibi quidquam ſibi, ob proſcriptionem parentis, ex majorum patrimonio aſſerere potuiſſet, Romam venit, ubi brevi in rerum ad curiam pertinentium procuratione omnes ita pręvertit, ut judex ſive Rotæ Auditor, inde Tarviſinus Epiſcopus, poſt Marcum Barbo, ſub Pio II. & Paulo II. doctrinæ, ac prudentiæ glorià celeberrimus fuerit. Amiciſſimus Venetorum, ſub Pio II. egit eorum cauſam adversùs Sigiſmundum Auſtriæ Ducem, & vicit, Tranſegit de graviſſimis rebus cum Ludovico Gallorum Rege feliciter; & Philippum Burgundiæ Ducem coegit, ſe Regi Galliæ ſubjicere, Huſſitas in Bohemiâ domuit, compulitque Georgium eorum Principem, Palatinum Rheni, & Auſtriæ Ducem, ejurare fœdiſſimos Huſſitarum errores. Poſt quæ ſummis honoribus à Pio exceptus Romæ, parem gratiam invenit apud Paulum II., qui eum non multo poſt morbo graviſſimo correptum, decumbentemque inviſit, eique levamen qualecumque morbi, ſpem proximam Purpurę fecit. Hinc illum Ciacconius, & Panuinius accenſent Cardinalibus creatis à Paulo, traduntque morte pręreptum Galerum purpureum recipere minimè potuiſſe. Sed hoc falſum jure contendit Oldoinus (3). Nam Papienſis hoc ipſum propalam negat (4), ſcriptor ęqualis, atque unà aſſerit, eum ex morbo deceſſiſſe ante, quàm adſumeretur ad purpuram, quam utique ſuiſſet conſecutus vir ab ipſo alioqui ſummopere laudatus (5), ni Numinis ira interceſſiſſet, interpoſitâ morte ulciſcens crimen ad Purpuram conſequendam admiſſum, quo Paulum impulit ad frangendam promiſſorum fidem jurejurando firmatam, Obiit Romę Pridiè Kal. Aprilis, anno MCDLXVI. Sepultus eſt in templo S. Marię Novę cum hoc elogio 1466

Theodoro Lælio Tarviſino Epiſc. Divini humanique Juris Conſultiſſimo, & Pauli II. Pont. Max. Referendario, qui vixit An. XXXVI. Menſ. II. Dies XXII. Gaſpar Lælius faciundum curavit.

Extant hęc ejus Opuſcula.

Orationes. 1. *Apologia pro Venetis adversùs Auſtria Ducem.*
2. *Gratulatio pro Pio II. ad Venetorum Ducem.*
3. *Ad Regem Francorum pro Pio II. ob Inveſtituram Siciliæ.*
4. *Ad eundem Regem pro Defenſione Fidei Catholicæ, & Bello contra Turcas.*
5. *Contra Huſſitas, & de Juſtitia Anathematis lati in Sigiſmundum Auſtriacum, & in Palatinum.*
6. *Ad Burgundiæ Ducem pro expeditione contra Turcas.*
7. *Adversùs Sigiſmundum Auſtriacum pro liberatione Præpoſiti Brixienſis.*

Epiſtola multa nomine Pauli II. ſcripta, itemque ſuo ad Card. Papienſem, Philelphum, & alios.
Liber de Grammatica.
Liber adversùs Georgium Heingbergium Huſſitam.

De Lęlio pręter Oldoinum citatum, Jacobillus (6), Bonifacius (7), Ughellus (8).

CAPUT

(1) Pancir. lib. 2. c. 102. p. 100. (2) Orat. pro Venetis contra Sigiſm. Auſtriæ, & Epiſt. 3. ad Philelphum. (3) ad Ciaccon. T. 2. p. 1115. (4) in Commentariis. (5) Ep. ad Card. Nicęnum. (6) in Biblioth. Umbriæ. (7) hiſt. Tarviſ. p. 645. (8) Tom. 5. p. 564. 565.

CAPUT VI.

Bartholomæus Roverella Card. Antonius Donato. Lælius de Juſtis. Franciſcus Barbarus Senior. Paulus Maurocenus Senior. Federicus de Cluniaco Card. Ludovicus Donato Epiſc. Bergomas. Petrus Foſcarus Cardinalis.

1476 XXXII. BARTHOLOMÆUS ROVERELLA Card. oriundus Rhodigio, Ferrarię natus, humanioribus diſciplinis imbutus in patria, Petri Mauroceni, qui tunc publicus Profeſſor juris Patavii, claruit deinde glorioſiùs in Purpurâ, auditor fuit (1). Relatus inter Doctores, in aula Romana ſe virum doctiſſimum, ac probatiſſimum prę-ſtitit, indeque Adrienſes infulas reportavit. Translatus poſtea ad Ravennatem Eccleſiam, hanc ferè ſemper abſens adminiſtravit, impeditus perpetuis legationibus, in Sicilia, Britannia, Neapoli, ubi ſolemni ritu inſigne Regium impoſuit Ferdinando, prę-fectuſque Beneventanę Eccleſię, ac ditioni, inde ad collegium Purpuratorum Patrum inductus eſt à Pio II. an. MCDLXI. Cardinalis S. Clementis. Vir fuit pius, doctus, & in rebus agendis dexteritatis eximię. Laudatur à Sanſovino (2), & Libanorio (3), ex quo, & aliis Oldoinus (4), poſt Ughellum (5), qui multa de fratribus ejus habet, ac de ejus epigraphe addita tumulo pulchertimo ad S. Clementem Romę, ubi vivere deſiit an. MCDLXXVI.

1479 XXXIII. ANTONIUS DONATO Eques, patricius Venetus, vir doctiſſimus, & inter claros Alumnos Gymnaſii noſtri numeratus, tum à Porcellino (6), tum à Tomaſino (7), & Pignotio (8), patrem habuit Andream Donato Equitem Pretorem Patavii anno MCDXXXVIII. qui vir, & ipſe doctus ex doctrina ſępè laudatur ab Ænea Sylvio, celebraturque ab Ambroſio Camaldulenſi (9). Ipſe Antonius Senator egregius varias obivit Legationes pro patria, atque inter has glorioſiſſimam ipſi ad Sixtum IV. in qua Equeſtria meruit ornamenta, illi ea ſolemnitate donata V. Kal. Aprilis anno MCDLXXVI. quam *Chronicon Magnum* deſcribit, citatum in præfatione ad hiſtoricos Venetos in vita Sabellici eruditè (10), ac ingenioſè propoſitâ per V.cl. Apoſtolum Zenum nepotem noſtrum, à quo Chronicon illud ipſi Antonio tribuitur. Scripſit, præter hoc, *latinam Epitomen Rerum geſtarum à Ducibus Venetis*. Ea nuncupatur Hieronymo Georgio Senatori doctiſſimo, deſinitque in Duce Marcello, & an. MCDLXXIII. poſt quem, anno VI., æræ communis MCDLXXIX., vivere Venetiis deſiit, ſepultus cum elogio in templo Servorum.

XXXIV. LÆLIUS DE JUSTIS patricia gente Veronæ natus, Patavii juris utriuſ-
1482 que ornatus inſignibus rediit in patriam, tanti adhuc juvenis à ſuis civibus habitus, ut inter Cenſores legum Municipalium recenſeri meruerit. Friderico III. Cæſari carus, maximique ob doctrinam, & prudentiam factus, titulos dignitatum ampliſſimarum obtinuit virtutis, & ſapientiæ merito. Expertus Prætor à pluribus populis, unius Florentini præturam accepit, quam geſſit ſingulari cum laude, urbiſque leges recenſuit, caſtigavit, reſtituit, eâ præſertim in parte, quæ de Comitiis creandorum Magiſtratuum, de Salario, Juramento, & Syndicatu ejus, quem Capitaneum appellabant Populi, & Communis Florentiæ: cui præſtituit opuſculo edito modum, ac rationem tuendarum Artium, & Artificum, conſervandæque pacis inter cives, Paganos, & ditioni ſubjectos. Auctor horum eſt Marchio Julius à Puteo (11), ex quo claruerit circa an. MCDXLV., obierit circa an. MCDLXXXII. ex ejus epitaphio.

XXXV. FRANCISCUS BARBARUS ſenior patricius Venetus, Eques & D. M. Pro-
1482 curator pater fuit Zachariæ, qui Prætor Patavio præfuit an. MCDLXXVII. ut ex inſcriptione Pontis Buſinelli, quam exhibet Salomonius conſtat (12); atque adeo fuit avus celeberrimi viri Hermolai: Patavii latinas literas didicit (13), & acerrimum ingenium diſciplinis gravioribus imbuit. Redux Venetias Græcæ linguæ inſtitutiones accepit ab Emmanuele (14) Chryſolora, qui primus has retulit in Italiam. Vir eloquentiſſimus, in gerenda Republica ſummis honoribus functus eſt, præfectuſque cum imperio copiis in Continente Veneto, Brixiam ab hoſtium armis, & inſidiis non ſemel aſſeruit.

Lega-

(1) Porcell. in Act. Coll. Juriſconſult. (2) lib. de Famil. Illuſt. (3) in Ferraria aurea P. 1. p. 40. (4) T. 2. p. 1051. & ſeq. (5) T. 2. p. 391. n. 103. (6) nov. in Matric. Scholar. (7) in Characteriſmo Gym. Pat. (8) Epiſt. ad Molinum de Vetuſtat. Pat. (9) in Præf. ad Verſion. (10) p. 10. (11) Elog. Juriſc. Colleg. Veron. p. 71. 72. (12) Inſcr. Pat. p. 551. n. 16. (13) Ipſe Ep. lib. 3. Ep 18. (14) Idem lib. 8. Epiſt 3.

Legationes pro patriâ ſæpiſſimè ſuſcepit, ac geſſit apud ſummos Principes; harum celeberrima fuit ad Franciſcum Mariam Vicecomitem Inſubriæ Ducem, quo coram dum facundiſſimè perorabat, fertur memoria excidiſſe dictorum (1), ac dicendorum infeliciter adeò, ut ne verbulum quidem addere jam dictis magnificè potuerit. Ab hoc ſe poſtmodum infortunio redemit feliciſſimè diſertus domi, foriſque ad profundam uſque ſenectutem, quâ preſſus, dicitur miro modo ad idem vitium memoriæ ita relapſus, ut omnium, quæ didicerat, penitùs oblivisceretur; præſertim linguæ Græcæ, quâ maximè præſtabat, quamque uſque adeo deinceps ignoravit, ut vix eſſet credibile, illum ejus ullam unquam notitiam habuiſſe. Obiiſſe creditur perſenex Venetiis circa annum MCDLXXXII. Sepultus eſt ad D. Franciſci in Vinea intra familiæ ſacellum D. Joanni Baptiſtæ ſacrum, ubi hoc legitur epitaphium

Franciſco Barbaro Equiti Procuratorique D. Marci
Militiæ literarumque ſplendore inſignito, multiſque
Magiſtratibus, Legationibus, & Præfecturis innocentiſſimè functo, ac de Patria vel ob liberatam Brixiam
benemerito
Franciſcus Pronepos poſuit.

Pauca ſcripſit, ſed ea optimæ notæ, magnique pretii. Sunt autem

De Re Uxoriâ libri II.
Epiſtolarum ad diverſos libri XVI.
Orationes multæ.
Latinè vertit ex Plutarcho, vitas Ariſtidis, & Catonis.

XXXVI. PAULUS MAUROCENUS filius Zilii patricius Venetus in albo ſtudentium Venetorum (2) ponitur ad annum MCDXXXI. quo tempore hìc ſe ſcientiarum ornamentis inſtruxit, claruitque deinceps inter ſapientiſſimos immortalis Reipublicæ Senatores. Familiariſſimus fuit Beſſarioni Cardinali Nicæno, & Græcarum literarum peritus non mediocriter. Habui enim inter multas, quas excerpſi tanti Cardinalis Epiſtolas, unam atque alteram, quâ illi commendat Græcos viros, qui ſumptibus ejus alebantur Patavii ad latinam facundiam. Vixiſſe creditur uſque ad an. MCDLXXXII. Vir ſapientibus ævi ſui venerabilis; nam eum ſic appellat citatus Beſſario: ἐν σοφίᾳ, πάνυ, καὶ τῶν καθ᾽ οἱ φρονιμώτατων αἰδέσιμος. Multa ab eo fuiſſe conſcripta, eodem teſtimonio comprobatur. Sic enim eum Beſſario idem brevi elogio proſequitur: ἃ πολλά σοι γεγραμμένα τοῖς τυφλοῖς εἰς φῶς ἀνάγει, καὶ ἐν τρυφῇ ἐστὶ τοῖς θεορρήμοσι. Quæ ſcripſiſti multa, & cæcis ingerunt lumen, & divina loquentibus ſunt in deliciis. Reſpicere videntur hæc verba librum à Mauroceno editum adversùs Judæos hoc titulo: *De æternâ temporalique Chriſti generatione, in Judaicæ improbationem perfidiæ, Chriſtianæque Religionis gloriam divinis enunciationibus comprobata ad Paulum II. Pont. Max.* Manuſcripta ejus Opuſcula tria recenſet Præfatio ad Hiſtoricos Venetos laudata (3). Primum ad Gregorium Hittemburgum. Secundum ad Marcum Barbum Cardinalem. Tertium ad Cichum Simonettam Ducalem Conſiliarium Mediolanenſem. Agit autem in his de Re Venetâ, quam validiſſimè tuetur, & elegantiſſimè illuſtrat. 1482

XXXVII. FEDERICUM DE CLUNIACO Cardinalem patre Gullielmo Domino de Monteleone, & de Raigny natum apud Æduos, imbutumque liberalibus diſciplinis ad juriſprudentiam aluit Patavinum Gymnaſium, teſte Oldoino (4). Is deinde militavit eidem ſcientiæ in Ferrarienſi lycæo, undè progreſſus, dum veteres Magiſtros, quos audierat Patavii, traductos Bononiam proſequitur, ab iis ibi Doctoris accepit inſignia. Inde in patriam redux, eum aliquandiu ſe ſuis doctiſſimum, & eloquentiſſimum comprobaſſet, ex virtute ſingulari Philippo Bono Burgundiæ Duci commendatus, & à Pio II. Protonotarius dictus, in curiâ Burgundicâ, & in ordine Velleris Aurei Cancellarius renunciatus eſt, mox & Tornacenſis Epiſcopus an. MCDLXXVIII. In ea dignitate memor dilectiſſimi ſibi Patavini Gymnaſii fertur ad hoc ſcripſiſſe officioſam Epiſtolam, cujus eam partem Salomonius recitat ex Miſcellaneis Pignorii (5), qua pollicetur ingentem pecuniam ad extruendum Patavii ſtudioſorum collegium, quod ab illo Tornacenſe dictum eſt. Amorem & gratiam præclaris officiis meruit, tum apud Maximilianum Cæſarem, cujus filiam Margaritam Auſtriacam undâ ſacra Baptiſmatis expiavit, tum præſertim apud Burgundicos Duces, quorum nomine Legationes obiit amplif- 1483

(1) Pignor. Ep. ad Molin. (2) Porcell. not. in Matric. Schol. (3) p. 10. (4) ad Ciaccon. T. 3. p. 79.
(5) Inſcr. Gym. in Miſcell.

ampliſſimas ad Reges Gallos, & Anglos, & ad Pontificem Paulum II. à quo Purpuratis Patribus adſcriptus, non tamen Purpuram conſecutus eſt, quòd Pauli obitus interceſſiſſet; caruitque honore illo ex Extravaganti Eugenii IV. per annos novem, ad annum ſcilicet MCDLXXX. quo eum Sixtus IV. in ſacrum Collegium cooptavit, titulumque cooptato contulit S. Vitalis, mox & S. Mariæ in Domnica. Raptus è vivis eſt repentina morte an. MCDLXXXIII. Nonis Octobris. Conditus ad S. Mariæ de Populo cum epigraphe brevi, quam dabit Oldoinus (1).

1484 XXXVIII. LUDOVICUS DONATO patricius Venetus longè alius ab eo eſt, qui pertinet ad ſæculum XIV. nec benè cum hoc à Salomonio (2) confunditur ex Pignorio. De Seniore illo dicemus inferiùs, ubi de claris Alumnis Artium. Hic juriſconſultis præclariſſimis adſcribendus eſt. Apud nos diſciplinas omnes ad cenſum retulit ſapientiæ ſuæ, ſeque inſtitutionibus imbuit humanioris literaturæ, Philoſophiæ & Juriſprudentiæ. Nam ipſe ad Joannem Baroccium deceſſorem ſuum ſcribens (3) hos nominat præceptores ſuos Patavii Antonium Picenum Bergomatem Rhetorices, Cajetanum Thienæum Philoſophiæ, Legum Alvarotum, Maurocenum, Socinum Profeſſores clariſſimos. Diu verſatus in aula Romana, atque inter contubernales receptus à Petro Barbo Card., qui deinde Paulus II. fuit, maximè placuit iis, qui tunc imperabant, Antiſtitibus Maximis, Nicolao V. Caliſto III. & Pio II. His ſedentibus, multa edidit doctrinæ, ac religionis orthodoxæ monumenta. Edita ſunt typis Zachariæ Calliergii Romani, quæ vidimus quatuor opuſcula adversùs Orientales, *de Proceſſione Spiritus Sancti; De Purgatorio; De Azymo & fermentato; De Poteſtate Romani Pontificis*, quibus adnectitur *Diſputatio contra Bohemos de Euchariſtia ſub una ſpecie à laicis, & Sacerdotibus cùm non ſacrificant*. Omnia Pio II. nuncupantur, laudanturque ſummoperè à Beſſarione Cardinali (4). Scripſiſſe eum etiam *in Magiſtrum Sententiarum Commentarios*, quos non vidimus, teſtatur ex Trithemio (5) Ughellus (6); traditque inſcriptos Paulo II. Ab hoc Ludovicus Joanni Baroccio ad Venetam Eccleſiam tranſlato ſuffectus, Bergomas Epiſcopus dictus eſt an. MCDLXV. habitæque ſunt ab eo tunc nobiliſſimæ quædam *Orationes* in cœtu Cardinalium, quarum duas dumtaxat vidimus, editas iiſdem, quos proximè laudavimus, typis, dicataſque præfixa longa Epiſtola Joanni Baroccio deceſſori ſuo, in qua de ſe, rebuſque à ſe geſtis, & ſtudiis intumet glorioſè. Altera eſt adversùs ignaviam Chriſtianorum, ſacrum in Turcas Bellum detrectantium, altera ejuſdem argumenti quidem eſt, ſed latiùs ignaviæ hujuſmodi mala proſequitur, ac doctè, & eleganter probat, ſummi criminis id inſtar eſſe, cùm in cauſa ſit, tum tot cædium in Illyride per ea tempora patratarum, tum religionis Chriſtianæ peſſundatæ in tot provinciis Turcarum imperio ſubjectis, tum etiam impendentium malorum, quæ certò certiùs Italiæ eventura prædicit, ni remedium deproperetur. Multa egregiè ac utiliter ab eo Bergomi geſta recenſet Ughellus (7), & poſt hunc Coletus ex Guerino (8), quæ apud hos leges. Ex his clarus inter Bergomates Epiſcopos, poſt annos ferme XX. ab inito Magiſtratu, obiit in Eccleſia ſua an. MCDLXXXIV.

1485 XXXIX. De PETRO FOSCARO Card. diximus, ubi de magnis noſtri Gymnaſii Cancellariis: aliqua hìc de eodem perpauca ex Oldoino (9), quæ, ſi quid ibi ex monumentis Patavinis peccavimus, corrigant. Ex Primicerio S. Marci Apoſtolicus Protonotarius an. MCDLXXVII. non ſanè Diaconus Cardinalis, ut alibi diximus, ſed ut è Diario Sixti IV. Presbyter Cardinalis S. Nicolai inter Imagines renunciatus eſt. Inde Patavii Pontifex ſedit ab an. MCDLXXXI. ad obitum, quem ſubiit an. MCDLXXXV. XVIII. Kal. Septembris, non Romæ, ut refert Ciacconius, ſed ad Balnea Viterbii. Cadaver delatum Romam, conditum eſt ad S. Mariam de Populo.

CAPUT VII.

Bernardus Juſtinianus. Chriſtophorus Lanfranchinus. Marcus Barbus Card. Innocentius VIII. P. M. Ardicinus à Porta Card. Coriolanus Cippicus.

1489 XL. BERNARDUS JUSTINIANUS patricius Venetus S. Laurentii Primi Venetiarum Patriarchæ ex fratre Leonardo Eq. & D. M. P. nepos, vir fuit, ut omnes norunt,

(1) loci cit. (2) Inſcr. Gym. in Collect. (3) Ep. nuncupat. (4) Ep. 2. ad Philantrop. (5) de Script. Eccleſ. (6) T. 4. p. 484. n. 57. (7) loc. cit. (8) Add. ad Ughell in eum loc. (9) T. 3. p. 69.

norunt, literatorum hominum ſui ſæculi facilè princeps. Humaniores literas in patria didicit, ſeveriores Patavii diſciplinas exhauſit, ut refert Tomaſinus (1), tanti viri laudes complexus elogio, ex iis, quæ de ejus geſtis fusè & eleganter expoſuit integro commentario Antonius Stella Venetus. Summus & Rhetor, & Philoſophus, & Jureconſultus, ubi Rempublicam capeſſivit, inter Venetos Senatores ſingulari famâ virtutis inclaruit. Præclariſſimas legationes obivit, ex quibus auctus equeſtribus ornamentis præfuit Patavio Præfectus an. MCDLXIX. mox etiam ad Purpuram Marcianam pervenit, in quâ vivere deſiit an. MCDLXXXIX. VI. Idus Martii. Scripſit latinè *Vitam S. Marci Evangeliſtæ, & de lipſanis ejus translatis Venetias*. Ex utroque Opere non admodum placet Philologis Criticis: neque ipsâ traditionum vulgarium præjudiciis obnoxius eſt.

Vitam Sanctiſſimi patrui ſui Laurentii Juſtiniani.

Libros Hiſtoriarum XV. de Origine Urbis Venetæ, rebuſque ejus ab ipſa condita ad quadringenteſimum uſque annum, hoc eſt ad conſtitutam in Rivo Alto Veneti Principis dignitatem, imperante Angelo Participario. Utrumque hoc Opus elegantiſſimum laudatur ab omnibus. De hoc viro celeberrimo, & ſcriptore nitidiſſimæ latinitatis plura lector curioſus agnoſcet ex geſtis ejus per laudatum Stellam expoſitis, & ex V. cl. Apoſtolo Zeno noſtro (2).

XLI. CHRISTOPHORUS LANFRANCHINUS, Comes & Eques, nobilis Vero- 1490
nenſis, à prima ætate liberalibus diſciplinis operam dedit Bononiæ, claruitque adhuc juvenis ex elegantiſſimâ oratione habitâ in nuptiis Gherardi Bevilacquæ, & Conſtantiæ Bentivolæ. Juriſprudentiam quoque ibidem attigit; verùm revocatus Patavium à legibus Venetis, hic & curriculum ſtudiorum abſolvit, & lauream in utroque jure conſecutus eſt: poſt quam reverſus Veronam Juriſconſultorum Veronenſium facilè princeps fuit declinante ſæculo XV., carus etiam, ac potens conſiliis ſeu Reſponſis plurimis editis apud Fridericum III. Cæſarem, alioſque Principes maximos. Scripſit librum doctiſſimum *de jure præcedendi Doctorum, & Militum*, quo nomine viros ordinis Equeſtris ſignificat. Primas autem concedit Doctoribus, validiſſimis ſed & acutiſſimis rationibus; ſtylo tamen barbaro, & lutulento, in quo doctrinam laudes, elocutionem deteſteris. Sumptuoſus, locuples, ac venerabilis omnibus, ſed enim piâ largitate, ac munificentia erga res ſacras glorioſior in patria mortalitatem explevit circa finem ſæculi ejuſdem, anno, ut creditur, MCDXC. Laudatur à Panvinio (3), Curtio (4), & Puteo (5): ex quibus hæc pauca decerpſimus.

XLII. MARCUM BARBUM Cardinalem patricium Venetum Patavinum lycæum 1490
bonis artibus enutrivit, & ad laurum juriſprudentiæ provexit, ac docuit, quod ipſe profitetur (6), ex norma Canonum vivere, atque illud habere pro comperttiſſimo, Eccleſiaſticas opes ubicunque ſint, non eſſe privati uſus, ſed publici. Romam profectus, apud conſobrinum, vel potiùs fratruelem Petrum Barbum Cardinalem inter contubernales vixit, donec is Vaticanas infulas induit Paulus II. Pontif. Max. Ab hoc Vicentinus Epiſcopus renunciatus, mox Aquilejenſis Patriarcha Ludovico Cardinali ab Arena Mediarotæ ſuffectus eſt, tandemque adſumptus ad Purpuram an. MCDLVII. titulum habuit S. Marci, ut ex Contelorio tradit Oldoinus (7). Vir fuit moribus, & doctrina clariſſimus. Quippe habita Synodo diſciplinam Eccleſiaſticam à corruptelis abſtinuit. Miſſus ad Principes Tranſalpinos Legatus à Latere egregia dexteritate Reges Pannoniæ Sarmatiæque Cæſari conciliavit pace firmata, aliiſque rebus graviſſimis feliciter procuratis, quas prolixè idem Oldoinus proſequitur (8). Congeſtas pecunias, & res ſuas ferè omnes erogavit in pauperes, quos etiam tabulis extremis hæredes inſtituit, uſus dicto ſapientiſſimo, ac planè divino: ad locum, undè flumina exeunt, revertantur: ut quod Canones jubent, ſacrati Deo homines, rejectis interpretum aſſentationibus, tandem intelligant, opes Eccleſiæ, quibus pingueſcunt, patrimonia pauperum eſſe. Deceſſit Romæ V. Idus Martii an. MCDXC. ex inſcriptione ſepulcrali ad D. Marci, quam leges apud Oldoinum eundem. Laudatur ex doctrina ab omnibus penè dixerim doctis hominibus ætatis ſuæ. Scripſit

De Cælibatu libros II.

Epiſtolas plures, quibus Panuinius uſus eſt in conſcribenda Eccleſiaſtica Hiſtoria.

Orationes aliquot, in quibus ea præſertim commendatur, quam habuit ad Cœtum Cardinalium, cum rediit à Legatione Pannonica.

(1) in Append. Annal. lib. 2. (2) Diarii Literat. T. 19. à p. 364. (3) Antiq. Veron. lib. 6. (4) lib. 15. hiſtor. (5) Elog. Juriſconſult. p. 100. 101. (6) Ep. ad Feliar. Card. Nicæn. (7) ad Ciaccon. T. 2. pag. 1096. (8) ibid. p. 1106.

Digitized by Google

Latinè reddidit *Reſponſiones Gennadii Patriarchæ Byzantini ad Mahometum Turcarum Imperatorem*.

Vertit quoque partem *libri de Divinis nominibus*, qui falsò tribuitur Areopagitæ.

1492 XLIII. INNOCENTIUS VIII. Alumnorum noſtrorum clariſſimus, ante Pontificatum JO. BAPTISTA CIBO, Januæ in Liguriæ metropoli natus eſt nobiliſſimo genere, de quo, ejus origine, vetuſtate, titulis, & honoribus videnda ſunt, quæ congerit latè Oldoinus (1), ex quo, quæ hic tradimus, damus. Annus ejus natalis ſuit MCDXXXII. Pater Aaron, qui diu inter Alſonſi Regis Neapolitani miniſtros primarios Prorex utrique Siciliæ præſuit. Neapoli etiam poſt Regis Alſonſi, & Aaronis patris obitum Joannes Baptiſta vixit inter familiares Ferdinandi Regis, atque humanioribus literis operam dedit, quas mox ut ubetiùs addiſceret, ac ſeverioribus diſciplinis conjungeret, Patavium venit; atque hic emenſus ſtudiorum curriculum Romam profectus eſt. Ibi diu contubernalis Philippi Calandrini Card., qui Nicolai V. frater fuit, hujus ope & amore per omnes gradus Eccleſiaſticos ad Epiſcopi titulum pervenit, inanem ſanè, ſed ad parandos honores idoneum. Præfectus deinde eſt Savonenſi Eccleſiæ à Pio II., ſibique virtute, ac modeſtia, & morum ſuavitate Cardinalem Roboreum S. Petri ad Vincula devinxit adeo, ut is Sixtus IV. Pontifex renunciatus eum ad inſulas Melphitenſes leviores, & pinguiores tranſtulerit an. MCDLXVII. deinde Cardinalium collegio adſcriptum an. MCDLXXIII. titulo S. Balbinæ, nec diu poſt S. Cæciliæ prefecerit. Decreta ei ſtatim eſt Legatio Germanica ad pacandos Cæſarem, & Matthiam Corvinum Pannoniæ Regem. Eam tamen haud iniit; nam Sixtus, ab urbe diſcedens, non alium agendis vicibus ſuis magis idoneum duxit, eumque ſui abſentis Vicarium in urbe reliquit. Ea ille provincia tam ſanctè, tam prudenter, ac fortiter functus eſt, ut ex illa ſplendidiſſimam ab omnibus laudem reportaverit: factumque ſit, ut noviſſimè anno MCDLXXXIV. mortuo Sixto, quinque, ac viginti Cardinalium ſuffragiis, Juliano Roboreo, & Roderico Borgia annitentibus, ex Presbytero S. Laurentii in Lucina, IV. Kal. Septembris, Pontifex Maximus Innocentius VIII. fuerit appellatus. Quid in Pontificatu geſſerit, & longum inſtituto noſtro ſit, & ſupervacaneum referre, cum quidquid illud fuit loquatur hiſtoria communis, proſequanturque fuſiſſimè Panvinius (2), Ciacconius (3), & alii, & ex his Oldoinus (4). Deceſſit Romæ VIII. Kal. Auguſti an. MCDXCII. ætat. LX. Pontificatus VII. Menſ. X. Die XXVII. Cadaver ejus ſepulcro æreo tegitur in baſilica Vaticana.

1493 XLIV. ARDICINUS A PORTA ſenioris Ardicini, qui ſub Martino V. ipſe quoque Cardinalis floruit, nepos, Novariæ natus, ibi humanioribus literis excultus eſt. Inde excitus famâ Antonii Roſelli, cùm illi ſe comitem adjunxiſſet, cum eo Patavium venit; atque hic juri Pontificio ſedulam operam navavit. Teſtatur id ipſe in epiſtola ad Jaſonem Maynum, quam hiſtoriæ ſuæ attexit Thomas Diplovatacius (5). Idipſum confirmat Continius ad Rubricam Decretalium de Religioſis Domibus (6) hiſtoricè enarratis, ubi refert, Ardicinum, quem videtur incurioſè confundere cum Seniore, adeo delectatum fuiſſe montanâ in collibus Euganeis Camaldulenſium ſolitudine, ut cum legibus addiſcendis vacabat Patavii, nobilis adoleſcens, ſæpè ad montem ſexto ab urbe lapide diſtantem adiret, ibique apud Eremicolas animum relaxaret. Hunc erga religioſam ſolitudinem amorem Ardicini ea, quæ ſequuntur, planè conſtituunt. An in hoc Gymnaſio laurum Juriſprudentiæ deſtinatam aſſecutus ſit, nos certè latet. Ex citatis, aſſertiſque ab Oldoino (7), Doctoris inſignia Ticini fuerit conſecutus. Claruit deinceps inter doctiſſimos tanta cum ſapientiæ, ac probitatis famâ, ut eum concives ejus adhuc juvenem, habere Antiſtitem exoptarint. Vices tamen geſſit Archiepiſcopi Florentini, eaſque gerebat ſub Paulo II. tantâ in obſequio ſedis Apoſtolicæ conſtantiâ, & fortitudine, ut minaciſſimum Pontificis ejuſdem edictum, quod *Monitorum* vocant, adverſus Florentinam Rempublicam foro affigere, atque etiam evulgare, non dubitaverit. Sixtus IV. eum Alerienſem in Corſica Epiſcopum dixit, ac rei beneficiariæ magiſtratui, qui vulgò *Dataria* dicitur, præfecit an. MCDLXXV. delegavitque ad plures Eccleſiaſticæ ditionis civitates Adminiſtratorem: mox iterum Legatum juſſit ad Pannoniæ Regem Matthiam, & Fridericum III. Imperatorem pro pace, & fœderibus componendis; quæ ille felicitate mirabili ſanxit. Ex iis reverſus, in curia Romanâ penè non ſupra omnes inclaruit; deſtinabaturque à Sixto ad Purpuram, quam, eo è vivis erepto, ab Innocentio VIII. recepit. Ea auctus, ac paululum à turba perſtrepentium negotio-

(1) ad Ciaccon. T. 3. p. 90. (2) Vit. Innoc. VIII. (3) in eadem. (4) ibid. ad p. 123. (5) lib. de clar. Juriſconſult. ſui Temp. (6) lib. 1. poſt textum. (7) Tom. 3. p. 146.

negotiorum ſemotus, ad ſolitudinem, quam olim deperierat, animum convertit, tantiſque precibus apud Pontificem egit, quò ſibi receptæ Purpuræ miſſio fieret, dareturque poteſtas, non, ut quidam apud Oldoinum putat (1), ingrediendi Religionem Minoritarum de Obſervantiâ, ſed, ut conſtat ex Epiſtolâ Leonelli (2) Chieregati ad Cardinalem Zenum, divertendi ad Eremum Camaldulenſium; ut quamvis invitum Pontificem expugnaverit. Jamque ad colles Euganeos, optatamque, ac dilectam ab adoleſcentiâ quietem iter direxerat, cùm veniæ factæ pœnitens Pontifex miſit, qui eum ab itinere ſuſcepto retraheret. Paruit vir optimus ægrè, ut ex ejus epiſtolâ ad Innocentium de hoc ipſo ſcriptâ non ſine lacrymis manifeſtum eſt; paruit tamen, reſumptâque purpura ex obſequio, ſe iterum in ambages aulæ, ac negotiorum anfractus, ne non pareret, injecit, At eum inde tanta mœſtiria intercepti deſiderii cepit, ut brevi Romæ deceſſerit ſub Alexandro VI. an. MCDXCIII., ad D. Petri in Vaticano cum elogio ſepulcrali conditus à clientibus, quos teſtamento hæredes dixit.

XLV. CORIOLANUS CIPPICUS nobili genere Tragurii natus, & cliens Moceni- 1493
cæ gentis, ut eum appellat Marinus Becichemus epiſtolâ ad Coriolanum ejus nepotem, diſcipulum ſuum. Diu vixit Patavii, & hic ſe diſciplinis omnibus imbuit. Signatur enim in albis Gymnaſticis (3) Dalmatarum quinquies intra an. MCDXLV. & MCDLIII. Doctor utriuſque juris regreſſus Venetias, ibi aliquandiu glorioſè reis patrocinium impendit, actor quoque civilium cauſarum. Verùm ex infirmitate, cùm voce ac lateribus fuiſſet deſtitutus, ſe literarum ameniorum, cultuique præſertim latinitatis addixit. Familiariſſimè uſus eſt M. Ant. Sabellico, qui eum primùm exiſtimat inter Dalmatas latinè, nitidè, atque eleganter ſcripſiſſe. Obiiſſe videtur in patria: annum ejus emortualem præfatio (4) ad hiſtoricos Venetos ſignat æræ communis MCDXCIII, ætatis LXVIII. ex Epiſtola Aloyſii Cippici ejus filii, Epiſcopi Famaguſtani, Multas ad hunc Epiſtolas dedit Sabellicus, cui etiam Poemation inſcripſit. Ipſe Cippicus comes Petri Mocenici Veneti imperatoris, mox Principis, ejuſdemque cliens familiariſſimus, patroni geſta deſcripſit caſtigatiſſimè, atque, ut oculatus teſtis, veriſſimè; eaque libris tribus complexus eſt pluries editis,

C A P U T VIII.

Angelus Pacius. Hermolaus Barbarus. Franciſcus Curtius Senior Alexander Baſſianus. Georgius Summoriga. Joannes Bertachinus. Pandulfus Collenutius.

XLVI. ANGELI PACII Ariminenſis familiam nobilem virorum literis armiſque 1494
præſtantium gloria claram, & numeroſa civitate Venetiis, Patavii, Veronæ, Vicentiæ donatam, multis celebrat extra propoſitum Riccobonus (5). Angelus declinante ſæculo XV. Juriſconſultus maximi nominis Patavii juriſprudentiæ ſtuduit, atque hìc juris utriuſque inſignia conſecutus eſt an. MCDL. Vixit deinde hìc diu & in jus civitatis adlectus eſt, quippe multa in agro Patavino poſſedit, quemadmodum & in agris Veronenſi, & Vicentino, pari jure apud has urbes in civem cum ſamilia receptus. Muneribus publicis functus eſt, poſtquam ſibi, & poſteris virtutis, ac nobilitatis merito Venetam civitatem Senatuſconſulto comparavit: fuitque adſeſſor in præcipuis Veneti imperii urbibus Patavii, Veronæ, Bergomi, Brixiæ, Ravennæ, quæ tunc Venetis ſuberat. Clarebat maximè ætate Alexandri Tartagni, apud quem in Reſponſis honorifica ſæpè ejus mentio eſt, ſæpius de eo Sabellicus: nec minore cum laude memoratur à Vincentio (6) Ruino Ariminenſi, Hieronymo (7) Rubeo, Franciſco (8) Sanſovino, Joanne (9) Boniſacio, ex quibus Riccobonus laudatus. Deceſſit Venetiis circa an. MCDXCIV. octogenario major. Edidit

Reſponſorum Volumina III.

Hiſtoriam de Bello Cenomano, ſeu de rebus geſtis Venetorum ſuo tempore, præcipuè contra Philippum Vicecomitem Inſubriæ Ducem uſque ad fœdus ictum cum Philippo ipſo, & Franciſco Sfortia ejus genero an. MCDXLI.

XLVII. HERMOLAUM BARBARUM Alumnum Gymnaſii noſtri fuiſſe non una
ejus inſcriptio gloriabatur, ſi credimus Lignamineo (10). Ut hæc defuerit, & jampridem 1494
obliте-

(1) ibid p.128. (2) ad Zenum Card. 2. (3) apud Porcell ad Matric. Schol. (4) p. 12. (5) Gym. lib. 6. c. 5. p. 130. 131. (6) lib. de laud. Patriæ. (7) in Hiſtor. Ravenn. ad an. 1445. (8) de Nobil. Ital. Civit. in Arimino. (9) Hiſt. Tarviſ. lib. 12. (10) Coll. Inſcr. Gym. apud Salom. in collect.

obliterata ſit, hoc loquitur libellus theſium ab eo editarum, propugnatarumque, tum in cœnobio S. Auguſtini (1), ubi Philoſophiam Peripateticam tutatus eſt, tum in ipſo Gymnaſio, in cujus ſinu legum effata per triduum defendit, In utraque facultate Doctor, Philoſophus, & Juriſconſultus, Venetias regreſſus nondum accepta virili toga, jam ex editis lucubrationibus clarebat in Republica literaria, æquabatque doctiſſimos, ex iis, quæ plura vulgaverat, præcoci ſapientia, eruditione in flore ætatis nondum majoris planè mirabili. Hanc neque poſtbabuit magiſtratibus, quos, gerendæ Reipublicæ admotus, geſſit, neque præhabuit; ita coluit, ac bono publico ſervire juſſit, ut omnes agnoſcerent, meminiſſe ſe filium eſſe Zachariæ viri doctiſſimi, Senatoris ampliſſimi, Equitis & D. M. Procuratoris. Perfunctus urbanis in patria Magiſtratibus egregiè, ad curiam Romanam Orator Venetus miſſus eſt, vix annum trigeſimum egreſſus, & jam Scriptor, authorque librorum, quorum fama Europam pervaſerat. Hinc Romæ admirationi omnibus fuit, omniumque ad ſe ſtudia convertit, præſerrimque Innocentii VIII. Pontificis. Hujus erga Hermolaum amor, illi exitio fuit. Nam Oratorem Venetum, neque ſcientem, neque petentem repentè Aquilejenſem Patriarcham Marco Barbo mortuo ſuffecit, & publico ſtatim præconio in cœtu Cardinalium ſanxit: id quod cùm Reipublicæ Venetæ mali eſſe exempli viſum eſſet, & legibus, queis ſanctiſſimè utitur, inimicum, petiit, ut factum infectum declararetur; cumque Pontifex propoſiti tenax reſpondiſſet, acta in cœtu Purpuratorum laudataque, abrogari, revocarive minimè poſſe, Hermolaus poſſeſſione dignitatis à Senatu multatus eſt, damnatus exilio, proſcriptuſque. Eum alii deinceps inglorium vixiſſe dicunt, & in ærumnis miſerrimè deceſſiſſe, caruiſſe quoque ſepulcro, nec ſatis compertum eſſe, quam in foveam vel cloacam projectus fuerit. Ita (2) Bodinus, & Rapinus (3), quos Teiſſerus (4) ſequitur, addens, eum adeo addictum fuiſſe Philoſophiæ Peripateticæ, ut cacodæmonem invocaverit, quò veram Philoſophi Sententiam intelligeret in Græca voce ἐντελέχεια. Alii referunt, eum ab Innocentio VIII. adſcriptum Collegio Cardinalium ex peſtilentia Romæ mortalem eſſe deſiiſſe, ſepultumque ad S. Mariæ de Populo ſine titulo, an. MCDXCIII. vel potiùs ſequenti, ætatis XLI. Ughello (5), & Teiſſero (6) XXXIII., veriùs quadrageſimo non integro. Hos ſequitur Oldoinus (7), qui Hermolaum Cardinalibus ab Innocentio VIII. creatis annumerat, & tamen inter aſſerentes, & negantes dubitat, ne fortè ex illis Cardinalibus fuerit, quos Pontifices, ut ajunt, in pectore retinent. Laudatur à Voſſio (8), paſſimque ab omnibus, qui poſt Jovium (9) Doctorum virorum Elogia ſcripſere. Clarus eſt & immortalis ex operibus editis, quorum ſubjicimus titulos.

C. Plinii Secundi Opera è tenebris in lucem revocata, & caſtigationibus illuſtrata, quod præcipuum Opus Hermolai eſt.
De Cœlibatu libri duo.
Contra barbaros Philoſophos liber unus,
De Re Uxoria & Meretricia.
Quæſtiones Geometricæ,
Convenientia Aſtronomiæ & Medicinæ.
Præcepta Hiſtoriæ conſcribendæ ad Sabellicum,
Compendium Philoſophiæ & Galeni.
Carmina in Paraphraſim Themiſtii.
Præfationes ad Galateum duæ, quarum altera inſcribitur Sixto IV.
Præfatio in Opera Ariſtotelis.
Commentarii cum Paraphraſi in Themiſtium.
Caſtigationes in Pomponium Melam,
Orationes & Epiſtolæ.

Vertit ex Græco *Tractatus Gennadii Conſtantinopolitani adverſùs Turcas. Plutarchi de Iſide, & Oſiride, & quare Oracula deſierint. Quædam falsò inſcripta Areopagitæ nomine. Ariſtotelis Rhetoricorum libros ad Theodecten. Libros Dioſcoridis cum Corollario*, Ediditque *Paraphraſes Ariſtotelis in libros II. Poſteriorum, & Phyſicorum libros VIII. in libros de Anima de Memoria & reminiſcentia, de Somno & vigilia, de Inſomniis, de divinatione per Somnum.* Tanti viri nomen in Cœnotaphii diſticho elegantiſſimè celebratur apud Jovium laudatum (10).

Barbariem Hermolaus, Latio qui depulit omnem
Barbarus, hìc ſitus eſt: utraque lingua gemit.
Urbs Venetum huic vitam, mortem dedit inclyta Roma:
Non potuit naſci, nobiliùsve mori.

Aliud cœnotaphium quoque in eum occinuit Julius Cæſar Scaliger, quod, utpote ſubob-

(1) Tomaſ. in Append. Annal. lib. 2. & in Character. Pignor. Ep. ad Molinum. (2) Dæmoniac. (3) in Meditat. ad Philoſ. (4) in Elog. Thuan. add. Tom. 1. p. 332. (5) in Serie Patriarch. Aquil. T. 5. Jovius Elog. p. 70 (6) ibid. (7) ad Ciaccon. T. 3. p. 145. (8) de hiſt. lat. lib. 3. c. 13. (9) Elog. ibid. (10) d. p. 70.

ſubobſcurum, nec tanti faciendum, quanti illud æſtimant alii, in carminibus Cæſaris ejuſdem, quæ non magni facimus, legendum relinquimus, quemadmodum quæ in laudem viri æternùm victuri ſcripſere alii elegantiſſimè, Pierius Valerianus, & Latomus apud Jovium eundem.

XLVIII. FRANCISCUS CURTIUS Senior ex albis Gymnaſticis hìc, tum politiori literaturę, tum Philoſophicis inſtitutionibus ingenium excoluit: atque unà legibus addiſcendis operam ſtrenuam impendit. Confirmat hoc ipſe, tum in pręfatione tractatus 1495
Monetarum, tum in Epiſtola nuncupatoria Reſponſorum, ubi ſe diſcipulum ſummi Philoſophi Cajetani Thienęi fuiſſe gloriatur: neque ipſa in catalogo diſcipulorum ſuorum pręfixo logicę Thienęus Franciſcum Curtium Ticinenſem honorificè nominat. Natus Ticini Curtià gente nobili, quam Panciroli (1) oriundam Mediolano deſcribit latè, claramque in Italia comprobat Ghilinus (2); curriculum ſtudiorum hìc peregit, ut tradit ex Lignamineo Salomonius. Sed fallitur uterque, cùm neque id conſtet ex actis Collegii, & conſtet, eum in utroque jure doctorem Ticini renunciatum nondum legitimę ętatis, ac ſtatim ad ſedem Juriſprudentię publicam fuiſſe provectum. In ea pręmatura morte defunctus pręmia, quę illi virtus deſtinabat, amiſit. Multa de hoc Juriſconſulto clariſſimo Panciroli (3), quę dum properamus, apud illum videnda relinquimus. Mortalitatem explevit III. Kal. Auguſti anno MCDXCV., ut ex ejus monumento Ticini ad S. Franciſcum colligimus. Jacet ibi cum marmorea effigie, & hoc tetraſticho.

Sacrarum Interpres legum ſanctiſſimus olim
Franciſcus patriæ gloria magna ſuæ,
Quem probitas, quem cana fides, pietaſque decorum
Fecerat, hoc poſitum marmore corpus habet.

Scripta ejus hęc ſunt.

Tractatus Monetarum.
De Jure Fiſci, & Numiſmatibus.
De Sequeſtrationibus, & Sequeſtris.
De Feudis.
De jurejurando propter calumniam.
De poſitionibus, & interrogationibus.
Quæſtiones ſuper ſtatutum, quod extantibus Maſculis fœmina non ſuccedant.
Conſiliorum Volumen.
Additiones ad Practicam Joannis Petri de Ferrariis.

XLIX. ALEXANDRUM MAGGIUM cognomento Baſſianum Patavinum, alumnum Gymnaſii noſtri, undè prodiit Juriconſultus egregius, & Orator eloquentiſſimus, poſteritatis memorię conſecrat Scardeonius (4). Is cauſarum actor in patria primùm, deinde Venetiis pręcipui nominis fuit: aſſedit deinde Pręroribus, in eoque munere ſubjectis Veneto imperio populis fidem probavit ſuam, Ravennatibus prę'ertim, quorum in urbe adſeſſor Bernardi Bembi, quem Petri Card. Bembi patrem inferiùs deſcribemus, vivere deſiit circa an. MCDXCV. Scripſit Opus elegantiſſimum *de Prætoris officio*, teſte Scardeonio eodem, qui copioſum illud, grave, eruditum exiſtimat, utpote ab eo compoſitum, qui de re ſcriberet, quam longa experientiâ vehementer edoctus, & ſciret, & ſciret exponere. 1495

L. GEORGIUS SUMMORIPA nobilis Veronenſis, cujus familiam, plantatâ, ex Georgica Genealogorum arte, Puteus (5) arbore, Veronam deducit è Ducibus Cephaleniæ Andri, & Pari diſſitarum invicem Inſularum, ſtuduit Patavii, ac legum Doctor ad Militiam transfugit, in qua Reipublicæ Venetę ſtipendia meruit, ac militaribus cumulatus eſt dignitatibus, quas apud eundem otiosè notatas invenies. Ad rem noſtram pertinet, ex elegantiſſima Juvenalis Epitome, quam edidit verſibus Italicis, ad deprehendendam Satyrici Poetę ſententiam utilibus admodum. Militabat vir acer, & eruditus dux ſimul & doctor exeunte ſęculo XV. obiitque Veronę circa an. MCDXCVI. 1496

LI. JOANNES BERTACHINUS Firmi natus in urbe, quę Piceni ſuperioris caput 1498
eſt, & in qua nos olim & Rhetoras, & Philoſophos docuimus, Patavii Jo. Franciſcum Capiliſtium, & Antonium Roſellum utriuſque juris conſultiſſimos Profeſſores audivit, ut ipſe teſtatur (6); conſecutuſque doctoris inſignia in prima juventute an. MCDLXV. Senis Joannis Aceti Equitis Prætoris in ea urbe Aſſeſſor fuit (7). Deinde ipſe Prætor Tolentinatibus jus dixit, & muſarum amicus, die Chriſti Servatoris natali, dum ſacris intererat, in eundem Chriſti Natalem elegans decaſtichum ſine calamo extemporalis

(1) de Clar. Interp. lib. 2. c. 119. p. 216. (2) Vol. 1. p. 57. (3) ibid. p. 217. (4) lib. 2. Claſ. 10. p. 241. 242.
(5) Elog. Juriſconſult. Coll. Vero. p. 84. 85. (6) de Epiſcop. lib. 2. q. 25. (7) Bertach. in Indice verb. teſtes deponunt verſ. teſtes per ead. verba.

vates compoſuit, ut ipſe gloriatur (1). Aſſedit poſt hæc Præſidi Florentinorum, quem *Capitaneum* appellabant an. MCDLXX, quo ſcribit (2) terræmotu urbem vehementer fuiſſe concuſſam. Romæ quoque Senatori Urbano additus judex criminalium cauſarum, quem Ulpianus (3) Latrunculatorem vocat, quoſdam capitis damnaſſe ſe, refert. Fani etiam Prætorem fuiſſe, ac Cæſennæ vectigalibus præfuiſſe, ex ipſo conſtat (4). Demum ex operibus editis clarus Advocati conſiſtorialis dignitate in aulâ Romanâ auctus eſt, & in eâ conſenuiſſe videtur; quamvis locus, ac tempus mortis ejus ignoretur, ex conjectura & Romæ, & circa finem ſæculi XV.

1500 LII. PANDULPHUM COLLENUTIUM Piſaurenſem accenſendum eſſe claris Alumnis Gymnaſii noſtri, certum eſt, tum ex actis Collegii Juriſconſultorum (5), tum ex Epiſtola Marci Muſuri, qua Græcas literas ſe Collenutium docuiſſe Patavii ſcribit, tum denique ex ipſo Collenutio ad Herculem Ateſtinum ſcribente de hiſtoriis à ſe conſcriptis, ſeque profitente Juriſconſultum, atque Doctorem, legum inſignibus decoratum à Bartholomæo Cæpolla, quo maximè præceptore gloriatur. De Collenutio multa Jovius (6), ex quibus colliges, eum virum fuiſſe doctiſſimum & eruditiſſimum, ſed ex doctrina ſuperbum, & inconſtantis ingenii, qui raro ſcriptorem, doctoremve aliquem probaret, laudaretque; quique pluribus ſcientiis intentus, ex nimio ſciendi ſtudio, ſuæ famæ par minimè fuerit, quam æquaſſet, ſi quæ multa lectu jucunda & utilia elegantiſſimè inchoaverat, abſolvere potuiſſet. Sed eum, poſtquàm diu nobiliſſimis Italiæ urbibus Prætor fuit, atque orator latinus eloquentiſſimus graviſſimis legationum muneribus functus eſt, Joannes Sfortia tyrannus Piſaurenſium, quem literis deprehenſis offenderat, diſſimulato recenti odio, ex veterum officiorum memoria incautum, & nihil tale cogitantem ad ſe attraxit, ac perfidè detruſit in carcerem, in quo ſtrangulatus interiit circa an. MD.

Scripta ejus hæc typis edita ſunt,

Hiſtoria Neapolitana, ſeu rerum geſtarum à Regibus Neapolitanis libri VI. Italicè in gratiam Herculis Ateſtini Ferrariæ Ducis, qui literas latinas ignorabat.

Defenſio Plinii adverſus Calumniatorem Leonicenum; Opus egregium, & eruditiſſimum latinè,

Dialogus facetus Capitis & Pilei latinè.

Libellus de Vipera latinè,

Liber de Inventione Machinæ Bellicæ, quam Bombardam vocant, vidimus MS. ad eundem Herculem Italicè cum prolixa præfatione. Eum recenſet etiam Leander Albertus,

CAPUT IX.

Jo. Baptiſta Zeno Card. Jo. Michaelius Card. Felinus Maria Sandeus. Leonellus Chieregatus. Ludovicus Podocatharus Card. Antonius Sorianus. Franciſcus Argentinus Card. Oliverius Carafa Card.

1501 LIII. JO. BAPTISTA ZENO Cardinalis patricius Venetus, Pauli II. ex ſorore nepos juris utriuſque doctor prodit ex noſtro Gymnaſio, in quo ab adoleſcentia imbutus eſt bonis artibus, ad quas eum pubeſcentem Cardinalis Papienſis data Epiſtola provocavit, profeſſus has ad illum honeſtandum plus allaturas ornamenti, quàm quæ illi obvenerat à Majoribus Zenonia omnis nobilitas. Nec ſurdo hæc vir ille clariſſimus cecinit; nam reipſa ita in ſacris dignitatibus ſe geſſit, ut planè in iiſdem inſignis rariſſimo nexu nobilitatem generis cum ſapientiæ ſtudiis & morum ſanctimonia conjunxerit. Ex Epiſcopo Vicentino Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Porticu primò, mox Presbyter S. Anaſtaſiæ, demum Epiſcopus Tuſculanus, munus Archipresbyteri geſſit in baſilica Vaticana. Legationes obivit multas, atque ex pluribus ſacerdotiis ditiſſimus, ac præſertim S. Zenonis in agro Veronenſi locuples, ingentes opes Eccleſiaſticas reſtaurandis ſacerdotiorum templis, ædificandis novis, extruendis magnificè ædibus impendit ad quinquaginta aureorum millia. Vivere deſiit Patavii VIII. Idus Majas an. MDI. Teſtamento piis locis totidem millia legavit, longè majorem pecuniæ ſignatæ

(1) Indic. in verb. Chriſti in Natalem. (2) Indic. verb. terræmot. (3) in l. ſolemus ff. de re judici (4) Idem. Indic. verb. Poſitionibus Reſponſio qualis 3. & de Gabell. in princ. & fin. (5) Porcell. in Matric. Coll. Juriſconſult. (6) Elog. p. 92. 93.

Digitized by Google

ſignate ſummam Senatui Veneto, cujus decreto tam munifici Cardinalis cadaver Patavio delatum Venetias, inſigni pompâ humatum eſt in porticu Marcianæ Baſilicæ, impoſito Mauſoleo planè regio ex Senatusconſulto, quod æneum extat cum hac Epigraphe.

Baptiſta Zeno,
Pauli II. ex Sorore Nepoti,
S. R. E. Cardinali meritiſſimo
Senatus Venetus
Cum propter eximiam ejus Sapientiam,
& ſingularem Pietatem
& Munificentiam in Patriam
Quam ampliſſimo legato moriens
Proſecutus eſt M. PP. C.
Ætatis Anno LXII. obiit MDI. Die VIII.
Maii. Hora XII.

Annalibus ejus inferiis ex eodem Senatuſconſulto interſunt quotannis Dux Venetus & Purpurati Senatores cum Oratoribus Principum, habeturque coram his anniverſaria de laudibus ejus Oratio, Plura de eo Petrus Delphinus apud Victorellum (1), & in hiſtoria Petrus Bembus apud Oldoinum (2).

LIV. JOANNES MICHAELIUS Card. patricius Venetus, de quo aliqua dedimus 1503
in magnis Cancellariis Gymnaſii, undè (3) ejus acta præcipua petenda ſunt, Alumnis quoque Gymnaſii adſcribitur, quòd in eo diſciplinis excultus ſit optimis; indeque I.V. D.laureatus, Romamque adoleſcens annorum undeviginti ab avunculo Paulo II. vocatus, dictuſque Protonotarius Apoſtolicus eodem anno Cardinalis Diaconus S. Angeli fuerit renunciatus, anno ſcilicet MCDLXVIII. Præfuit deinde Diaconiæ S. Luciæ in Septiſolio, mox à Sixto IV. Presbyter S. Marcelli, ab Innocentio VIII. Albanenſis primò, deinde Præneſtinus Epiſcopus, & Patriarcha Conſtantinopolitanus, demum Portuenſis Antiſtes electus, Veronenſes ad obitum uſque infulas geſſit, quam ædificiis, ac privilegiis auxit, ut eodem in loco diximus. Deceſſit Romæ an. MDIII., ſepultuſque eſt ad S. Marcelli cum hoc elogio

Joanni Michaelio Patricio Veneto Epiſc.
Portuenſi S. Angeli Card.
Ac Patriarchæ Conſtantinopolitano, Pauli II.
Pont. Max. Nepoti, qui in rebus arduis
Senatoriis, maximèque eloquentia,
Integritate, eminentique ingenio præſtans
Ab Innocentio VIII.
Contra Ferdinandum Regem Neapolitanum
Legatus pacem in magnam
Italiæ quietem compoſuit. Obiit Anno MDIII.
Die X. Aprilis, ætatis verò ſuæ LVII.

LV. FELINUS MARIA SANDÆUS, Canonum celebetrimus & notiſſimus inter- 1503
pres, origine Lucenſis Ferrariæ natus eſt; ibi pater ejus exilium tolerabat. Humaniores literas Patavii didicit, ut ex ipſo refert Maſtajus (4), ibidemque, tum Philoſophiæ, tum Juriſprudentiæ operam dedit. Inde quòd in vitia deflueret, nocturniſque per ea tempora cædibus Gymnaſium funeſtaretur, revocatus à patre Ferratiam, diſciplinis iiſdem perrexit ibidem imbui, præſertimque ſacrâ Canonum ſcientiâ, donec patre in patriam reſtituto, Lucâ Piſas miſſus, in ea urbe ſtudiorum curriculum abſolvit, ac Doctotis infulas induit. Nec diu poſt ad publicum docendi munus adſumptus, in Piſano Gymnaſio Decretalium explanationem profeſſus eſt per annos ferme viginti, ab an. ſcilicet MCDLXIV. ad annum MCDLXXXI. quo ab Innocentio VIII. Romanæ Rotæ Judex

(1) in Addit. ad Ciaccon. (2) ad Ciaccon. T. 2. p. 1113. (3) lib. 2. P. 1. (4) de Celeber. Ital. Univerſ. c. penult. p. 183.

Digitized by Google

Judex, ſeu Auditor renunciatus Romam venit. Fertur vir tantus & Profeſſor tandiu probatus, quod inituris magiſtratum non perfunctoriè adeundum tunc erat, examen adeo timuiſſe, ut in illo lapſaverit; iterandumque illi periculum fuerit, quò certiùs muneri, cui adhibebatur, idoneus cenſeretur. Ab eodem Innocentio Adrienſis & Pennenſis Epiſcopus dictus eſt, tum Referendarius Apoſtolicus, & Vicarius Præfecti Apoſtolici Ærarii, quem Auditorem Cameræ vocant. Demum ao. MCDXCV. Nicolai è Comitibus S. Domnini Lucenſis Antiſtitis auditor fuit, cum ſpe certæ ſucceſſionis; eidemque ſucceſſit an. MCDXCIX. Verùm doctiſſimum ac meritiſſimum virum ſede ſua depulit poſt menſes aliquot Julianus Cardinalis Roboreus, qui Lucenſem Eccleſiam adminiſtrandam ſuſcepit: laborandumque Sandæo fuit, dum in Romanis tribunalibus jus ſuum repetit, imperante Pontifice Alexandro VI. At cum Hiſtoria nos doceat, maximas interceſſiſſe inter Alexandrum Pontificem, & Roboreum Cardinalem inimicitias, probabili conjecturâ ducti colligimus, tandem jus Lucenſis Eccleſiæ ad Felinum rediiſſe. Nam certè ſedebat Epiſcopus Lucæ an. MDI., quo à Franciſco Piccolomineo Cardinali Senenſi Pallium, ſingulariter Lucenſibus Epiſcopis tradi ſolitum, accepit Auguſto menſe. Non tamen diu recuperatam dignitatem tenuit, cum an. MDIII. in Eccleſiâ ſuâ deceſſerit, nondum ſexagenarius. Plura de Felino peculiariùs ad cenſuram Pancirolus (1), quæ apud eum videnda lectori relinquimus. Ughellus (2), ex quo pleraque dicta de Felino deſumpſimus, tradit multa ab eo ſcripta, quæ anecdota ſerventur in Bibliothecâ Canonicorum Lucenſium. Nobis hic interpres celeberrimus Canonum, cæteriſque Juriſconſultis notiſſimus eſt, ac venerabilis ex editis Commentariis in Libros Decretalium, Tituloſque illorum præcipuos, & ex Reſponſis doctiſſimis, quæ Juriſconſultorum omnium teruntur manibus, ac judicio comprobantur.

1506 LVI. LEONELLUS CLERICATUS, ſeu *Chieregatus* nobilis Vicentinus, nobilis itidem eſt inter Alumnos Juriſprudentiæ Patavinæ, è cujus gremio prodiit lauro redimitus, ſeque obſequiis Romanæ curiæ mancipavit. In hac Tragurienſis Epiſcopus renunciatus dicitur ab Ughello (3), cum Tomaſinus (4) eum Arbenſi Eccleſiæ præficiat. Ex utrâlibet Eccleſia translatus eſt ad Concordienſem in Carniâ an. MCDLXXXVIII. ab Innocentio VIII.; cui, reliquiſque Romanis Pontificibus probatiſſimus fuit, habituſque vir juxta doctiſſimus, atque rerum agendarum peritiſſimus: atque idcirco paſſim ad Gallorum Regem, Cæſarem, & Venetos de rebus maximis Legatus miſſus. Laudatur à Politiano (5) mirificè ob ſingularem in re literaria gloriam, quam multis opuſculis editis conſecutus eſt. Ea recenſet Angelus Leonicus (6), ut putamus anecdota, nam quod unum vidimus inſcriptum de officio legati Minoris, quem Nuncium vocant, manuſcriptum fuit. Extat in bibliotheca Patavina S. Joannis ad Viridaria Verſio latina Orationis Nili Theſſalonicenſis Archiepiſcopi de cauſis diviſionis, & diſſenſionis Græcorum à Latinis à Ludovico Clericato conſcripta, quam hujus eſſe non dubitant eruditi, ut laudatus Angelus cenſet. Eam certè viderunt, & tamen diſſimularunt, qui Opuſculum illud Antiſtitis Photiani, quaſi Pythagoricum inventum, & reconditum planè theſaurum ediderunt, indeque ſtultè ſuperbiunt. Meminit Chieregati noſtri Mercatius (7) ad ao. MCDII, cum tamen floruerit in fine ſæculi XV. & initio XVI. obiit enim circa an. MDVI. certè non ante, ut validiſſimè probat Additio ad Ughellum contra ipſum Ughellum, qui eum deceſſiſſe credidit non multò poſt Epiſcopatum Concordienſem, hoc eſt circa annum MCDLXXXVIII.

1506 LVII. LUDOVICUS PODOCATHARUS Card. gente Græcus, nobiliſſimus Cyprius, tum literas minores, tum ſeveriores diſciplinas didicit in Gymnaſio Patavino, ut conſtat ex albo Tranſmarinorum. Ejuſdem Gymnaſii Rector in adoleſcentiâ fuiſſe dicitur, apud Oldoinum (8): quod ego affirmare non auſim, cùm in catalogo Gymnaſiarcharum intra an. MCDXXX. & MDVI. intra quos vixit, nuſquam nomen ejus invenerim; & alioqui pauper, & penè non exul a patriâ Ducumque Monferratenſium ſumptibus in Italia altus, vix par eſſe potuerit gerendo Magiſtratui per ea tempora magnificè ſumptuoſo. Verſatus in aula Romana diu, in eaque ex multiplici doctrinâ Græca & latinâ clarus, Epiſcopus primùm Caputaquenſis, deinde à Secretis Romani Pontificis Alexandri VI. ab hoc in collegium Purpuratorum adſcitus eſt an. MD. Presbyter Cardinalis S. Agathæ in Suburrâ, dictus Nicoſienſis, & Caputaquenſis. Vir fuit Græcorum univerſim, ac præſertim Cypriorum ſuorum amantiſſimus, quos profugos & egentes apud ſe recepit, & aluit, quamvis ipſe non admodum dives. Præfuit

deinde

(1) de Clar. Interp. lib. 3. c. 42. p. 368. (2) Tom. 1. p. 827 528. n. 82. (3) Tom. 5. p. 364. n. 35. (4) Hiſt. Iſtriæ lib. 3. (5) in Epiſtolis. (6) libell. de Viri, & Vitiis cap. ult. (7) hiſt. Vicen. lib. 2. p. 137. (8) ad Ciaccon. T. 3. p. 197.

deinde Archiepiſcopus Beneventanæ Eccleſiæ abſens; nam Romæ vixit Præfectus ſignaturæ Brevium, & ſacellum exeruxit in templo S. Mariæ de Populo, quod Chriſto Servatori dicavit, dotavitque annuo cenſu ad Sacrificium quotidianum, Ibi ſepultus eſt cum elogio. Nulla unquam corporis ægritudine tentatus obijt Romæ an. MDVI. ætatis LXXV., ut habet Ciacconius: alii eum deceſſiſſe tradunt apud Oldoinum (1) Mediolani VIII. Kal. Septembris an. MDIV. dum iter agebat ad Regem Hiſpaniæ.

LVIII. ANTONIUM SORIANUM patricium Venetum ac Venetiarum Patriarcham 1508
cùm ſacris à puero addixiſſent parentes pii, ſimul curavêre ut Patavii bonis artibus addiſcendis inſudaret: jamque ſtudiorum emenſus legitimè ſtadium, legalem laurum reportaverat, deſtinabaturque aulæ Romanæ, cùm repente ad Chartuſianos transfugit, ſeque piæ quieti, placidæ ſolitudini, rerum divinarum contemplationi ſedulò mancipavit. Claruit inter ſuos prudentiâ, & ſapientiâ, quarum cauſâ Senatuſconſulto deſignatus Pontifex patriæ, decreto Pontificis ad ſolium ſacri principatûs aſcendit. Geſſit infulas quadriennio. Deceſſit intra annum ætatis LIII. Chriſti MDVIII. Jacet in templo Chartuſianorum S. Andreæ Venetiis cum hoc elogio.

D. O. M.
Antonio Soriano Patriarchæ Venetiarum,
Antonius Eques Auguſtinus F. S.
Michaelis filii Patruo Benemerito D. M. P.
Vixit Ann. LII. M. V. D. XXIV.
Obiit MDVIII. An. Patriarchatus IV.

Scripſit ex Ghilino (2)
De informatione interiori librum I. *De Solitudine librum I.*
De Vita contemplativa librum I.

LIX. FRANCISCUS ARGENTINUS Cardinalis, matre Veneta, Teutone patre
Venetiis humillimo loco natus eſt. A pio Sacerdote, qui vividum & experrectum in- 1511
genium pueri dilexit, ereptus egeſtati ad ſapientiam exarſit. Inde adſcitus inter familiares Joannis Mocenici nondum Præfecti Venetorum Reipublicæ, Patavium miſſus, & ære patroni altus, ubi variis ſe ſe ſcientiarum, ac præſertim Juriſprudentiæ ornamentis inſtruxit, hinc Doctor prodiit, jamque Venetiis cauſidicorum collegio nomen dederat, cùm per Minoritam quendam affinem matri inter aulicos Joannis Cardinalis Medicei, qui tunc exul agebat Venetiis, receptus eſt. Hunc ſecutus mores hominum multorum vidit, & urbes, paulatimque cœpit in aula Romana maximi fieri. Hæc omnia ipſe permodeſtè profitetur in epiſtola (3), qua librum ſuum de Immunitate nuncupat eidem Cardinali Mediceo, cui grati animi obſequium ſpondet, vel in cineribus victurum ſuis, quòd ejus patrocinio uſa fortuna multa ipſi dederit, ac majora polliceatur. Re ipſa variis auctus Sacerdotiis tandem à Julio II. dictus eſt Concordienſis Epiſcopus non an. MCDXCIV. ut habet Ughellus (4), ex quo multa decerpimus, ſed, ut apertum eſt ex notatis ad ultimam Editionem Ughelli (5), an. MDVI. Fuit ejuſdem Julii Datarius. Demum ab eodem Pontifice inter Purpuratos Eccleſiæ Senatores adlectus Presbyter Cardinalis S. Clementis fuit an. MDXI. quo ipſo anno Romæ deceſſiſſe dicitur in honore breviſſimo. Sepultus eſt in templo S. Mariæ Trans-Tiberim. Corpus Concordiam translatum jacet in æde ſacrorum principe cum epigraphe ipſi ac Joanni fratri & ſucceſſori poſita à Paulo fratre anno MDXXXIV. Edidit ampliſſimum & doctiſſimum commentarium *De Immunitate Eccleſiarum ad eundem Titulum Decretalium.*

LX. OLIVERIUS CARAFA Cardinalis clariſſimus ſæculo XV. & XVI. ſine dubio
Patavii Juriſprudentiæ dedit operam, indeque I. V. D. rediit in patriam. Nam hoc 1511
habent & Quæſtorium album (6), & curiæ ſacræ monumenta, & quod rem clariſſimè conficit, Marci Barbi Card. Epiſtola (7) ad eum ſcripta XII. Kal. Octobris an. MCDLXVII., qua, dum illi gratulatur, ac ſibi datam à Paulo II. purpuram, eundem revocat ad priſtinæ familiaritatis atque amicitiæ memoriam, quam Patavii unà ſtudiis legum inſudantes officioſè contraxerant. Nobiliſſima gente Neapoli genitus filius fuit Franciſci, quem germanum fratrem fuiſſe Diomedis Carafæ Magdaloni Comitis, certum eſt. Infulis juriſprudentiæ ornatus cùm in patriam rediiſſet, Canonicum ſacerdotium

Eccleſiæ

(1) loc. cit. (2) Theatr. Vol. 2. p. 29. (3) in Epiſt. Dedicat. lib. de Immu. Eccl. (4) T. 5. p. 365. n. 40. (5) ibid. not. 2. (6) apud Porcell. in not. ad Matric. Schol. Lignam. & Salom. in Inſcr. Gymn. (7) extat apud Tomaſ. in Append. Annal. lib. 2.

Eccleſiæ Neapolitanæ promeruit; inde Archiepiſcopus ejuſdem Eccleſiæ à Pio II. renunciatus eſt an. MCDLVIII. fuitque unà Præſes conſilii Regii apud Ferdinandum Aragonium, cujus precibus Paulus II. dedit, ut eum in Purpuratorum ſenatum cooptaret anno MCDLXVII. Titulum SS. Petri, & Marcellini Romam veniens obtinuit, ut latè probat Oldoinus (1). Progreſſu temporis præfuit Eccleſiæ S. Euſtachii, mox Albanenſis Epiſcopus, ac Sabinenſis; denique Oſtienſis, & Veletranus, & Cardinalium Decanus fuit. Sub Sixto IV. ad Ferdinandum Regem Neapolitanum Legatus à latere, titulum eundem retinuit in expeditione contra Turcas; in qua multa geſſit feliciter ab Hiſtoriâ communi celebrata, quæ, ob Chriſtianorum diſſidia, ceſſerunt deinceps in nihilum. Variis deinde ſub eodem Pontifice legationibus functus, dexteritate mirabili adventantes adversùs Latium copias Neapolitani Regis exarmavit, pacavitque; cumulatus propterea pluribus ſacerdotiis, & cùm cœnobiorum, tum Eccleſiarum ditiſſimis adminiſtrationibus. Poſt annos viginti Eccleſiam Neapolitanam ſponſam ſuam inviſit, quam & ornavit ampliſſimè, tranſlatis D. Januarii lipſanis, extructoque ſacello magnificè, ex iis, quæ latè à Cardinalium biographis referuntur, & congerit Oldoinus (2). Sub Alexandro VI. unus Cardinalium diu ſine periculo vixit, perrexitque vivendo ſub Julio II. venerabilis omnibus ex pietate in Deum, liberalitate erga pauperes, charitate ac ſtudio literarum, ac literatorum hominum, quorum virtutibus favit, fortunas provexit, labores benigniſſimè fovit: pari ab his officio cultus, iiſque laudibus cumulatus, quas ex parte colligit, citatis plurimis, Oldoinus idem (3): Viſus omnibus eſt Pontificatu ſummo dignus, illumque conſecuturus, ſi Julio ſupervixiſſet. Vivere deſiit Romæ octogenario major XIII. Kal. Febr. an. MDXI. cum annos quatuor & quadraginta Romanam purpuram virtute ac ſapientiâ, præclariſque geſtis illuſtraſſet. Conditus eſt in ſacello D. Thomæ à ſe extructo ad S. Mariam ſupra Minervam, ubi hæc extat epigraphe

Oliverii Carafæ Neapolitani, Ordinis
Prædicatorum Protectoris, rari exempli
Depoſitum. Qui vixit Ann. LXXX.
Menſes X. Dies X. Sacri Senatus Ornamentum
Obiit XIII. Kal. Februarii religioſè, intrepidèque
Magno ſui deſiderio relicto.

Ejus oſſa, inde poſt annos aliquot tranſlata Neapolim, repoſita ſunt in ſacello ab ipſo magnis ſumptibus & impenſis erecto.

CAPUT X.

Franciſcus Brevius. Uriel à Gemmingen. Bernardus Bembus. Pantaleo Calderius. Jo. Dominicus Spazzarinus. M. Antonius Cuccus. Chriſtophorus Longolius.

1514 LXI. FRANCISCUS BREVIUS Venetus I. V. D. in Gymnaſio noſtro renunciatus, Romæ inter celeberrimos Juriſconſultos fuit, & ſub Alexandro VI. (4) Romanæ Rotæ Judex, ſeu Auditor. Ab illo Cenetenſis Epiſcopus ſucceſſor datus eſt Nicolao Treviſano Patavino, viro doctrinâ & moribus perpetuâque innocentiâ probato, ut latè diſſerit Scardeonius, & ex eo Pignotius. Hic poſtquam (5) ſanctiſſimè gregi ſibi commiſſo paſtor accuratiſſimus præfuit, extructo magnificè, dotatoque ſacello, in quo condi poſt obitum voluit, quietis amans in patriam ſeceſſerat, ac munere ſe Pontificio abdicaverat an. MCDXCVIII quo etiam obiit IV. Idus Januarii, vacuamque ſedem Brevio reliquit eodem anno. Is jam ſenex quod reliquum vitæ ſuperfuit, tum ſcribendo, tum ſacra ſubjectum ſibi populum docendo pacatè tranſegit; ediditque *Volumen Paſtoralium concionum in præcipua vitia*, decem, vitio cuique impugnando profligandoque, diſſertationes impendit. Volumen quoque *Moralium quæſtionum ex Jure Canonico*, in quibus latè de Sacramentis, & Officiis Eccleſiaſticis, ac Re Beneficiariâ diſputavit. Obiit an. MDXIV.

1514 LXII. URIELEM A GEMMINGEN prænobilem Svevum notant alba Germanorum ordine

(1) ad Ciacon. T. 2. p. 1098. (2) ibid. (3) ibid p. 1102. 1103. (4) Ughell. T. 5. p. 220. n. 38.
(5) Idem ibid. p. 219. n. 37.

ordine primum an. MCDLXXXIX. anno verò ſequenti Doctorem in utroque jure ſignant Porcellini notæ. Is non alius eſt ab Archiepiſcopo Moguntino hujus nominis & agnominis, de quo Nicolaus Serrarius (1); quique nobiliſſimo genere in Svevia natus I. V. D., & Majoris Eccleſiæ Moguntinæ Decanus in locum Jacobi electus eſt Archiepiſcopus Moguntinus, & Sacri Imperii Septemvir, ſingulari vitæ gravitate, animique conſtantiâ Princeps an. MDVIII. & anno ſequenti inauguratus. Sedit annos IV. Menſes IV. Dies XIV. Obiit an. MDXIV. jacetque in templo Eccleſiæ ſuę (2) cum hac elogio

Urieli de Gemmingen
Archiepiſcopo Moguntino, Principi, Electori
Viro ſingulari, animique conſtantia præclaro:
Qui poſtquàm ſedit Annos IV. Menſ. IV. ætatis ſuæ
Anno XLV. à Chriſto nato MDXIV. V. Idus Febr.
Vitam cum Pontificatu depoſuit.

LXIII. BERNARDUS BEMBUS patricius Venetus, Senator & Eques, Petri Cardinalis pater, Patavii Philoſophiam ac Juriſprudentiam didicit (3), atque ex hac doctor 1519
in patriam laureatus rediit: ibique, tum ſcientiarum harum, tum humanioris literaturæ decora, atque inde gloriam, ut ea tulere tempora, ſingularem adeptus eſt; ut non ſit mirum, ſi non à Sabellico (4) ſolùm, à Politiano (5), & Joanne Caſa (6) eximiè laudetur, verùm etiam à Ficino (7) ſæpè numeretur inter clariſſimos ætatis ſuæ viros, quorum ſæculo ſe vixiſſe, aſpectuque, & alloquio potitum, ſibi tantus Philoſophus gratulatur. Fuiſſe Bernardum peculiariter propter juris ſcientiam, quâ plurimum excellebat, apud Venetos multum admodum gratioſum, aſſerit Caſa (8), propter ſummam verò prudentiam, multiplicemque rerum uſum, & propter vitæ gravitatem auctoritatis eximiæ. Re enim ipſâ, & honores in patriâ geſſit egregiè, & extra patriam glorioſè. Nam & Ravennæ Prætor fuit, Jovio (9) teſte, & Ferrariæ magiſtratu functus eſt, quem Vice Domini vocabant, ut filius ejus tradit (10). Legationes quoque honorificentiſſimas obiit, tum ad Florentinos ob eas cauſas, quas explicat Scipio Ammiratus (11), tum etiam annumeratus Oratoribus, quos ad Julium II. Reſpublica Veneta miſit an. MDIV. Deceſſit in patriâ perſenex an. MDXIX. ætatis LXXXVI., ut ex Epiſtolis, tum Petri filii, tum Nicolai Delphini comprobat nepos noſter Erudiriſſimus Zenus in notis ad Vitam Petri Bembi (12). Multa ſcripſit, quorum perpauca edita ſunt. Epiſtolam ejus leges inter Epiſtolas Sabellici (13), alteram inter Epiſtolas filii (14) familiares: Tomaſinus (15) profert præfatiunculam ejus in Petrarchæ libros de Vita Solitaria, in quem Epigramma ſcriptum habet Jovius (16). Codicem Orationes ejus complexum apud V. Cl. Hieronymum Baruffaldum ſe vidiſſe, profitetur idem Apoſtolus Zenus (17), quo itidem authore credendum eſt, extare Commentarium Bernardi latinum de itinere, quod eum habuiſſe diximus cum ſeptem Oratoribus aliis Romam ad Julium Pontificem miſſis an. MDIV.

LXIV. PANTALEO CALDERIUS nobilis Cremenſis, Patavii Juriſprudentiæ tyro- 1519
cinium poſuit, depoſuitque ad magiſterii lauream evectus, ut ex albis & Gymnaſtico, & Quæſtorio, & Collegii Juriſconſultorum annotat Porcellinus (18), & ex eo alii. Redux in patriam claruit inter eximios Juriſperitos, omnibuſque Cremenſium honoribus egregiè functus eſt. Bello Cameracenſi (19) Venetis ad incitas redactis, cùm Ludovicus Gallorum Rex dedi ſibi Cremam armatis precibus poſtularet, ad conditiones deditionis cum victore Principe ſanciendas miſſus, adjunctuſque collegis Jo. Petrino Lermæ, & Jacobo Zorlæ, ita pacis leges conſtituit, ut urbis adminiſtratio penes Guelphos eſſet, citra damnum Gibellinorum. At mox, his Ludovico favente, verſæ vices rerum, ac fœderum ratio diſcuſſa, publicoque jure Gibellini potiti ſunt: quibus agentibus Pantaleo cum collegis Gratianopolim relegatus eſt: translatus deinde Aſtam, rebus mutatis in patriam rediit circa an. MDXIX., ubi quo anno abierit ad plures, ignoramus. In exilio Gratianopolitano amuletum otii, loculentiſſimum conſcripſit, atque edidit Commentarium & utiliſſimum ſtudioſis, *in legem 2. Codicis de Reſcindenda Venditione*, quod unum nobis innotuit.

LXV.

(1) Tract. de rebus Mogunt. (2) Freher. T. 1. P. 1. Sect. 2. p. 23. (3) Lignamin. Inſcr. Gym. Pat. (4) in Epiſt. & Decadib. (5) in Epigrammat. (6) in Vita Petri Bembi. (7) in Epiſtol. (8) ibid. (9) Elog. p. 11. in Danth. (10) hiſt. lib. 4. p. 141. (11) hiſt. Florent. P. 2. p. 124. (12) T. 2. Hiſtori. Venet. ad Vit. Bembi p. 2. (13) lib. 8. (14) Tom. 2. (15) in Petrarch. Redivi. p. 27. [16] d. p. 1. Elog. [17] ibid. p. 2. [18] not. in Matric. Schol. & in Matric. Juriſconſult. collig. [19] Pancirol. de Clar. Interp. lib. 2. c. 152. p. 263.

1519 LXV. JO. DOMINICUS SPAZZARINUS Reipublicæ Patavinæ à libellis, animi dotibus, & præſtantiâ corporis, ex quibus laudatur à Scardeonio (1), inſignis, gymnaſii patrii alumnus, & Juriſconſultus ſuo tempore minimè contemnendi nominis, in bello Cameracenſi admodum laboravit, ne quid atrociùs patria pateretur; permulſitque, quà licuit, Germanorum animos, atque eorum ſævitiem ſummâ induſtriâ compeſcuit. Inde Venetis, cum civibus aliis, poſt recuperatum Patavium, ſuſpectus, vocatuſque Venetias, ibi aliquandiu exilium toleravit, donec, agnita ejus innocentiâ, reſtitutus eſt. Conſenuit apud ſuos, ac nonagenarius deceſſit anno MDXIX. ſepultus ad D. Jacobi in monumento, quod patri ipſe paraverat (2). Scripſit eleganter hiſtoriam ſui temporis Saluſtianâ brevitate. In ea nemo diligentiùs proſecutus eſt cladem Patavinam, urbe à Germanis capta, cui ipſe interfuit. Opus notiſſimum ex relato Scardeonio, & magni habitum ab eruditis.

1520 LXVI. MARCUM ANTONIUM CUCCUM, origine Brixianum, civitate & patriâ Ticinenſem, non contentum patrio Gymnaſio, verſatum fuiſſe in pleriſque, tum in Italia, tum in Germania lycæis, tradit Ghilinus (3). Certe triennio eum Patavinos juriſprudentiæ Profeſſores audiſſe conſtat, & ex ejus ſcriptis paſſim, & ex monumentis noſtri Gymnaſii (4). Publicus deinde Profeſſor Canonum fuit Ticini, ubi poſtea docuit jura Civilia, quæ poſt annos aliquot Romam accitus lector primæ ſedis uberiùs explanavit. Eo perfunctus officio, pertæſuſque aulæ Romanæ ab infirmâ valetudine ſibi cauſas fecit in patriam redeundi: ubi diti Sacerdotio fultus, quo præerat S. Mariæ Peroniæ, & Vicarius generalis Hippolyti Cardinalis de Rubeis Parmenſis, & Epiſcopi Ticinenſis, in privatâ quiete conſenuit circa an. MDXX. Vir ſanè Juriſconſultiſſimus ut liquet ex ejus operibus, quæ ſunt.

Tract. I. de Legitimâ ad Authen. Noviſſima Cod. de inoffic. teſtam.
II. de Moratoria Præſcript. ad l. quoties Cod. de precibus Imper. offer.
III. de Mentiente circa Poſſeſſ. ad l. fin. ff. de rei vindic.
Inſtitutionum Juris Civilis lib. IV. interſertis opportunè S. Concilii Conſtit.
Inſtitutionum Majorum ſeu Pandectarum Juris Canonici Pentateuchus.

1522 LXVII. CHRISTOPHORUM LONGOLIUM, tametſi gymnaſium noſtrum ſibi alumnum aſſerere neque audeat, neque jure poſſit; poteſt tamen eum hoſpitem diuturnum aſſerere, illumque civem quodammodo ſuum dicere ob poſitas apud ſe ejus exuvias, ac depoſitam vitæ mortalitatem. De tanto nomine Jovius (5), Reginaldus Card. Polus (6), Gaddius (7), & alii ante Freherum (8), ex quibus nos pauca decerpimus ad celeberrimi viri, vel potiùs juvenis notitiam ſuffectura. Natus eſt Melchiniæ in urbe Belgicâ, oriundus tamen Schonhoviâ Hollandiæ oppido, Sacerdote illum antiſtite genitum Jovius ſcribit, id quod, an Chriſtophorum nothum atque nefarium dicat, viderint alii; nam hanc patris ejus dignitatem Scriptores reliqui ſubticent. Annorum novem puer Lutetiam Pariſiorum à parentibus miſſus, ita in omnibus artibus profecit celeriter, ut admirationi fuerit itidem omnibus. In eâ ætatulâ indole fuiſſe dicitur ad ſtudioſos labores propenſa adeo, atque adeo tenaci memoriâ, ut nunquam niſi diligenter perlectum librum dimiſerit, lectorum ſemel nunquam fuerit oblitus, quin imò ea feliciter, quaſi è penu parata promeret, & quæ legerat ſemel, quaſi è codice legeret, recitaret. Ingenio ad Philoſophiam factus, ineunte ætate, huic ſe addixit, ſed amicorum conſilio paruit, quo ad juriſprudentiam retractus eſt. Huic addiſcendæ ſex annos impendit doctore Philippo Decio, qui tunc Valentiæ docebat, eandemque Pictavis docuit ipſe: poſt hæc Lutetiam rediit, ubi juri exercendo operam daret, quam etiam dedit tanta cum laude, ut vix biennium in Juriſconſultorum ſubſelliis verſatus, in centumvirale collegium, quod jus vitæ, & necis, ac fortunarum omnium poteſtatem, non in plebem dumtaxat, verùm etiam in omnes regni proceres habet, cooptaretur. Vertit deinde animum ad Philologiam, quam quò certius ſibi compararet, Græcam linguam addidicit, quam feliciter adeo intra annum emenſus eſt, ut Budæo Græcas epiſtolas exararet; perſeveravitque deinceps quinquennio Græcos Scriptores legendo. Porro ad idipſum, & quò pleniùs eruditionis omnifariam theſauros pervaderet, longas peregrinationes per Germaniam, Italiam, Hiſpaniam obivit, tanti ubique habitus, ut eum Hiſpaniarum Rex à ſanctioribus conſiliis, latiniſque libellis Miniſtrum elegerit: Bembus illum per literas monuit, ut latinitatis rationem haberet, & ad detergendam ſtyli barbariem ad Ciceronem legendum totus incumberet; quod monitum ita juveni

(1) lib. 2. Claſ. 10. p. 251. (2) Salom. Inſc. Pat. p. 171. n. 14. (3) Vol. 1. Teatr. p. 163. (4) Matric. Mediol. in Tabul. Quæſtor. (5) Elog. p. 127. (6) Vit. Longol. ep. præm. (7) De Script. p. 1. 2. (8) T. 2. P. 4. p. 1438.

ita juveni placuit, ut ex perpetuâ latini Oratoris lectione alter Tullius evaſiſſe viſus ſit omnibus; revera nil fuerit, ſupra Ciceronianos, in quibus candorem ſtyli laudes, nervos orationis deſideres. Cum Ludovico Gallorum Rege bello Neapolitano in Italiam rediit, militavitque aliquandiu, ac rebus mutatis Romam in habitu militari, noſcendæ vetuſtatis causâ, venit: ibi agnitus ſummo in honore fuit, eumque Leo X. in palatium & comitatum aulæ Lateranenſis adſcivit, Scribamque Pontificium dixit. Nemo non illi maxima prædicebat, cùm vulgato libello, quem puer adversùs Romanos conſcripſerat, ita curiam Romanam offendit, & populum, à quo Romana civitate fuerat donatus, ut reus Majeſtatis factus in Capitolio, accuſante Celſo Mellino clariſſimo juvene, vix habitis Orationibus duabus eloquentiſſimis, ſeſe periculo expedierit, profeſſus, à ſe ea ſcripta exercitationis gratiâ gymnaſticæ. Redux in Galliam, detentuſque ibi amicorum precibus, ut promiſſis, quibus ſe Leoni, & Italis ſapientibus obligaverat, ſtaret, moras abrupit; nec tamen Romam ire placuit: Patavium ſeceſſit, ut in arce ac ſede Italæ ſapientiæ conſeneſceret. Vixit hic apud Stephanum Saulium, qui apud nos tunc ſtudebat, adoleſcens Genuenſis ditiſſimus nobiliſſimus. Eo abeunte, contubernio uſus eſt Reginaldi Poli, hoſpes etiam aſſiduus, & amicus Petri Bembi, alebaturque Leonis Pontificis ſumptibus. Legi Epiſtolam ejus ad Saulium eundem, in qua ſe Patavinum diſcipulum profitetur, qui Magiſtris par erat. Proficere ſe dicit, auditis prælectionibus publicis, & in adyta penitiora ſacrorum canonum introire, deducente Petro Paulo Pariſio: reipſa per annos aliquot moratus Patavii nitidiſſimum ſtylum adversùs Lutheranos convertit, cœpitque diſſertationes uberrimas, quibus peſtem illam Eccleſiæ jugulare decreverat: ſed illum Leonis obitus ab utiliſſimo labore deterruit: jamque largitate benigniſſimi Pontificis deſtitutus, aurem accomodaverat precibus Hieronymi Savorniani, qui eum ad ſe Utinum evocabat, cùm in ardentiſſimam febrim incidit: quo tempore cum ab eodem Hieronymo Epiſtolam accepiſſet, qua filii ſui mortem nunciabat, moribundo calamo conſolatoriam reſcripſit eloquentiſſimè: nec diu poſt ingenti omnium eruditorum mœrore deceſſit VII. Idu. Septembris an. MDXXII. ætatis XXXIV. Sepultus eſt in templo S. Franciſci, in cujus familiam adoptari, ac veſte indui voluit in obitu. Hunc deflevere Poetæ omnes: paucorum carmina recenſet Jovius. Bembus epitaphium cecinit, elegantiſſimo, ſed & frigidiſſimo hoc triſticho.

Te juvenem rapuere Deæ fatalia nentes
Stamina, cum ſcirent moriturum tempore nullo,
Longoli, tibi ſi canos, ſeniumque dediſſent.

Indicem Opuſculorum ejus, reſecatis ſuperfluis, & Epit. Bib. ſic edidit Jacobus Gaddius.

Oratio de laudibus Ludovici Francorum Regis I.
De laudibus Plinii I.
De laudibus Urbis Romæ Orat. V.
Reſpondentes accuſationi eorum qui illum reum perduellionis agebant Orat. II.
Epiſtolæ propè innumeræ.
Elegiæ & Epigrammata varia.
Commentarii in libros XI. priores Plinii.
Comparatio Juris Civilis cum re militari.
Hiſtoria Herbarum.
Commentarii & diſputationes in Jus Civile.

CAPUT XI.

Dominicus Grimanus Card. Jo. Baptiſta Pallavicinus Card. Albertus Pius. Andreas Naugerius. Gregorius Haloander. Altobellus Averoldus.

LXVIII. DOMINICUM Cardinalem GRIMANUM lauro Juriſprudentiæ redimitum 1513
ad magnanima geſta, queis claruit, hinc proceſſiſſe, certum eſt ex actis collegii Juriſconſultorum, ac teſtimonio Porcellini ſcriptoris ſynchroni (1); an etiam reliquarum ornamenta ſcientiarum, quarum titulos geſſit, acceperit, non conſtat. Nam Philoſophus ſummus, ſummuſque Theologus eſt iis omnibus, à quibus peculiariùs celebratur. Patricius Venetus vetuſtiſſimæ familiæ patrem habuit Antonium Senatorem, in quo fortuna luſit ampliſſimè, docuitque, viro Sapienti, ac virtutis ſuæ conſcio neque intumeſcendum in proſperis, neque in adverſis deſperandum. Nam is Venetæ claſſis imperator, quod malè pugnaſſet in Græciâ, reus factus, in carcerem

(1) ad Matric. coll. Jur. cum additio. Lignamin.

detruſus eſt, quò cum ipſe filius Cardinalis deduxit, piiſque manibus Purpuratus Princeps paterna vincula, ne nimis gravaretur parer, portavit. Damnatus deinde exilio, deportatuſque, cum ab inſula transfugiſſet Romam, à filio Cardinali altus, & inter contubernales habitus vixit, donec, purgatis criminibus, in patriam reſtitutus, Divi Marci Procurator primùm, deinde Dux Venetorum, ſolium publicæ majeſtatis, virtutis & innocentiæ præmium recepit. Tanto parente Dominicus genitus tum in patriá, tum apud nos, operam aſſiduam oppignoravit mitioribus, ac ſeverioribus diſciplinis, ex quibus tantus emerſit, quantum illum inter doctiſſimos viros fuiſſe teſtantur Bembus (1), Juſtinianus (2), Candidus (3), Paulus Corteſius (4) & alii, quos ad idipſum adducit Ughellus (5). Eum Alexander VI. in collegium Cardinalium adlegit, ſucceſſoremque dixit Nicolai Donati demortui, octogeſimum quintum ordine Patriarcham Aquilejenſem an. MCDXCVII. Sedit ad annum uſque MDXVII., quo infulas tranſtulit in Marinum nepotem: ipſe Portuenſis Epiſcopus Romæ mortalitatem depoſuit an. MDXXIII. ætatis LXIII. non integro, ut ex elogio colligo, quod cineribus ejus impoſitum legitur in marmoreo ſepulcro, quo exuviæ poſtmodum ejus Venetias translatæ ad D. Franciſci in Vinea compoſitæ cuſtodiuntur. Scripſiſſe eum multa certum eſt: ea codice manuſcripto continentur, quod habet Sirleti Card. Bibliotheca, nunc Columnenſium. Ibi eſt liber *de intenſione, & remiſſione*, quem laudat Toſſignanus, *Epiſtola multa* ad Sabellicum, Eraſmum, & alios, ac *Verſio Italica Tractatus Chryſoſtomi de Incomprehenſibili*.

1524 LXIX. Auget numerum Illuſtrium Alumnorum Gymnaſii noſtri nomen JO. BAPTISTÆ PALLAVICINI Cardinalis, quem auditorem fuiſſe Decii, cum hic jus civile profitebatur, & Hieronymi Juſtiniani, atque Epiſcopi Foſcareni condiſcipulum, noſces ex Panciroło (6). Eundem hinc I. V. D. prodiiſſe Sanſonus annotat (7). Vixerat is aliquandiu in aula Romana, indeque Protonotarius Apoſtolicus huc venit, moratuſque pluſquam quadriennio ſacræ dignitati Juriſprudentiæ infulas addidit an. MD. Rediit Romam laureatus, utque legationibus Apoſtolicis fungi poſſet ad titulum Cavallicenſis Eccleſiæ provectus eſt. Eum poſt multos labores, & impenſas obſequio, & commodo Sedis Apoſtolicæ daras in collegium purpurati Senatus adlegit Leo X. & Presbyterum Cardinalem S. Apollinaris dixit. Quæ in purpura geſſit, habent Cardinalium biographi, & ex his Oldoinus (8). Inde illa pete, dum properamus, atque hoc unum nota, quod ad noſtrum propoſitum pertinet, ſcriptos ab eo libros tres (9) *de Indulgentiis adversùs hæreſes Lutheri*, & libros duos *de Pragmatica Chriſti Servatoris præſentia in Euchariſtiâ* adversus ZWinglium OEcolampadium & alios Hæreſis Helveticæ Sacramentarios. Obiit an. MDXXIV. Id. Aug.

1529 LXX. ALBERTUS PIUS Carpenſis Princeps ex priſcis Mutinæ Dominis nobiliſſima proles, ſed & vir moribus generoſis, atque optimis literis à prima ætate gnaviter innutritus, quem proinde jure optimo Jovius celebrat (10), doctiſſimiſque ſuâ ætate viris annumerat; adoleſcentiam penè totam tranſegit Patavii auditor Muſuri, & Angeli Caſtrenſis, quod ipſe profitetur epiſtola dara Pariſiis ad Franciſcum Card. Cornelium Epiſcopum Brixienſem. Fuiſſe illum procerâ, decentique ſtaturâ corporis, ad arma validum, & habilem prorſus, idem Jovius tradit (11), atque rerum magnarum negotiis peraltum ingenium attuliſſe; in iiſdem intelligendis celerem, tenacis memoriæ, tantæque in congreſſibus, ac diſceptationibus facundiæ fuiſſe, ut cùm de arduis rebus conſuleretur, quò vellet animos Principum impelleret. Regibus quatuor, totidemque Pontificibus Maximis, iterùm iterumque legatus, utilem ſemper operam præſtitit, ſummá fide & induſtriâ: In eo tamen infelix, quòd cùm partibus adhæſiſſet, quæ adverſabantur Alfonſo Duci Ferrarienſi quocum de poſſeſſione agri paterni litigabat, calamitatibus Clementis VII. res ſuas involvit. Cum hoc in arce Adrianea, urbe captâ & direptâ, fuit, undè emiſſus navigavit in Galliam, ubi poſt amiſſum filium, exutum ſe paterná ditione, & in controverſiâ, quam habebat cum Ateſtino, Caroli V. Sententiá damnatum, ægerrimè tulit. Inde podagricus morbus, quo jam pridem cruciabatur, crevit; eoque Pariſiis diu chriſtianá patientiâ tolerato extinctus eſt an. MDXXIX. Rodulſus Pius Card., nepos ejus ex fratre, ſub Paulo III. erecto ſepulcro æneo patrui memoriam conſecravit. Edidit celeberrimum opus adversùs Lutherum, in quo etiam Eraſmum Roterodamum perſtrinxit acriter. Hoc Theologis præliaribus, & Dogmaticis notiſſi-

(1) In hiſtor. & in Epiſt. gratul. ad Grim. Card. (2) in hiſt. lib. ult. (3) in hiſt. Aquilejen. (4) lib. de Cardinalat. (5) in Ser. Aquilo Patriar. 85. (6) lib. 2. de Clar. Interp. c. 135. p. 2, 5. in fin. (7) in Diario p. 1. (8) Oldoin. Tom. 4. p. 352. 353. (9) Eudæmonio. Catal. de Script. adversùs novas hæreſes. (10) Elog. p. 154. (11) idem ibid. p. 155.

notiſſimum eſt, doctum, efficax, eruditum, in quo tamen & pacatius ingenium, & criterium accuratius deſideres.

LXXI. ANDREÆ NAUGERII, quem alumnis clariſſimis Gymnaſii noſtri ex albis 1529
Gymnaſticis annumeramus, extat vita eleganter ſcripta, & operibus ejus nuper Vulpiano prælo editis præfixa, quam elogio ſuo comprobat Jovius (1). Ex his hæc habe. Natus Venetiis patricio genere, Bernardi filius, latinas literas diſcere cœpit in patria ſub Sabellico, Græcas cognovit Patavii, cùm hic juriſprudentiæ operam dabat, Præceptore Marco Muſuro Cretenſi. Sed has quidem perdidicit ſub idoneo Magiſtro, qui ſciret, quæ docebat; latinas, quas admodum rudes ab incondita latinitate Sabellici acceperat, ipſe, ſe magiſtro, dum Philoſophos audit, excoluit feliciter adeo, ut nemo ſuâ ætate latiniùs ſcripſiſſe cenſeatur. Et enervis quidem eſt, atque ita ſententiarum pondere deſtituitur, ut ſi quid ſupra Grammaticum ſapis, nihil, eo lecto, profuturum exiſtimes præter candorem ſtyli exſuccum; ſæpe prorsùs evanidum, & longas docti lectoris oſcitationes provocaturum. Nempe diligentiſſimum ſe Ciceronis imitatorem Naugerius dixerat, ſed eâ in parte, undè Cicero maximus non eſt: phraſim dumtaxat admirabatur, candoremque latinitatis ingenuum, cui nunc etiam quidam vulgaris notæ pedotribæ adſtupent, illud rati ſummum in re literaria negotium, ſi minores ingenio, nec lacertoſæ eloquentiæ pares, quod minimum eſt in Cicerone referant, ſeque oratoris maximi ſimios oſtentent: id quod non admodum Jovius probat (2), poſt virum doctiſſimum Hermolaum Barbarum, hoc producto, ac Politiano, aliiſque auctoribus æternùm victuris, quaſi ex aliena ſententia callidè ac diſſimulanter damnat. Quippe hi cenſuere, formare ſibi quemque oportere ſtylum peculiarem intra fines emendatæ latinitatis, eoque uti, quo magna ſcribant, dicantque, non aliter probandi, aut laudandi, quam ſi caſta & ſobria elocutione ingenii ſui opes, vim acuminis validi, fortes argumentorum lacertos, doctumque artis, cui militant, opificium exornent; nec fumum ex fulgore, ut docet Horatius (3), ſed ex fumo dare lucem ſatagant, ſciantque nitorem latinitatis elegantiſſimæ veſtem purpuream eſſe, quâ Therſites æquè atque Ulyſſes contecti diverſiſſima peragant. Sed hæc obiter, ut noſcas, quò Naugerii opera ſtudiumque ſpectaverit, quidve maximè miraia ſit ejus ætas in duabus Orationibus, quas funebres dixit in obitu, tum Liviani Veneti Exercitus Ducis, tum Laurerani Venetorum Principis, indeque eximiam eloquentiæ laudem apud omnes promeruit. Nam hinc illi Senatuſconſulto demandatum eſt liberali ſtipendio decreto hiſtoriæ Venetæ conſcribendæ munus, quod tamen non attigit, ſive infirmitate corporis, quàm pertinaci ſtudiorum labore contraxerat, impeditus, ſive gravitate operis varii, difficilis, quod ſupra vires ſuas rebatur, deterritus. Quippe ſibi propoſuerat imitandum ſcribendi characterem Cæſarianorum Commentariorum; exciveratque tanto propoſito expectationem eruditorum hominum, quam non æquaturum ſe, ſiquidem de ſe modeſtè, ut virum optimum decet, ſentiebat, opus auſpicaturus agnovit. Alii ferunt, ab eo ſcriptam fuiſſe hiſtoriam hujuſmodi: nec deſunt qui pro comperto habent (4), libros X. Hiſtoriarum ab eo fuiſſe conſcriptos, quos ante obitum extremo conflictatus morbo comburi juſſit; imò verò ipſe combuſſerit, ſive prudens, ne quid caperet damni ex imperfecto opere gloria nominis ſui, ſive, ut refert Auguſtinus Valerius (5), mentis inops ex furore in ægritudine ipſa concepto. Quidquid ſit: hiſtoriarum hujuſmodi nihil extat, nec Naugerius muneri ſcribendi ſuſcepto diu ſuperſtes fuit. Nam ad Carolum V. Cæſarem Orator à Venetis miſſus, infelicibus auſpiciis legationem illam ſibi fatalem iniit. Cùm enim in ipſo ejus ad Hiſpaniam itinere, inter Italos Principes, qui metu ſervitutis, quam Italiæ toti Cæſaris potentia minabatur, attoniti erant, fœdus ictum fuiſſet, quo ſuæ libertati conſulerent, per veredarios ab Hiſpanica profectione Naugerius revocatus, ire in Galliam juſſus eſt: ad quam legationem, dum jumentis mutatis, celerrimè in ſummo itinerum, tempeſtatumque labore contendit, vix Rege Gallorum Franciſco I. ſalutato, in oppido Bleſio ad Ligerim, febre ſontica domitus obiit an. MDXXIX. ætat. XLVI. Præter *Orationes*, quas memoravimus, aliaſque editas, ſcripſit *Epiſtolas*, *Carmina Etruſca*, *Epigrammata latina* nitidiſſima, elegantiſſima, nec nitida & elegantia minus Etruſca, ſed, ut ingenuè fateri licet, frigida prorsùs; utque cum ratione loquamur, non acuta, & ſubinſulſa. Scilicet cane pejus & angue acumina omnia in carminibus oderat ſuis, & aliorum; eamque ob cauſam quotannis certa die Muſis litaturus ſuis, multa Valerii Martialis volumina tanquam impura & obſcœna Vulcano dicabat. Hoc nimirum facto non ſanè ultor obſcœnitatis, quam in Martiale

(1) Elog. p. 145. (2) d. p. 145. (3) lib. de Arte Poet. ant. med. (4) Vid. Præf. in hiſtor. Venet. nuper editos T. 1. p. 15. (5) lib. 11. hiſt. Venet.

deteſtaretur. Nam qui ſatis conſtanter in Martiali damnaret, quod in deliciis habebat lector Catulli perpetuus, non minore verborum & carminum turpitudine laſcivientis. Sed amarulentus judex & atrox hoſtis erat Poetæ illius acutiſſimi, qui ante quatuordecim ſæcula fatuum illum candorem ac nitorem evanidum, quem minutuli quidam & inepti cenſores XVI. ſæculi decus putant ac prædicant, noto illo in malum Poetam (1) Epigrammate caſtigarat, hæc pædagogulis triobolaribus veriſſima ingerens

Dulcia cùm tantùm ſcribas epigrammata ſemper,
Et ceruſſata candidiora cute;
Nullaque mica ſalis, nec amari fellis in illis
Gutta ſit, ò demens, vis tamen illa legi.
Nec cibus ipſe juvat morſu fraudatus aceti.
Nec grata eſt facies, cui gelaſinus abeſt.
Infanti melimela dato, fatuaſque mariſcas:
Nam mihi, quæ novit pungere, Chia ſapit,

1531 LXXII. GREGORIUS HALOANDER natus Zuiccaviæ in oppido inter Voitlandiam & Miſniam ſito, tum in patria, tum præcipuè Patavii Juriſprudentiæ nomen dedit, atque hinc V. I. D. rediit in Germaniam, ut conſtat ex monumentis Gymnaſticis (2), videturque confirmare Melchior Adamus (3), cùm eum ornatum doctorum infulis remeaſſe ſcribit ex Italiâ in patriam. Vir fuit in omni literarum genere probatiſſimus, ſed claruit maximè ex Juriſprudentiâ. Jacobus Ziegierus, apud Freherum tradit, illum, cum iterum in Italiam rediiſſet, levi febricula tentatum Veneriis, inſcitiâ Poloni Medici cujuſdam curatum peſſimè ad plures abiiſſe an. MDXXXI. vel ſequenti, ſepultumque fuiſſe ad S. Salvatoris.

Opera ejus conjunctim edita Pariſiis hæc ſunt (4).

Jus Civile caſtigatum.
Conſtitutionum Novellarum Juſtiniani Volumen Græcum.
Græci Canones SS. Apoſtolorum per Clementem congeſti.
Chronologia Conſulum Romanorum.

1532 LXXIII. Averoldæ familiæ Brixienſis decora, viros egregios, tituloſque, ac ditiones, & originem non otioſè ad rem ſuam proſequitur Octavius Rubeus (5). Ex hac ortus ALTOBELLUS, Patavii ſtudiorum curriculum ex legum præſcripto gnaviter emenſus eſt, atque ex hoc noſtro Gymnaſio I. V. D. in patriam rediit, undè Romam profectus, claruit ex opinione virtutis & ſapientiæ an. MCDXCVII. Polenſis in Iſtria Epiſcopus renunciatus, cùm Eccleſiam ſuam inviſiſſet, atque aliquandiu præſens adminiſtraſſet, ad curiam revocatus, bello Cameracenſi ita ſe geſſit, ut & Pontifici ſatisfecerit, quamvis in Venetos furenti, nec Venetos læſerit, erga quos fidem ſemper & obſequium ita palam profeſſus eſt, ut vel infulas Brixienſes oblatas licet, & ingeſtas recuſaverit, ne quam ſibi, inconſulto ſuo Principe, comparaſſe dignitatem videretur. Sub Leone X. variis legationibus functus, ejuſdem Pontificis Nuncius apud Venetos pro rebus maximis fuit. Sub Clemente VII. pluries Pro-Legatus Bononienſis, fato Brixienſium, inquit Rubeus (6), majores honores minime attigit, obiitque ſenex anno MDXXXII. quem annum ſignat etiam Ughellus (7). Doctorum Brixienſium collegio annuum cenſum reliquit, qui ei cederet, cui exponendarum Inſtitutionum Imperialium onus fuiſſet demandatum: memoraturque anniverſariis idcirco inſertis à Juriſconſultis Brixienſibus menſe Novembri, quo de ejus laudibus Oratio etiam habetur quotannis. Scripſit

Libros de bono Epiſcopi Regimine.
Commentarios de Vita Chriſtiana.

CAPUT XII.

Ludovicus Areoſtus. Joannes Franciſcus Picus. Thomas Diplovatacius.

1533 LXXIV. LUDOVICUS AREOSTUS familiâ nobiliſſimâ oriunda Bononiâ (8), & Ferrariam ex traduce tranſlata Nicolao patre Equite Ferrariæ natus eſt, & in patria

(1) lib. 7. Epigr. 24. (2) Salom. in Miſcell. & Matric. German. (3) Vitæ Juriſconſultorum. (4) Freher. T. 1 P. 2. Sect. 4. p. 811. (5) Elog. p. 306. 307. (6) ibid. p. 308. (7) T. 5. p. 482. n. 19. (8) Vita Arioſti præfixa Poemati ex Pigna decerpta.

in patria primas literas didicit, adeo propenſo ad muſarum delicias ingenio, ut puer adhuc Thisben fabulam & conſcripſerit, & cum fratribus, quos quatuor habuit, puerili Theatro conſtructo, ipſe Actor, & Auctor egerit. A patre coactus Juriſprudentiæ operam dare, cum in patria negligeret, quod invita Minerva facere jubebatur, miſſus eſt Patavium, ubi per annos aliquot (1), quamvis incurioſiſſimè, aſſiduè tamen & Angelum Caſtrenſem, & Maynum audivit; atque interim Dionyſium Callergium Cretenſem Zachariæ patrem noti Romæ typographi, Patavii privatis auſpiciis docentem Græcas literas ſtudio peculiari proſecutus eſt, ut idem Zacharias in vita patris ſui narrat, elegos aliquot etiam latinos & odiculas proferens, queis Areoſtus Cretenſem Dionyſium, præceptorem ſuum Patavii laudavit. Patavio revocatus [illegible] patre Ferrariam, quòd non ſecus hic atque in patria ſcrutari Legum arcana [illegible], ingenio ſuo relictus eſt: ille, nihil moratus, edocendum ſe dedit Gregorio Spol[illegible]no, claro per ea tempora humanioris literaturæ ac Poetices celeberrimo præceptori: quo auſpice, ita latinas tractavit Muſas, ut omnium poetarum monumenta indefeſſo labore percurterit, expenderit, annotarit, & in cenſum propoſiti, quod meditabatur, excerpſerit. Scilicet ſibi propoſuerat, à latinis carminibus abſtinere ſe, ut Muſas ſuas Italiæ daret in ſolidum; ratus nec mediocribus eſſe Poetis permiſſum: nec ſibi niſi inter mediocres locum fore, ſi latina poemata decantaſſet. Hinc licet eum Bembus, quocum hìc amicitiam contraxerat, vi tota contenderit ab hoc propoſito revocare, ſtetit in eo tamen invictus, totumque ſe pangendis Etruſcis carminibus mancipavit: interim aulæ Ferrarienſi ſerviens, quo ſibi, poſt patris obitum in tenui patrimonio, & inter plures fratres diviſo, penè non inopi opportunè conſuleret. Fuit ergo in aula Ducis Alfonſi, mox ejuſdem Orator ad Julium II. Pontif. Max. primò quidem feliciter, quippe & benignè receptus & blandis verbis, cum ſpe pacis ſanciendæ dimiſſus: at ubi verbis fidem eſſe nullam apparuit; itumque in prælia, quæ funeſtaverunt Italiam, iterum Romam legatus, Pontificis aſpectu nihil promittente, ira commotus eſt, ut, non expectato reſponſo, inter vitæ diſcrimina, itineribus uſus occultis, ad Patronum redierit, à quo ſupplex deinde veniam impetravit, ut muſis, ad quarum dulce commercium vocabatur, ſecederet. Extructa ergo Ferrariæ domo cum horto & viridario, conſtanter uſque adeo literariæ quieti ſe dedidit, ut proficiſcentem in Pannoniam Hippolytum Cardinalem, cui erat familiariſſimus, quique eum flagrantiſſime comitem itineris expetebat, rejecerit. Neque enim unquam Areoſtus fuit in Pannonia, ut Jovius refert (2); quando id negat biographus ejus palam, ex Jo. Baptiſta Pigna ſcriptore ſynchrono. Ex hac repulſa Cardinalis indignationem & iram incurrit: quam tamen diſcuſſit, cum illi Poema celeberrimum dedicavit. Hoc Areoſtus compoſuit in illo ſeceſſu, in quem quaſi inquilinus in patria ſe, muſis vacaturus, abdiderat. Inde & comædias, & ſatyras, & furentis Orlandi Rhapſodiam notiſſimam emiſit, intimus amicorum Alfonſi Ducis, à quo ditatus honeſtis opibus commodiſſimè vixit, frugique ſumptu contentus eo ſeceſſu Muſis litavit, quo nemo Italorum glorioſiùs. Quippe in genere Satyricæ, Comicæ, Epicæ Poeſeos, horum omnium maximus eſt ex virorum doctorum communi ſententia. Scripſit ergo Satyras mordaci ſale conſperſas, quas Horatianis comparare licet. Plauſit his Italia, donec Decii Azzolini Firmani ſatyra adversùs luxum ambitioſius aliquid, grandius, atque ſeverius in mores non eſt auſa recentiſſimos. Scripſit & Comædias, in quibus Plautinam venuſtatem Itala Poeſis miratur, in ea præſertim, quæ Suppoſitorum titulo inſcribitur. Denique mirum illud Poema Orlandi contexuit, quo plaudentis Bojardo & Pulcio famæ clamores compeſcuit; ſibi verò ſoli inter Epicos diu principatum aſſeruit, dum ſcilicet in ejus partem Taſſus veniret: his duumviratus ille Epicus apud Italos ſtat, qui dubiam Homero, & Virgilio palmam feciſſe creditur. Vixit, ſi credimus Jovio (3) annos tres & ſexaginta, novem & ſexaginta, ſi cum Gullielmo Rovilio (4) ſentimus. Biographus eum ne ſexageſimum quidem annum attigiſſe ſcribit; obiit in patria, cum diu pectoris anguſtia ex pituitæ ſtillicidio laboraſſet an. MDXXXIII. Sepultus apud Benedictinos Ferrariæ, nec tamen ſcio, an ibi notus ex hoc epitaphii carmine, quod Sepulcro incidendum ſuo vivens compoſuit.

Ludovici Areoſti humantur oſſa
Sub hoc marmore, ſeu ſub hac humo; ſeu
Sub quidquid voluit benignus hæres:

(1) Pignor. de Veuſt. Pat. ad Molin. (2) Elog. p. 157. (3) ibid. (4) lib. 2. Promp. Icon.

Hærede benignior comes: ſeu
Opportuniùs incidens Viator.
Nam ſcire haud potuit futura, ſed nec
Tanti erat vacuam ſibi cadaver,
Ut urnam cuperet parare vivens.
Vivens iſta tamen ſibi paravit,
Quæ ſcribi voluit ſuo ſepulcro;
Olim ſi quod haberet is ſepulcrum:
Ne cùm ſpiritus hoc brevi peracto
Præſcripto ſpatio miſellus artus,
Quos ægrè ante reliquerat, repoſcet
Hac & hac cinerem hunc & hunc revellens,
Dum noſcat proprium, diu vagetur.

1533 LXXV. JO. FRANCISCUM PICUM Mirandulanum Comitem in hoc noſtro Gymnaſio Philoſophicis, Nomicis, ac Theologicis fuiſſe ſacris initiatum, clarum eſt ex ejus epiſtolis, in quibus paſſim ſe apud Euganeos Alexandri Achillini, Caroli Ruini, & Fratris Gaſparis Peruſini diſcipulum profitetur. Quis, quantuſque, quàm exaggeratæ ſapientiæ vir fuerit, ut ignores ejus doctiſſima ſcripta, docebit te Jovius (1), qui quamvis non omnino æquus homini latinam elocutionem, & ſuperſtitioſum ſermonis minimè polemici, & præliaris nitorem contemnere ſolito, non tamen audet illum è cœtu ſapientiſſimorum ſua ætate virorum abigere; atque ita eum ex doctrina & moribus carpit ſenſim, quod ſolet, & obiter, ut fateatur in iis, quæ reliquit commentariis eruditiſſimum, in congreſſibus ſcholaſticis potentiſſimum, ex morum probitate, comitate, munificentia laudandum: nam hoc ipſum de illo judicium eſt rectius & æquius Lilii Gregorii Giraldi (2) & Jacobi Boiſſardi (3). Fuit Joannes Franciſcus Galeoti Pici filius, Joannis, qui Phœnix ingeniorum dictus eſt, nepos. Hunc imitari, atque etiam æmulari conatus, tametſi non æquaverit, non tamen à longe ſecutus eſt. Quamobrem avidiſſimus inquiſitor omnium Scientiarum, eâ quidem gloriâ excidit, quam patruus ejus mira ingenii felicitate conſecutus eſt, ut maximus ſapientum haberetur ſæculi ſui: at illud obtinuit, ut ſui ævi nemini ſecundus à viris doctis, non grammaticis, cenſeretur. Graves ærumnas paſſus, bis avita & paterna ditione exutus, calumniis creberrimis preſſus, ac præſertim ex falſa Moneta aurea ſubdolè cuſa ſuſpectus plurimis, non tamen Theologiæ, Philoſophiæ, Juriſprudentiæ, aliarum ſcientiarum ſtudiis abduci, abſtrahive potuit: quin imò amænioribus quoque Muſarum curis, ac plerunque ſuis calamitates conſolatus eſt ſuas. Periit cum Alberto filio an. MDXXXIII. crudeliter interemptus à Galeoto fratris Ludovici filio, cùm nocturnis inſidiis arce Mirandulæ capta dominatum ex paterno jure invadendum exiſtimavit. Hanc necem Jo. Franciſcum paſſum fuiſſe meritò, ſuſpicatos multos annotat Jovius (4) ex cauſa, quam refert, ſed contra Latomus refert hoc Epigrammate.

Paſſus es immeritam (quis enim, Franciſce, negarit?)
Non minus inſigni cum feritate necem.
Sed juvat interea Sciolos inquirere quoſdam,
Exitio quæ te fata dediſſe putent.
Sunt ea: laudatæ Pietas ſanctiſſima Vitæ,
Verus amor recti, mens ſine felle mali.

Opera ejus edita hæc ſunt.

De Veritate Chriſtianæ Religionis contra ſuperſtitioſas vanitates.
De Morte Chriſti, & propria cogitanda lib. III.
De Studio Divinæ & Humanæ Philoſophiæ lib. II.
De Divini Amoris imaginatione.
In Sermonem Monitorium Juſtini Martyris.
Declaratio verborum Hilarii apud Gratianum in Cap. in Chriſto de Conſecrat. Diſt. 2.
De Fide & ordine credendi Theoremata ad Julium II. Pont. Max.

De Pro-

(1) Elog. p. 160. (2) de Poet. ſui temp. (3) Vit. 50. doct. Vir. (4) ibid. p. 161.

De Providentia liber.
De rerum prænotione lib. IX,
De Dialectica ad filium lib. V,
De immortalitate Animæ.
Dialogus de Serenâ conſcientiâ,
Tractatus de Ludificatione Dæmonum,
Defenſio Opuſculi de Ente, & Uno à Patruo conſcripti.
Vita Joannis Pici Patrui ſui.
Hiſtoria Univerſalis Temporum ſuorum.
Stauroſtichum Poema Heroicum de Myſteriis Dominicæ Crucis.
Hymni carmine Hexametro,
Carmen de expellendis fugandiſque Venere, & Cupidine.
Epiſtolarum lib. IV.

LXXVI. THOMAS DIPLOVATACIUS, vir ſua ætate Græcorum omnium Jure- 1534
conſultiſſimus, ipſe ſibi vitam contexuit in docto & erudito, ſed & barbaro libro de claris Juriſconſultis Græcis & Latinis ad Nicolaum Cardinalem Fliſcum Lavaniæ Comitem, Inde actorum ejus notitiam habemus; indeque illum clariſſimis alumnis gymnaſii Patavini annumeramus. Eo anno, quo expugnata Conſtantinopoli Turcarum armis imperii Græci nomen prorsùs evanuit, Corinthi in Achaja Peloponneſi natus eſt, utroque parente Vatzacio, quæ familia olim, capto per Latinos Byzantio, Nicææ in Bithynia regnaverat. Hinc illi ad hoc ipſum ſignificandum placuit Diplovatacii nomen adſumere, quaſi ex gemino traduce ſtipitis ejuſdem gloriam ac decus oſtentaturo. Puer apud Thomam Paleologum Peloponneſi Deſpoten educatus eſt: quo per Maomethem II. pulſo fugatoque, cum ipſo in Italiam tutum exilium toleraturus navigavit. A Joanne Laſcare peramanter ad hoſpitium admiſſus adoleſcentiam traduxit inter nobiles juvenes, quibus vir ille amantiſſimus ſuæ gentis ludum in Quirinali literarium aperuerat, Undè ſumptibus ejuſdem ad Philoſophiam & Juriſprudentiam miſſus Patavium eſt, ubi uſque ad obitum Laſcaris, hoc eſt ad an. MCDLXXXIX. Tubettæ diſcipulus Philoſophos, Juriſconſultos auditor Samblaſii, & Jaſonis Mayni perdidicit. Venit deinde Romam rerum omnium inops, quippe cui Laſcares patronus defecerat; ſed virtutis ac ſapientiæ, ſi vitia deſint, congiarium deſuit nunquam. Ludum aperuit in urbe, privatâque mercede Phyſicam docuit, donec apud eruditionis Græcanicæ cupidos paulatim inclaruit. Ex hac notus ad Neapolitanum Gymnaſium accitus ibi docebat, cum Aragoniis pulſis Carolus VIII. Gallorum Rex citò, quod occupaverat, amiſſurus Regnum Neapolitanum obtinuit. Ipſe refert, captum ſe, ac ſpoliatum triduo penes barbarum Gallum inediam toleraſſe, donec probavit, ſe Græcum eſſe, non Italum. Acceptus exinde eſt in contubernium Galli Ducis, à quo poſt menſem transfugiens ſortem & caſtra Regis Alfonſi ſecutus eſt, qui poſtliminio cùm rediiſſet Neapolim, Diplovatacium, cujus fidem probaverat, Sacerdotiis donatum Regiæ præfecit bibliothecæ. Verùm cùm rebus mutatis Hiſpani vi omnia tenerent, nec ſuperbiam hominum homo indolis ingenuæ ferre poſſet, Romam profectus vixit in aulâ Nicolai Cardinalis de Fliſco ad extremam uſque ſenectutem, in qua major nonagenario deceſſit an. MDXXXIV.

Scripſit *De claris Juriſconſultis Græcis & Latinis lib. II.*
Vitam Innocentii IV. ad Nicolaum Card. de Fliſco.
Collectanea cum Scholiis Græcis in Tipucitum, & Gregorium Patzò Juriſconſultos Græcos.
Excerpta cum annotationibus in Polybium,
Compendium Vitarum Plutarchi G. L.
Deſcriptionem Peloponneſi cum Scholiis ex Plethone.
Diſſertationes duas Græcas, alteram de Platone, de Ariſtotele alteram.
Annotationes in omnes Titulos Decretalium ex Innocentio,

C A P U T XIII.

Jo. Franciſcus Ripa: Andreas Matthæus Palmerius Card. Bernardinus Rutilius, Jacobus Simonetta Card. Franciſcus Guicciardinus. Joannes Nevizanus.

LXXVII. JO. FRANCISCUS è nobilibus S. Nazarii à Ripa Ticinenſis patriciâ & 1534
vetuſtâ gente, diſcipulus Patavii fuit Hieronymi Butigellæ, & Marci Mantuæ condiſcipulus, ut colligo ex Pancirolo (1). Corpore puſillus, facie deformis, pulcritudine ingenii, & copiâ doctrinæ naturæ vitiis occurrit. Docuit primùm in patria eximiâ cum laude, mox amplo ſtipendio Avenionem accitus, tum Canonicum Jus, tum Civile publicè interpretatus eſt, Revocatus Ticinum à Franciſco Maria Inſubriæ Duce, eidem

(1) lib. 2. de claris Interpr. c. 145. p. 258.

eidem ſimul & à conſiliis fuit, & iterum Ticini profeſſus eſt honorario aureorum mille. Ticinenſi gymnaſio deſtituto propter obitum Franciſci Mariæ Ducis iterum Avenione, ſtipendio eodem, quo Ticini, docuit, undè triennio poſt ad explicandum Jus Civile retractus Ticinum, ibi deceſſit anno MDXXXIV. Vir acris judicii, egregiæ in dicendo facundiæ, & probatæ ſemper opinionis, nec Juriſconſultus dumtaxat, ſed quod in Jureconſulto rarum, at & præcipuum eſt, Dialecticus. Sepultus eſt in Patria cum hoc Elogio

Io. Franciſco de S. Nazario à Ripa
I. C. primi Nominis, Senatori Ducis
Comit. Palat. Helena Gentilis Uxor
& ſex Filii P.

Multa ſcripſit in Jure, ediditque reſponſa plurima, quæ proſtant: librum quoque de Peſte doctiſſimum & eruditiſſimum.

1537 LXXVIII. ANDREAS MATTHÆUS PALMERIUS Cardinalis Neapolitanus ex albis gymnaſticis (1), & ex notatis à Sanſono (2) hic doctoris laurum accepit jam electus à Leone X. Archiepiſcopus Acheruntinus, annum agens ætatis XXV. Is nobili genere natus claræque indolis juvenis, cedente Vincentio patruo has infulas adeptus, militares potiùs ſpiritus geſſit, quam ſacros, quos tamen ad rei Chriſtianæ utilitatem contulit, ut Spadunginus, quem Theodorum alii Comnenum, Cantacuzenum alii vocant, in Hiſtoria Turcarum ſcribit (3). Nam hoc teſte apud Ughellum (4), Andreas Matthæus, ardore religionis incenſus, Adriano VI. Pontifici obrulit ſe ad ſuppetias ferendas Rhodianis Equitibus, tunc à Selimo Imperatore Turcarum obſeſſis; ſuâque & amicorum pecuniâ conſcripto milite, iter parabat, atque unà Pontificium implorabat auxilium, de quo dum Romæ apud inertem Pontificem conſulitur, Rhodus expugnata eſt. Quamobrem recepit ſe Palmerius ad Eccleſiam ſuam, ibique aliquandiu quievit, &, ut licuit, animos militares decoxit, donec à Clemente VII. evocatus ad curiam, Cardinalis renunciatus eſt titulo S. Clementis. Abdicavit ſe tunc infulis Acheruntinis, quas in fratrem tranſtulit: ipſe alias Eccleſias habuit commendatas, quò liberiùs aulas Principum ſequeretur. Carolo V. cariſſimus fuit, à quo præfectus Mediolano & Inſubriæ, in ea Juriſdictione vivere deſiit XIII. Kal. Februarii an. MDXXXVII. ætat. XLIV, non integro. Ejus exuvias delatas Neapolim in oſſuario Majorum conditas ſcribit Ughellus (5). At eas jacere Romæ in templo S. Mariæ de Populo, tradit Victorellus ab Ughello caſtigatus.

1538 LXXIX. BERNARDINUS RUTILIUS, nobilis Vicentinus, vixdum pubes Patavium venit, atque uſus Patrum Prædicatorum hoſpitio, inde aſſiduus in Gymnaſio auditor mitiores literas didicit; mox aggreſſus ſeveriores, in eas toto pectore incubuit, ac Philoſophiæ primum, deinde Juriſprudentiæ operam navavit ſexennio, doctorque laureatus rediit in patriam, jam tum clarus adeo ex hac ſcientiâ, ut difficiliores implexarum litium nodi ad eum, adhuc juvenculum, tanquam ad æquiſſimum arbitrum deferrentur. Natus annos circiter quatuor & triginta invitatus eſt ad ſedem Juris Civilis primariam Averſionenſis Academiæ, ad quam dum ſe accingit, & ad iter ineundum ſe apparat, acerbâ morte præreptus eſt anno MDXXXVIII. Edidit vitas Juriſconſultorum, quas continuavit Ficardus & Mantua; aliaque opera, quæ nos non vidimus, obiter autem ſignantur à Salomonio (6) poſt Riccobonum (7), ex quo (8) novimus nepotes eum habuiſſe Jureconſultos clariſſimos, Marcium ac Petrum Antonium; quorum alter jus Canonicum, mox etiam Civile profeſſus eſt in gymnaſio noſtro, alter ejuſdem alumnus diu cauſarum actor Venetiis, & Hieronymo Giganti ſuffectus Conſultor Venetæ Reipublicę in rebus eccleſiaſticis, vix anno integro jus Civile apud nos docuit. Neuter quippiam edidit, ędendumve reliquit, quarę ad tractationem noſtram non pertinet.

1539 LXXX. JACOBUS Cardinalis SIMONETTA inter alumnos gymnaſii noſtri notandus eſt, cùm certè hìc juri aliquandiu operam dederit, nam ipſe, tum in prętatione, tum in ipſo tractatu de Reſignationibus, ſe diſcipulum fuiſſe Patavii gloriatur Alexandri Tartagni, Bartholomęi Cepollę, Jaſonis, Oriani, & Bartholomęi Socini. Idipſum ſignant alba quoque gymnaſtica (9), & confirmant inſcriptiones antiquę à Lignaminco collectę (10).

Non

(1) Salom. in Miſcellan. (2) in Diario An. 1519. (3) lib. 1. (4) Tom 7. p. 61. (5) loc. cit. (6) Inſcrip. Gym. in Collectan. (7) lib. 2. Gym. c. 6. p. 36. (8) lib 3. Gym. c. 14. p. 63. (9) apud Salom. ibid. (10) Inſcrip. antiq. Gym.

Non tamen videtur hìc lauream in jure conſecutus, quam alibi retulerit, & ex probabili conjecturâ Ticini. Nobiliſſimo genere natus eſt Mediolani (1), patre Jo. Simonetta, noto ex actis Franciſci Ducis Mediolanenſis, quę conſcripſit elegantiſſimè. Profectus Romam, curiam doctrinę copiâ, & admiratione ſuę virtuti devinxit. Nam in jure libris probatiſſimis aliquot ſcriptis, atque illo in primis edito, quod inſcripſit *de Reſignationibus, & Regreſſibus*, adeo ſibi Julii II. judicium conciliavit, ut ab eo advocatus Conſiſtorii ſacri, motu, ut ajunt, proprio, dictus ſit, mox Rotę datus Auditor tribunal illud toti Europę venerabile, virtute, integritate, & ſapientiâ ſuâ auxit. A Leone X. ablegatus Florentiam ut diſſidia inter cives exorta componeret, pręclarè ac prudenter ſe geſſit. Clemens VII. eum Piſaurenſi Eccleſię pręfecit Antiſtitem, Paulus III. provexit ad Purpuram an. MDXXXV., & ad ſedem Peruſinam traduxit, eoque in graviſſimis negotiis quaſi nomenclatore uſus eſt. Ferunt (2), ejus Reſponſo, quod in coetu Cardinalium lectum eſt, Paulum inductum fuiſſe, ut Henricum VIII. Anglorum Regem damnaret propter repudium uxoris, quod nefarium, iniquum, ac deteſtabile eſſe, nec aliter ex pręſcripto juris Canonici, & ex majeſtate Romanę ſedis, quam ſacro fulmine feriendam, eruditiſſimo ſcripto, quod non eſt editum, Simonetta comprobavit. Illius particulam ſatis amplam legimus in MSS. Andreę Eudæmonioannis, eamque revera cum juris rigor, tum ęquitas evidenter conſtituit. Simonetta exinde clarior ditibus cumulatus eſt Sacerdotiis, atque abſens (3) Laudenſem in Inſubriâ, Sutrinam ac Nepeſinam in Etruriâ, Compſanam apud Hirpinos Eccleſias adminiſtravit. Legatus etiam à Latere ineundis OEcumenicę Synodi auſpiciis, cum Bonifacio Ferrerio, & Hieronymo Aleandro Vicentiam miſſus eſt (4); cùm ibi res non procederet, rediit Romam, ac reſignatis Peruſinis infulis Franciſco Bernardino Simonettę conſanguineo, & Auditori ſuo, reliquum quod vitę ſuperfuit calamo, ſermone, conſilio, auctoritate bono Eccleſię univerſę ſenex laborioſus impendit, Purpuratorum doctiſſimus, diſertiſſimus, qualem nobis eum repręſentat ſępiſſimè Sadoletus. Deceſſit Romę an. MDXXXIX, Sepultuſque eſt ad ſanctiſſimę Trinitatis in monte Pincio. Scripſit pręter celebre adversùs Henricum Regem Reſponſum epiſtolas multas, quarum aliquas editas vidimus, ac pręcipuè laudatur ex Tractatu *de Reſignationibus, & Regreſſibus*, quibus additur Tractatus alter *de Reſervationibus*. De eo Ghilinus, Ughellus, Oldoinus ad Ciacconium citati, & ex his Freherus, quorum dictis confirmantur, quę de illo retulimus.

LXXXI. FRANCISCUM GUICCIARDINUM inter Italos Scriptores, ut multi autumant, facilè principem, alumnum fuiſſe Patavini gymnaſii, tum ex actis Collegii (5) 1547
certum eſt, tum ex iis præcipuè, quæ in ejus elogio tradit Joannes Imperialis (6), & ante hunc alii notarunt (7), apud quos Guicciardinus in primo ætatis flore, atque adeo circa annum vitæ vigeſimum Juriſprudentiæ operam dedit, ejuſdemque reportavit inſignia præceptoribus Carolo Ruino & Jaſone Mayno. Nam annus MD., Guicciardini nati an. MCDLXXX., fuit annus vigeſimus, eoque jam Maynus biennio docuerat non alibi niſi Patavii; Ruinus verò tunc Patavii docebat, ut ex deductis ſuperius manifeſtum eſt. Nobiliſſimâ ſtirpe Florentiæ progenitus (8) poſt reportatam hìc lauream, patriæ à conſiliis fuit, advocatique munere functus eſt. Communibus deinde civium ſuorum ſuffragiis ad Ferdinandum Aragonium Regem Legatus miſſus, honorem illum ſanctè & utiliter geſſit biennio: inde regreſſus Medicearum partium ſectator conſtantiſſimus, ac propterea Leoni X. carus, hoc jubente præfuit Mutinæ, ac Regio Lepidi, quæ tunc urbes Pontificiæ ditionis erant. Eandem Præfecturam obtinuit ſedente Adriano VI. At Clemens VII. Galliæ Togatæ illum ac toti Æmiliæ præfecit, quam difficillimis temporibus prudenter, & fortiter adminiſtravit. Quamobrem ab eodem Pontifice Legationi Bononienſi præpoſitus, ac Pontificiorum exercituum Curator datus, pari fide & conſtantia rem publicam ac militarem ſumma utrobique auctoritate moderatus eſt. Clemente mortuo Florentiam rediit, ac ſecurus gloriæ, cujus apicem ſibi videbatur attigiſſe, & quietis devexa jam ætate cupidus, honeſtiſſimas conditiones à Paulo III. oblatas, ut Romanam aulam repeteret, modeſtè recuſavit. In eo otio arctiùs adhæſit Mediceis, & Alexandro Florentinorum Principi conſiliorum arbiter, ac pręcipuus in republica gerenda miniſter civium ſuorum odium incurrit, habitus patrię libertatis hoſtis acerrimus: quamvis palam ſit eo ſtudio, Guicciardinum ſaluti patrię proſpexiſſe, quam vexatam ſeditionibus, laceratam inteſtinis diſſidiis, & rixis, ac partium decertantium inter ſe odiis civilibus convulſam, ac prope peſſundatam ſtare

minimè

(1) Ghil. Theatr. Vol. 2. p. 181. (2) Card. Pallav. hiſt. Concil. Trid. lib. 3. c. 19. n. 3. (3) Ughell. T. 2. p. 1169. n. 59. (4) Pallav. ibid. lib. 4. c. 6. n. 2. (5) Sanſon. in Diario An. 1500. (6) Muſæi p. 98. (7) Pignor. Ep. ad Molin. (8) Imper. ibid. Ghil. Theatr. Vol. 1. p. 58. 59.

minimè poſſe, videbat; ni omnia ad unum referrentur, qui univerſam rempublicam lapſantem ac feſſam nomine Principis ſub imperium aciperet. Interfecto Alexandro eadem illi dignitas & honoris gratia fuit apud Coſmum Magnum, quo permittente, pacatius otium impendit hiſtoriis conſcribendis, ad quas à Jacobo Nardio amico intimo ſtimulabatur. His vitæ reliquum dedit Florentiæ febri malignâ è vivis ereptus an. MDXL. ætatis LIX. ut habet Teiſſerus (1), non autem prope ſeptuagenarius, ut ſcribit, non bene intellecto Imperiali, Freherus (2). Sepultus eſt in oſſuario Majorum ad S. Felicitatis Florentiæ. Hiſtoria, quam Etruſco ſermone conſcripſit, libris XX. res in Italia geſtas percurrit ab an. MCDXCIV. ad MDXXXII. Ex ea communiter Italorum cenſetur hiſtoricorum coryphæus, & communi judicio, nitidus, elegans, in narrationibus expeditus, prudentiſſimis in re politica documentis refertus, ac veritatis religioſus amator pronunciatur: uſque verborum exceſſibus, quas hyperbolas dicimus, paſſim extollitur, quas ſi ſequare, Scriptorem hunc, & recentiorum omnium exiſtimes maximum, & maximis priſcorum hiſtoricorum parem, inficias ire non poſſis. Ii quoque, qui non admodum de Guicciardino judicant, nihil abſolutius fieri poſſe putant quinque libris prioribus editæ ab illo Hiſtoriæ, quos tamen emendatos ab ejus amico viro doctiſſimo ſed anonymo, referunt. Addunt, languere cæteros, otiari, plurimùm à majeſtate ac ſplendore priorum diſcedere. Ajunt, eſſe in hoc opere, quæ neque hiſtoricæ fidei reſpondeant, & ſobrietatem narrationis corrumpant, Nam & acerbiùs in illis Franciſci Mariæ Feltrii Urbinatium Ducis famæ detrahi, & malignè ejus facta magnanima, ac bellicæ virtutis decora diſſimulari propterea, quod is aliquando in quodam belli concilio Guicciardinum acriter objurgavit. Quid quod notant, nulla patientiâ ferri poſſe prolixam deſcriptionem Piſani belli, quin lector aut centies oſcitet, aut conſulat tædio ſuo, minutiſſimas illas narrationes, nec dignitati, nec legibus hiſtoriæ conſentaneas valere jubens. Carpit hæc ipſa damnatque Lipſius (3), qui Guicciardinum inter Italos ſummum, inter Veteres mediocrem hiſtoricum dicit, nec orationes ejus vegetas, & caſtigatas cenſet; ſuntque reipſa ſatis enerves, ſi duas excipias, alteram Ducis Albani, qua Carolum Cæſarem monet, ne Franciſco I. libertatem concedat; alteram, qua hortantem ſuos milites inducit in prælio Ravennate Gaſtonem Fuxienſem, quem & Joannem Mediceum ſolos ſummæ virtutis, at & vitæ breviſſimæ juvenes in totâ Hiſtoriâ ſua unicè laudat. Hæc de Franciſco Guicciardino ex aliorum cenſura hic annotavimus. Tu vide Nicium Erithreum (4), & Poſſevinum (5), & apud hunc alios, Præter Hiſtoriam edita ſunt Guicciardini *Conſilia* Aurea, & *Monita Politica*,

1540 LXXXII. JOANNES NEVIZANUS Aſtenſis Patavii Præceptoribus Franciſco Curtio juniore, & Marco Mantua Juriſprudentiam didicit, ut notant album Quæſtorium (6), Sanſonus (7), Pancirolus (8), & ipſe Nevizanus (9). Avum habuit Goffredum Montaſiæ Dominum (10), multaque bona poſſedit in agro Tiliolarum, & de his cum Paulo Viſca Cherienſi, donec vixit, diu multumque litigavit, Vir lepidi ingenii cælibem vitam duxit, naturalem attamen filium habuit ex Jacobetta Concubina, quam deinde nuptui locavit. Is Franciſcus dicebatur, qui ab obitu patris, & inter Jureconſultos claruit, & bonis omnibus ſpoliatus, ac redactus ad extremam inopiam inſanus obiit. Deceſſit Joannes nondum ſenex an. MDXL. ut comprobat Pancirolus (11). Edidit librum notiſſimum *Sylvæ Nuptialis*, & erudita *Reſponſa*,

CAPUT XIV,

Paulus Borgaſius. Gaſpar Contarenus Card. Franciſcus Cornelius Card.

1541 LXXXIII. PAULUS BORGASIUS (12) ortus ex oppido Feltrio ad Tridentinas Alpes N. V. Joanne Victore Juriſconſulto patre, adoleſcens humanioribus literis imbutus ſe totum addixit Juriſprudentiæ Patavii, undè poſt legitimam moram, excitus Felini Sandæi fama Bononiam venit, ubi doctoris quoque lauream conſecutus eſt, rediit Venetias: qua in urbe in Eccleſiaſtico foro diu cauſarum patronus, lectus eſt in collegium Canonicorum Feltrenſium. Profectus deinde Romam, à Leone X. variis in aulâ Pontificiâ dignitatum titulis exornatus patrocinio Marci Cardinalis Corne-

(1) Addit. ad Elog. Thuan. T. 2. p. 197. (2) T. 2. P. 4. p. 1444. (3) apud Poſſevin. infra. (4) Pinacoth. 3. p. 220. (5) Biblioth. lib. 16. c. 41. (6) Apud Salom. Collect. (7) in Diario. (8) de Clar. Interp. lib. 2. c. 154. p. 264. (9) Sylv. Nupt. lib. 1. n. 402. (10) Pancir. ibid. c. 153. p. 265. (11) d. p. 265. (12) Ghelin. Theatr. Vol. 2. p. 208.

Cornelii ad Nicoſienſes in Cypro inſulas pervenit, quas abſens geſſit: quippe juſſus aliis in Italia muneribus fungi, Præfecti ſcilicet Patrimonio S. Petri, ſeu Tranſtiberinæ Provinciæ, mox Pro-Legati Florentiæ. Vicariâ poſt hæc poteſtate pro Dominico Grimano Eccleſiæ Aquilejenſi præfuit; inde Curator Brixienſis Eccleſiæ, &, ut loquuntur, Apoſtolicus Commiſſarius, ita in eo ſe geſſit officio, tantoque ſtudio impias quaſdam, quæ, tum Brixiæ, tum Bergomi pullulabant ſectas compeſcuit, atque etiam profligavit, ut à Senatu Veneto laudatus, laborum præmium acceperit datam eorum, quæ ob Nicoſienſem Eccleſiam Cyprio ærario debebat, acceptilationem. Fuit quoque Adminiſtrator Eccleſiæ Patavinæ, undè Romam regreſſus majoribus in aula Pauli III. honorum titulis cumulatus eſt, ac Marino Cardinali Grimano Pro-Legatus datus Umbriam procuravit. Demum laboribus fractus, ac ſenio, tot muneribus ac dignitatibus reſignatis, quietis gratiâ conceſſit in patriam, ibique dolores podagricos infeſtiſſimos ſtudiis mitigavit. At anno ætatis LXXV. æræ communis MDXLI. negotiorum causâ cum veniſſet Venetias, ibi vivere deſiit, ſolemni funere elatus, & à Baptiſta Ægnatio facundiſſima oratione in æde S. Agnetis laudatus, inde apud PP. Societ. Jeſu conditus eſt. Extant edita ejus opera, & Canonum interpretibus æquè atque Theologis Ethicis nota.

Tractatus Varii. De Irregularitate, & de Impedimentis Ordinum, Officiorum, ac Beneficiorum Eccleſiaſticorum.

De Cenſuris Eccleſiaſticis, & de Diſpenſationibus ſuper eis.

LXXXIV. De GASPARE CONTARENO Cardinali magno illo Senatûs Apoſtolici 1542
Catone, quo nomine eum Sfortia Card. Pallavicinus appellat (1) ſatius eſt nihil dicere, quàm quæ maxima Senator, & Cardinalis egit ad legem brevitatis, quam profitemur, exigere. Ipſe ſuis ipſe meritis ſolis, ſuâ unâ famâ, cum ſapientiæ, tum virtutis ſeipſum facit eſſe notiſſimum; & alioqui eleganter adeo atque copiosè geſta ejus alii (2) complexi ſunt prolixis narrationibus, ut actum agere videamur, ſi quid ulteriùs audeamus. Hinc noſtri muneris erit hìc oſtendere, Gaſparem clariſſimis alumnis gymnaſii noſtri annumerandum eâ gloriâ omnium partium ſapientis viris ſæculo XVI. claruiſſe, quam nemo eâ ætate, ut ut magnificè celebretur, emeruit. Natus eſt Venetiis ordine Senatorio, familiâ ſereniſſimâ, patre Aloyſio, matre Polyxena Maripetria. Ubi adolevit deſtinabatur ad mercaturam à patre, quem tamen à propoſito revocavit ingenium adoleſcentis propenſum ad ſtudia literarum. Mutato ergo conſilio traditus eſt Antonio Juſtiniano, & Laurentio Bragadeno publicis patriciæ gentis Philoſophis erudiendus. Miſſus deinde Patavium Petri Pomponatii aſſiduus auditor fuit; ſummâque conſtantia, & ingenii maturitate ad pernoſcendas Philoſophorum ſcientias incubuit, adeo addictus doctiſſimis meditationibus, ut nec dum Venereâ, cui nunquam obnoxius fuiſſe dicitur, totâ vitâ virgo, ab omnibus voluptatibus, quæ Sapientiâ minimè condiuntur, penitus abhorruerit. Octodecim annos natus patrem fato ereptum amiſit, redeundumque illi Venetias fuit, ut ingentem familiam numero fratrum ac ſororum, magniſque ac diverſis negotiis fluctuantem componeret. Id quod illi ea æquabilitate & moderatione prædito, qua tota ſemper vita apud omnes inclaruit, feliciùs quàm exiſtimaverat, evenit; rebuſque domi bene conſtitutis, ſui juris juvenis rediit Patavium ad uberiorem omnium ſcientiarum quæſtum idoneus. Has ille proſecutus eſt avidiſſimè, jamque clarus Philoſophus juriſprudentiam deinceps Philoſophiæ partem potiſſimam iniit, ex eaque doctor his omnibus Theologiam quoque, tum Polemicam, tum Ethicam addidit, literarumque humaniorum ornamenta, ſimul Poetarum Græcorum ac Latinorum notitiam; tanto interim gymnaſium, expoſitaſque in eo ſapientiæ merces, amore ac neceſſitudine complexus, ut videretur indè minimè diſceſſurus, ni eum Cameracenſe bellum, obſeſſum Patavium & paulo poſt amiſſum, afflictæque reipublicæ opes inde invitum avulſiſſent. Rediit in patriam, in eaque privatim ſapientiam coluit, donec eum ætas reipublicæ gerendæ admovit, quæ Contarenum jam pridem ex fama doctrinæ, ac gloria probitatis celebrem tanti ſtatim fecit, ut nondum annum ætatis tertium ac trigeſimum egreſſum Oratorem ad Carolum Cæſarem miſerit. Erat tunc Cæſar iratus Venetis, quòd hoſtibus Gallis ex fœdere inito ſuppetitas præberent. Eum tamen Gaſpar modeſtiâ, virtutiſque, ac doctrinæ opinione ita ſibi devinxit, ut non ſolùm eo placato, pacatoque & facili ſemper ſit uſus, verùm etiam benevolo. Cæſarem ſecutus peragravit Germaniam, luſtravit Belgium, in Hiſpaniam mari per Oceanum invectus eſt. Revocatus Venetias poſt quinquennium obitæ legationis egregiè,

(1) Hiſt. Concil. Trid. lib. 10. c. 5. n. 4. (2) Jo. Caſa. Vit. Contar. Beccadel. ad Caſ. Ep. 10. Oldoin. ad Ciaccon. T. 3. p. 578. 599. Jovius Elog. p. 184. 185.

giè, atque in Senatum lectus, Ordini Sapientum, qui Continenti Veneto præeſt, adſcriptus eſt. Eo munere ſtrenuè ſunctum Senatus Præfectum Brixiæ deſtinavit, quem ab illo onere mox abſolverunt res Italiæ turbatæ armis Caroli Cæſaris, quæ militarem Brixiæ Prꝧfectum poſtularunt. Quare Gaſpar otio privato reſtitutus, optatiſſimas ſibi ferias à curis publicis fecit. His tamen illi diu frui minimè licuit. Nam cùm ſuiſſet nunciatum, captam urbem diripi crudeliſſimè, obſideri Pontificem in arce Adrianea, res omnes trans Apenninum teneri Exercitu Cꝧſaris, ad conſilium Principum Italorum, quod fuit indictum Ferrariꝧ, miſſus eſt. Undè reverſus ad omnes patriꝧ honores admiſſus, proximus erat Marcianꝧ Purpurꝧ, quam dum morte alicujus vacuam expectat, Sacram, & Romanam accepit. Erat unus ex iis, quos in oſtro temporario Conſiliarios Veneti appellant, fungebaturque tunc Gaſpar eo munere in magno, quod vocant, Conſilio, cum literꝧ Roma veniunt nunciantes eum à Paulo III. abſentem, necdum adſcriptum Sacris ordinibus, nec tale quidpiam expectantem opinantemve dictum S. R. E. Cardinalem. Communi plauſu delata illi excipitur Purpura: ipſe ſolus hꝧſit, revocatiſque ad trutinam vitꝧ prꝧſentis felicitate, & novitate, atque incommodis, quꝧ ex nova dignitate imminebant, eò propendebat, ut Purpurꝧ ſibi decretꝧ nuncium remitteret; cum tamen multis hortatus Matthꝧus Dandulo ad illam perpulit. Ergo primùm Diaconus Card. S. Mariꝧ in Aquiro, mox titulum accepit Presbyteri S. Vitalis, deinde S. Apollinaris, demum S. Praxedis. Eccleſiꝧ poſt hꝧc Bellunenſi prꝧfectus eſt, quod inter alios annotat Ughellus, qui tamen eum, ubi de Bellunenſibus Epiſcopis agit, hos inter minimè recenſet. In Purpura eoſdem mores, gravitatem, facilitatem, liberalitatem, & erga indigentes miſericordiam, quam in Senatorio Venetorum ordine illi Philoſophia exercendas præſtiterat, retinuit, diciturque (1) præ reliquis, ærumnas Græcorum miſeratus, quos ob gentis vetuſtam gloriam, virtutem, ſapientiam, fortunæ injurioſo pede protritos & ad extremam calamitatem redactos, qua potuit, licuitque, dilexit, juvit, ac fovit. Divo Ignatio Loyolæ familiariſſimus fuit, eoque commendante, probante, laudante maximæ Societatis Jeſu regulæ, decreto Paulli III. ſancitæ ſunt. Scilicet, ut viro doctorum hominum ſua ætate facile principi ordo in Eccleſia ſapientiſſimus omnium, lucem quodammodo primam, & exortum ſuum, & quaſi auſpicia certa deberet. Sed interea Gaſpar Legatus à Latere in Germaniam ad Cæſarem Carolum à Paulo III. miſſus, quòd ad res in ea Gente Lutheranorum conventibus comitiiſque turbatas ſua prudentia componendas omnium aptiſſimus videretur, cum ob gratiam Cꝧſaris, & Ferdinandi Regis magnꝧ dꝧ religione reſtituenda per eum ſpes eſſent conceptꝧ, hꝧque mox evanuiſſent, invidiꝧ patuit Romꝧ, ubi de eo dubitari cꝧptum, an ejus lenitate nimia hꝧrerent negotia; gratiaque illi in Germania apud Principes parta ex indulgentia, qua cum hꝧreticis utebatur, deſcenderet: ipſe tamen, quamvis omnia contemneret conſcientia ſua tutus, tamen & doluit, & faſſus eſt publicè nihil à ſe actum inconſulto Pontifice, injuſſuve ejus, ſimul Pontificem ipſum, ut ſibi, atque innocentiꝧ ſuꝧ prꝧſto eſſet admonuit: à quo adeo acta ejus probata ſunt, ut redeuntem à legatione juſſerit in eadem dignitate Carolum Mediolanum comitari; qua in urbe quot quantiſque honoribus fuerit cumulatus ex Joanne Caſa, qui vitam ejus deſcripſit, & ex iis, quꝧ congerit Oldoinus, undè hꝧc omnia mutuati ſumus, accipies. Mediolano Lucam profecturum Carolum, ut ibi Pontificem conveniret, prævit Contarenus, quem publicè Pontifex pro rebus in Germaniâ geſtis laudavit, ac Romam remiſit novis beneficiorum titulis cumulatum. Legatum deinde Bononienſem dixit, qua in eximiâ dignitate, quot virtutibus inclaruerit, dicent, quos nominavimus, Biographi. Ex illa Legatione ad pacis fœdera inter Carolum Cæſarem, & Franciſcum Regem ſancienda, cum Paulus Sadoletum in Galliam Legatum dixiſſet, hunc in Hiſpaniam ire juſſit: verùm intercepit poſtremum hunc honorem mors præmatura, quippe Bononiæ morbo correptus decubuit, ibique mortalitatem explevit Kal. Septembris MDXLII. ætat. LIX. Indoluit ejus morte Romanus Pontifex, indoluere docti viri omnes, eumque, cum orationibus, tum verſibus Rhetores ac Poetæ ſæculo XVI. clariſſimi laudavere. Corpus ejus delatum Venetias jacet in templo S. Mariæ ab Horto, majorumque loculo cum hac epigraphe.

Gaſparis Contareni S. R. E. Cardinalis Oſſa
Cujus admirandam integritatem, Doctrinam, ac Eloquentiam
In utraque Republ. & apud Summos Reges

geſta,

(1) in Epiſt. Rer. Cypriar. c. 37.

geſta, & ſcripta teſtantur,
Bononiæ Legatus Pontif. naturæ ceſſit
MDXLII. Vixit An. LIX.
Aloyſius Eques & Gaſpar ex Fratre
Nepotes tanto Viro P.

Opera Gaſparis Card. Contareni edita.

Libri II. de Immortalitate Animæ adversùs Sententiam Pomponatii Doctoris ſui.

Libri V. de Elementis ad Matthæum Dandulum Sororis ſuæ Virum.

Libri IV. de altiore Philoſophia ad Paulum Juſtinianum.

Libri II. de Officio Epiſcopi.

Libri II. de Poteſtate Rom. Pontificis, & uſu Clavium ad Paulum III. & Nicolaum Theupolum.

Libri V. de Magiſtratibus & Republica Venetorum.

Epitome ex S. Synodis ad Emendationem Chriſtianæ Reipubl.

Libri IV. de Ritibus, Cæremoniis, & Sacramentis Eccleſiæ.

Inſtitutiones Chriſtiani hominis ad Exhomologeſim criminum utiles.

Epiſtola ac Libelli, quos inter maximi habetur, qui de libero hominis arbitrio controverſiam dirimit.

Liber de Æſtu Maris.

Tractatus I. quo impugnatur quarta Syllogiſmi Figura Galenica.

II. De Homocentricis ad Fracaſtorium.

III. De Ratione Anni.

IV. De Sententiis Lutheri circa Juſtificationem, Prædeſtinationem, liberum arbitrium, & Pœnitentiam.

Reſponſio ad Apologiam Franciſci Georgii.

Interpretatio Italica Pſalmi: Ad te levavi, ad Sororem Monialem Mauriani.

LXXXV. Primus è ſereniſſima Corneliorum familia fuiſſe Cardinalis dicitur FRANCISCUS (1) Georgii Senatoris, & Eliſabethæ Maurocenæ filius, Catharinæ Reginæ Cypri nepos. Is adoleſcens in hoc noſtro gymnaſio bonis artibus ac juriſprudentiæ operam dedit unà cum Andreâ fratre, qui deinde Spalatenſis Epiſcopus in Lateranenſi concilio ſub Leone X. maximè inclaruit. Vir enim fuit doctiſſimus & longè à fratre & Andrea nepote Cardinalibus, quibuſcum confunditur à Salomonio inconſtanter, diverſus. Fratrem utrunque hoſpitio Canonicorum S. Georgii de Algâ uſum fuiſſe Patavii, quamvis haberet hìc ædes ampliſſimas, ſcribit Tomaſinus (2), quòd hi fratres Cornelii erga Canonicos hoſce affecti maximè, horum contubernio delectarentur. Sed Andream arctius continuit ſapientia, eumque ad laurum utriuſque juris evexit, ut idem Tomaſinus notat, & ſignat Sanſonus; at Franciſcus poſt annos aliquot à literis ad arma tranſtulit animum, patremque ſecutus interfuit Abduenſi prælio, triremem gubernavit, & in obſidione Patavina, cum delectâ manu juvenum, quorum plerique nondum plane clauſi gymnaſii ſcholas frequentabant, opem tulit mœnia tutantibus, atque acrius cęteris pugnans grande vitæ periculum ſubiit, votoque ſe obligavit, ſi diſcriminis aleam eluſiſſet, ad peregrinationem Hieroſolymitanam. Hanc obivit cum Reſpublica reſpiravit à bello Cameracenſi, in eâque contumelias & verbera perpeſſus eſt ab hoſtibus chriſtianæ religionis. Redux Venetias ad rempublicam gerendam acceſſit; functuſque Senatoriis dignitatibus, & honoribus auctus patriæ legatus fuit quadriennio apud Carolum Regem Hiſpaniæ, cujus aulam ſecutus eſt in eo munere per Germaniam, ac Belgium, donec ſucceſſorem accepit Gaſparem Contarenum, quem poſt annos paucos collegam habuit in Romano Senatu. Nam cum provectæ jam virum ætatis, clarumque inter Venetos Senatores ad Romanam Purpuram Clemens VII. in arce Romana obſeſſus, abſentem, & nec dum ſacræ militiæ adſcriptum adſcivit (3) an. MDXXVII. Inſignia dignitatis accepit anno ſequenti Venetiis ab Epiſcopo Polano Nuncio Apoſtolico. Sacris initiatus dictus eſt Presbyter Card. S. Pancratii, tum S. Cæciliæ, demum S. Mariæ Tranſtiberim. Inde ad Brixienſes infulas evectus, licet ægrotus ad ejus Eccleſiæ regimen profectus eſt. Eam deinde moderatus eſt abſens per probatiſſimos viros, ſolitus repetere: bonum Principem malis utentem miniſtris malo bonis utente pejorem eſſe. Eandem Eccleſiam poſtmodum reſignavit Andreæ nepoti, regreſſuſque Romam inter Epiſcopos Romanos fuit primùm Albanus, Præneſtinus deinde, & Archipresbyter baſilicæ Vaticanæ. Perpetuò artuum doloribus conflictatus eſt uſque adeo, ut non ſolùm plerunque in Senatum lecticâ inferretur, verùm etiam ſemper, exceptâ linguâ, reliquorum corporis membrorum uſu careret. Dolores illos vir 1543

(1) Hier. Nigr. Orat. Funeb. in F. Card. Cornel. (2) in Append. ad Annal. lib. 2. (3) Panvin. Vit. Clem. VII.

pius & venerabilis ex prudentiâ & vitæ integritate fortiter toleravit, eâdemque conſtantiâ & religione mortem excepit, quam obiit Viterbii an. MDXLIII. ætatis LXV. Cadaver ejus translatum Venetias coram Principe ac Senatu peractis inferiis cum funebri oratione Hieronymi Nigri ſepultum eſt ad D. Georgii Majoris, vel ut ſcribit Ughellus (1), in multis corrigendus ex Oldoino (2), ad S. Salvatoris.

CAPUT XV.

Marinus Cardinalis Grimanus Patriarcha Aquilejenſis. Petrus Bembus Cardinalis.

1546 LXXXVI. MARINUS Cardinalis GRIMANUS patricius Venetus Dominicum Cardinalem patruum excepit, & ipſe Patriarcha Aquilejenſis ordine ſextus & octogeſimus ex Ughelliana ſupputatione (3). Dignitatem à patruo reſignante habuit, illo ſapientiâ non minor, quam ſibi quæſivit in hoc gymnaſio, unde juris utriuſque doctor poſt legitimum ſtudiorum curriculum prodiit, ut datas à patruo infulas acciperet an. MDXVII. ſedente Leone X. A Clemente VII. Cardinalis creatus eſt an. MDXXII. extra ordinem unà cum Franciſco Cornelio, quòd ingenti pecuniâ Pontificem inopem, & urbe direptâ ac perditâ prope mendicum juviſſet. Notat hoc ipſum Panvinius (4) ſed injurioſè, ſcribens, hunc cum aliis aliquot ob pecuniam evectum ad Purpuram, quaſi verò pretio ſibi dignitatem paraverit, non meritis, quibus datum pecuniæ in ſumma neceſſitate ſubſidium compendio fuit. Sed Marinum honore hoc fuiſſe digniſſimum peracta in ipſo doctè & integrè vita comprobavit. Legatus à Latere in difficillimis negotiis ſi minus utilem, prudentiſſimam certè operam poſuit, & Franciſco Gallorum Regi Carolum Cæſarem conciliare conatus eſt. Eodem munere functus Peruſiæ & in Umbria tota, totaque Gallia Ciſalpina tumultuantes Provincias in officio continuit. Hinc illi ad Infulas Aquilejenſes adjectæ Cenetenſes & Conſtantinopolitanæ, aliæque, ex quarum ditibus Sacerdotiis ſplendidiſſimè vixit. Patriarchatu Aquilejenſi abdicavit ſe an. MDXXIX. eumque in Marcum fratrem tranſtulit, quo è vivis erepto circa annum MDXXXVII. dignitatem eandem recuperavit jure regreſſus, quo nomine corruptela tunc erat legitima, quam jus noviſſimum damnavit, abrogavitque. Tandem recuperatam dignitatem ceſſit Joanni fratri ſexennio poſt, atque Urbeveteri Epiſcopus Portuenſis deceſſit an. MDXLVI. Ejus corpus Venetias delatum in templo S. Franciſci ad Vineam è regione Dominici patrui Cardinalis jacet. Fuit Marinus vir doctiſſimus, & eloquentiſſimus, multaque ſcripſiſſe dicitur, ex quibus apud poſteritatem eruditam commendatur elegans *Commentarius in Epiſtolam Pauli ad Romanos*.

1547 LXXXVII. De PETRO BEMBO Cardinali, quem conſtat (5), & alumnum fuiſſe Gymnaſii noſtri, & in Patavino Juriſconſultorum collegio juris utriuſque lauream reportaſſe, multi, quæ neque benignè de moribus, neque de re ſacra religioſè dicta, ſcriptaque viri doctiſſimi pietatem, atque prudentiam tueri poſſunt. Ea tamen, quæ apud Joannem Quenſtedium (6), & Antonium Teiſſerum (7), ſi placuerit, leges, vel malignæ dicacitati, vel moribus aulæ, ac ſæculo, quo Bembus vixit, ejuſque ætati tribuenda ſunt, nec ad nos pertinent, qui Bembum non ex morum probitate, quam alioqui defendere poſſumus, ſed ex doctrinæ fama ad gloriam Gymnaſii noſtri vocamus. Natus eſt patricia gente Venetiis anno MCDLXX. Bernardo patre I. V. D., de quo diximus. Is cùm à Venetis ad populum Florentinum legatus unà cum Joanne Emo miſſus eſt, Petrum annos octo, vel novem natum ut Beccatellus tradit (8), ſecum deduxit, curavitque, ut per ætatem licuit, Etruſco ſermone imbui. Legatione obita Bernardus cùm poſt biennium jam bonarum artium ſtudio incenſum Petrum filium reduxiſſet in patriam, ita vir probus ac diligens educavit apud ſe, ut in dies magis magiſque addictus literis, ac præſertim facundiæ, hanc prope dixerim deperiret magiſtris urgentibus, quibus eum pater inſtituendum tradiderat. Sub his cùm jam latini ſermonis potitum ſe eſſe cognoſceret, poſt annorum duodecim navatæ his literarum crepundiis utiliter operæ, ad ſpem Græcæ linguæ pari ſucceſſu comparandæ ſe erexit; obtinuitque à patre, ut in Siciliam navigaret circa annum ætatis ſecundum atque vigeſimum, quò Conſtantinum Laſcarem Byzantinum, ibi Græcas literas profitentem audiret.

(1) T. 4. p. 561. 562. n. 97. n. 8. (2) ad Ciaccon. T. 3. p. 560. 701. (3) Ughell. in Serie Patr. Aquil. Oldoin. T. 3. p. 485. 488. (4) Vit. Clem. VII. (5) Sanſon. præfat. in Diar. Pignor. Epiſt. ad Molin. Tomaſin. Append. Ann. lib. 1. (6) Dialog. de Patriis Vir. Doct. (7) in addit. ad Elog. Thuan. T. 1 p. 10. n. 11. (8) Vit. Bembi.

audiret. Fuit ergo Meſſanæ biennio, ibique editum ab eo fuiſſe carmen, quod Ætna inſcribitur, cenſet Baglierius (1), cui refragatur Cl. Apoſtolus Zenus noſter (2), probatque carmen illud anno ſequenti à Bembo fuiſſe compoſitum in Noviano ſuo. Eo anno ac ſequentibus fuerit omnino Patavii, atque hìc ſe alumnum Philoſophiæ profeſſus ſit. Nam ſe in Epiſtolis & multoties alibi diſcipulum dicit Nicolai Leonici Tomæi, idipſumque confirmat Varchius. Nec dubium quin alias quoque diſciplinas gymnaſticas ſtudio complexus fuerit, ac præſertim juriſprudentiam, quando, ut proximè diximus, ea illum Doctorem pronunciavit. Annum agens XXVIII. Ferrariam venit Bernardi parentis comes, quem Prodomini munus ibi obiturum Veneta Reſpublica eò delegaverat. In illa urbe contractâ cum eruditiſſimis viris amicitiâ ad ſcribendum ſe contulit, ediditque *Aſulanos*, Dialogum celeberrimum, ex quo maximè claruit, elaretque. Inde Urbinum profectus eſt ad Guidonem Ubaldum Feretrium Ducem, ſummum per ea tempora literatorum hominum patronum, apud quem, ejuſque hoſpites doctiſſimos ſumma in gratia vixit, quamvis invito patre, qui eum ad honores patriæ, ex ingenio gentis ſua mirari unicè ſolitæ, revocabat. Notat hoc ipſum Joannes Caſa (3), ſimul quantus habitus fuerit Urbini Bembus, quantaſque ſibi amicitias comparaverit, continenter exponit. Eadem latiùs, explicatiùſque Beccatellus (4), quo authore, cùm ſibi ſtudio impenſiore conciliaſſet amorem Juliani Medicei, & Franciſci Fregoſii Archiepiſcopi Salernitani: ab illo quidem, poſtea Leone X., initia dignitatum habuit, ab hoc verò Romam inter comites honorarios deductus, commendatuſque literis Eliſabetæ Gonzagæ, quæ Guidonis Ubaldi uxor erat, Julio II. innotuit, cujus etiam beneficentiam promeruit, quòd notulas quaſdam, & literarum compendia in codice è Dacia miſſo ad Pontificem explicaſſet, quas nemo quiverat ad eam diem interpretari. Ejus facti præmium habuit, non ſanè, ut aliqui autumant, Bononienſem legationem, ſed commendatam in eâ urbe, vel agro Eccleſiam. Nec diu poſt ad Inſulas toti Eccleſiæ præfectas evectus Leo X. Bembum cum Sadoleto à Secretis, & ut ajunt, à latinis Epiſtolis, brevibuſque miniſtrum elegit, annum agentem ætatis XLIII., quem etiam ſacerdotiis ditavit munificè, ut ex eorum fructibus ſeſtertia ampliùs centum & viginti caperet, quod Caſa ſcribit, hoc eſt florenorum, inquit Beccatellus, aureorum tria millia. Hoc munere apud Leonem fuit ad an. MDXVIII., quo Venetias obitu patris revocatus, poſtquam re domeſticâ compoſitâ regreſſus in idem munus Romam, iterum ægrotare cœpiſſet, feſſus officio gravi, & aſſiduo labore, ut ejus Biographi tradunt, iterum redux in patriam ad balnea Patavina ſeceſſit, dilectumque ſibi Patavium repetiit ipſo an. MDXXI., quo Leo X. abiit ad plures. Hìc domus ejus eruditorum hominum & hoſpitio & conventibus frequens novi quaſi Peripati ſpeciem retuliſſe dicitur, in quo ipſe, ſapientiæ auſpex & arbiter, doctis diſceptationibus præſidebat, ac Mecænas ſapientiſſimorum virorum ingeniis laudem, & præmia decernebat. Ferunt, domi ſuæ hortum ſibi Botanicum apparaſſe, ac rei herbariæ animum addixiſſe, tam ſedulò, ut non minus ex hac ſtirpium notitiâ, ex qua laudatur à Varchio, gloriæ ſit adeptus, quàm ex aliis operibus, quæ in hoc receſſu ſcripſit, & quorum famâ atque elegantiâ tanti toto ſæculo XVI. habitus eſt. Annum agenti ſexageſimum Senatuſconſulto munus defertur Venetæ Hiſtoriæ conſcribendæ poſt Naugerium: cui dum in Noniano ſuo, prædio ſcilicet avito ad Villam Nonum, ſeu Bozziam vulgò, ſuburbanam quidem Patavio, ſed Prætori Cittadellæ ſubjectam, ut diſces ex Salomonio (5), operam dat, abſens à Paulo III. ad purpuram deſtinatur. Ea tamen illi dilata aliquandiu eſt ob calumnias, quas acriter inſectantur ejus Biographi (6), imò ipſe datis ad Pontificem Paulum, & Cardinalem Farneſium literis excutit. Hinc factum, ut non niſi, cùm quintò Paulus Viros egregios ad collegium Purpuratorum cooptavit, Bembo deſtinatam, dilatamque Purpuram diſcuſſis criminationibus, decreverit anno MDXXXIX. Narrat Caſa (7), accepto nuncio dignitatis tantæ, Bembum, an ea recipienda eſſet, diu multumque deliberaſſe, nec, quamvis provocatum hortatibus Petri Landi, qui deinde Dux Venetorum fuit, induxiſſe animum, ut conſentiret, quàm poſtridiè, cùm ad ſacrum audiendum ingreſſus, presbyterum audiſſet recitantem verba Servatoris ad Petrum, *tu me ſequere*. His monitum obſequi decreviſſe, nec niſi obſequio ad Purpuram perveniſſe. Verùm hæc hiſtoria, tum ex Beccatelli ſilentio, ſuſpicioni obnoxia eſt, tum verò planè labefactatur ex iis, quæ accuratè & eruditè, ut ſolet, annotat Zenus noſter (8). Quidquid ſit, certum eſt, ſpecie recuſantis, &

(1) lib.de pueris clar.ex glor.Studior. (2) Not. ad Vit. Bembi T. 2. Hiſtor. Venet. p. 6. (3) Vit.Bemb. T. 2. hiſt. Venet. p. 15. (4) Vit.Bembi ibid. (5) Inſcrip.Agri Patav.p.215.232. (6) Beccatell. Vit. ibid.p. 41.42. (7) Vit. ibid. p. 18. (8) not. in Vit. Bembi d. T. 2. p. 18. c. & p. 19. a.

inviti à Bembo id acceptum, quod alii flagrantiſſimè cupiunt, & prænſant ambitioſè. Agebat tunc ille annum octavum & ſexageſimum, quamobrem, utut Romam profectus ſummâ doctorum hominum gratulatione palam exceptus, eorundem arctiſſimâ deinceps ac ſuaviſſima familiaritate uſus ſit; privatim tamen literis addictus non eam ſummæ virtutis objecit aulæ ſpeciem, quam petunt ejus operoſa negotia. Quare ampulla quædam & emphaſis ſit, quam lectoribus obtrudit Caſa (1), cùm ſcribit; pleriſque compertum fuiſſe, ſi ante eum Paulus Pontifex obiiſſet, quod natura poſtulare videbatur, futurum fuiſſe, ut crearetur ipſe Pontifex Maximus. De hac hominum opinione Beccatellus nihil; totus eſt in eruditione viri, facilitate, in amicos & familiares beneficentiâ, præſertimque pietate in ſenio ſingulari deſcribenda, quo probet, eum, in quem hac maximè ex parte ſycophantæ invecti ſunt, pia & religioſa morte, in ſinu Reginaldi Card. Poli fuiſſe defunctum. Id quod contigit ſeptem ac ſeptuaginta annorum ſeni Romæ XIII. Kal. Februarii an. MDXLVII. Conditus eſt ad D. Mariæ ſupra Minervam cum Epigraphe à Sadoleto poſita, quam leges apud Beccatellum. Aliam appoſuit Torquatus frater, quam refert Salomonius (2), & poſt eum Zenus. Laudatus eſt in Etruria à Varchio, Venetiis in ſuhore à Speronio nitidiſſima Oratione. Memoriæ poſterorum commendatur cenotaphio cum ſimulacro & inſcriptione (3) hac in baſilica Antoniana Patavii.

Petri Bembi Imaginem
Hieronymus Quirinus Iſmenii Filius
Publicè exponendam curavit,
Ut, cujus ingenii monumenta æterna ſunt, Corporis
Quoque memoria ne à poſteris
Deſideretur.
Vixit Annos LXXVI. Menſ. VII. Dies XXIX. obiit An. MDXLVII.

Scripſiſſe Bembum plurima, tum Latinè, tum Italicè, & quidem in utraque lingua eloquentiſſimè, elegantiſſimè, planum, notiſſimum eſt. Ea tanti fecit, quod notavimus XVI. ſæculum, ut ex illis Petrarchâ major, Cicerone major, major Livio apud pleroſque audierit, Poeta Etruſcus, Latinus Orator, latinus Hiſtoricus, ut colliges ex iis, quæ in Muſæo congerit Imperialis (4). Verùm ex Criticorum ſententia, ſi ſtylum excipias, qui candidiſſimus, elegantiſſimus plerumque eſt, non tamen ſemper, ut annotat Lipſius, Bembi ſcripta aut robuſta ſunt, aut acuminis uſpiam aliquid referunt, quemadmodum pleraque edita illo ſæculo, quo plures occurrunt Grammatici, quàm firmioris acrioriſque facundiæ Scriptores. Quid iidem Critici cenſuerint de ejus hiſtoria, obvium eſt, nec video, quid mirum & priſcis comparandum inveniant recentiores pædagogi, quorum ſtudio ſæculum XVI. reviviſcit.

Opera Bembi vulgata latinè.

Hiſtoria Veneta libri XII.
De imitatione Sermonis Liber I. ad Jo. Franciſcum Picum.
Epiſtolarum Leonis X. nomine libri XVI.
Epiſtolarum Familiarium libri VI.
Dialogus de Ætna & de Culice Virgilii.
Carminum libellus.
De Guidone Ubaldo Feretrio, & Eliſabetta Gonzaga Urbini Ducibus lib. I.
Caſtigationes in aliqua loca Terentii.
Epiſtola ſelecta ad Longavum.
Hymnus in Stephanum Protomartyrem inſertus Poemati Sannazarii de partu Virginis.

Opera Italica.

Proſa de Vernacula Italorum lingua.
Aſulani Dialogus, cui addidit appendicem de articulis & verbis.
Epiſtolæ ad Summos Pontifices, Cardinales & alios.
Epiſtolarum ad Principes, & Familiarum libri XII.
Epiſtola ad Illuſtres Fœminas, & Matronas.
Epiſtola familiares ad Jo. Matthæum Bembum Nepotem.
Orationes aliquot,
Carmina Italica vincta rhythmis.

Hæc Bembi Opera legimus, ſuntque edita, atque accuratius à Clar. Zeno ex propoſito ſuo recenſentur, additis laborioſè ſigillatim editionibus. Quibus non minore diligentiâ, curâque accenſet Opera quoque non edita apud ipſum videnda.

CAPUT

(1) Vit. Bembi ibid. p. 20. (2) Inſcrip. Patav. p. 356. ſub n. 36. (3) Salom. ibid. (4) p. 21. 22.

C A P U T XVI.

Jacobus Sadoletus Card. S. Cajetanus Tieneus. Gregorius Corteſius Card. Hieronymus Veritas. Ubertus Gambara Cardinalis.

LXXXVIII. JACOBUS Cardinalis SADOLETUS Murinenſis, natus an. MCDLXXVIII. 1546
ſtudiorum tyrocinium poſuit Ferrariæ illuc deductus à Patre Joanne, qui peritiſſimus juris, accitus ab Hereule I. Duee Ferrarienſi leges ibi, deinde Bononiæ docuit, ediditque aliqua in Titulum de Confeſſis, ut annotat Pancirolus (1). Poſt obitum patris veniſſe Jacobum Patavium, atque hoſpitem triennalem cœnobii Canonieorum S. Georgii de Alga, tum humanioribus diſeiplinis, ac præſertim latinæ poeſi, tum ſeverioribus, & in primis juriſprudentię laborem ſedulum impendiſſe, multum admodum glorioſè Tomaſinus probat (2), productis monumentis & Gymnaſii noſtri, & ſui ad Vantium cœnobii. Addit Salomonius (3) lauream eum hìc conſecutum fuiſſe in eâdem ſcientiâ; quod non affirmo, cum nullo id videam documento legitimo confirmatum. Et fortè nuſquam doctoris nomen aſſumpſerit, nam Patavio Ferrariam, vel potiùs in patriam rediit, pangendiſque carminibus latinis juvenis inſudavit: quippe adhuc juvenis elaris Poeris annumeratur à Gyraldo (4). Vertit deinde capax majorum ingenium ad Theologica, doctore uſus Eremirano Monacho, quem ad idipſum in contubernium adſeivit. His ornamentis ac ſeientiis inſtructus Romam venit, vixitque multis annis in aulâ Oliverii Cardinalis Carafæ, quo è vivis erepto, recepit ſe apud Friderieum Fregoſium Salernitanum Antiſtitem, poſtea Cardinalem. Ex hujus familia lectum unà cum Bembo, ſibi à ſecretis, & Brevium libellis dixit Leo X. quippe pari cum Bembo famâ ſapientiæ atque latinæ elocutionis laude clariſſimum. Idem illum Pontifex Carpentoractenſibus in Gallia inſulis ornavit, ad quas poſt obitum Leonis in Eccleſia gerendas ſuâ vir doctus & pius ſe contulit: vixitque diu Carpentoracti, ſummâ integritate vitæ ſuo muneri prorsùs addictus, atque ita eum hæreticis pugnans, ut, incolumi grege, eui præerat, ne communibus quidem hoſtibus Orthodoxorum diſplicuerit. Nam, quod raro contingit, nec niſi apud prudentiſſimos uſuvenit, habuit in tuenda Fidei veritate modum, quo qui earent, plerunque vel aeerbitati naturæ militant, vel ambitioni. Anno MDXXXVI. ante Bembum Cardinalium collegio adlectus eſt à Paulo III., miſſuſque in Galliam ad conciliandam inter Franciſcum I. & Carolum V. concordiam, quamvis, re infecta diſceſſerit, exacerbatum tamen Regis animum & inſanabili propè odio exulceratum perblanda verborum officiorumque medicatione mitigavit. Obiit Romæ an. MDXLVII. ſeptuagenarius, ab obitu Bembi menſe ſecundo, ut obſervat Thuanus. Antonius Floribellus Epiſeopus acta ejus deſcripſit, ex quibus decerpta ſunt, quæ de illo tradunt Ghilinus in Theatro (5), Imperialis in Muſæo (6), cæterique, quorum ex hoc fonte Sadoleti notitia eſt. Eum Petrus Cardinalis Carafa publicè laudavit, quo die primus poſt obitum ejus Senatus habitus eſt coram Paulo III. Pontifice. In æde D. Laurentii luculenta oratione virtutes ejus expoſuit Jacobus Gallus, celeberrimus poſtea Jureconſultus & noſtri gymnaſii profeſſor. Sepultus eſt in Exquiliis ad D. Petri ſine funeris pompa, ut teſtamento mandaverat; & quidem in monumento ad tempus à nepotibus poſito, ut ejus monet Epigraphe. Habitus eſt elocutione Bembo minor, fuitque reipſa, atque idcirco non tanti cenſetur à reeentioribus pædagogis. Candorem tamen habet & elegantiam rebus, quas tractat, idoneam: nervoſior autem Bembo eſt, & plerunque robuſtus, in quo quandoque ſe prodat ſpiritus literarius, & doctrinæ gravioris ingenium, præſertim cum de re ſacrâ diſputat, & in hæreticos pugnax invehitur. Et hi quidem de eo multa, quæ leges apud Jo. Jacobum Boiſſardum (7), & Antonium Teiſſerium (8). Ea tamen gratis dicta, ſcriptaque nuſquam probantur, & hæreticorum ſunt fabulæ, mera ſomnia.

Scripta ejus edita hæc ſunt.

De Pueris rectè & liberaliter inſtituendis.
De Laudibus Philoſophiæ.
De Regno Ungariæ à Turcis capto & oppreſſo.
Paræneſis adhortatoria de Bello Turcis inferendo ad Ludovicum Galliæ Regem.
Commentariorum in Epiſt. ad Romanos Libri III.

(1) de Clar. Interp. lib. 2. c. 189. p. 231. (2) Append. ad Annal. lib. 2. (3) ad Inſcript. Gym. in Collectan.
(4) lib. 1. de Poet. ſui temp. (5) Vol. 1. p. 193. (6) p. 24. Gad. de Script. p. 316. 317.
(7) Vit. L. Vir. Doct. (8) addit. ad Elog. Thuan. T. 1. p. 13.

Interpretatio Pſalmorum, Miſerere mei Deus, & Deus Ultionum.
Homeliæ duæ. Altera de Ungariâ à Turcis captâ, altera de Morte Friderici Fregoſi Card., olim Patroni, mox Collegæ.
Epiſtolâ Dogmatica ad Joannem Sturmium de emendatione Eccleſiæ.
Epiſtola ad S.P.Q. Genevenſem, cui Jo.Calvinus reſpondit.
Epiſtolarum libri XVI.
Ad Paulum Sadoletum Nepotem & ſucceſſorem in Epiſcopatu Epiſtolarum liber I.
Curtius, & Laocoon Poemata.
Carmen de Otio, & tranquillitate.
Conſolationes Philoſophicæ & Meditationes in adverſis.

LXXXIX. Eodem anno, quo mors geminum Purpuræ decus, de quo proximè dixi-
1547 mus, Gymnaſio noſtro abſtulit, longè majus quidpiam & in ampliſſimam gymnaſii
noſtri gloriam perennaturum intulit cœlo in S. CAJETANO TIENÆO venerabili
cive Vicentiæ, ſobole nominis æterni nobiliſſimæ gentis, ac domi foriſque pacis æquè
ac belli ſtudiis claræ. Eum (1) ab exortu pia mater Virgini Deiparæ obtulit, dica-
vitque; cujus clientelâ & patrocinio à prima ætate conſtanter adeò veræ pietatis iter
ingreſſus eſt, ut jam tum Sanctus appellaretur. Patavini alumnus gymnaſii Juriſpru-
dentiæ operam quadriennio dedit; atque hic lauream, probatæ ſapientiæ præmium ade-
ptus eſt XVI. Kal. Auguſti an. MDIV. ut & acta Juriſconſultorum collegii (2) ſi-
gnant, & collegium ipſum religioſè profitetur in appenſâ ſuis parietibus icone (3).
Romam profectus & à Julio II. in ordinem Præſulum aulicorum adlectus, ſacra cœpit
initia, quibus ſenſim admonitus, vana eſſe omnia, quorum illiciis à pleno Dei famu-
latu, & amore ſeveræ virtutis abſtrahimur, aulæ valedixit; ſeque totum Deiparæ man-
cipavit. Et primò quidem ſuo ære constructis Noſocomiis receptos pauperes etiam
morbo ſontico laborantes ſuis ipſe manibus curabat, ſanatoſque ad æternæ ſalutis de-
ſiderium accendebat: mox majus ac præclariſſimum opus aggreſſus, ut collapſam Eccle-
ſiaſticam diſciplinam ad vitæ formam Apoſtolicæ revocaret, an. MDXXV. Clericorum
Ordinem inſtituit, qui rerum omnium ſecuri, & paupertatis Evangelicæ ſtudioſi, nec
redditus ad vitam ſuſtentandam haberent, & ſponte dumtaxat oblatis ſtipibus vive-
rent. Probavit Clemens VII. Inſtitutum egregium, quod unà cum Jo. Petro Caraſa
præſule Theatino, qui poſtea Paulus IV. Pont. Max. fuit, Cajetanus ritu ſolemni
profeſſus, & in poſteris ſanctè perennat, & orthodoxam Eccleſiam omnium virtutum
exemplis illuſtrat. Sed hæc Cajetanum agentem, conantemque multa ad nitorem Ec-
cleſiæ, ad exitium hæreſum, ad honorem dilecti Numinis (cujus cultum ab omnibus
exigebat, cujus contemplator aſſiduus, quotidiana diuturnaque meditatione ſæpe extra
ſe raptus fruebatur) direptio funeſta urbis miris ac magnis ærumnis exercuit. Captus,
vexatus, tortus à barbaris, ut aurum proderet, quod non habebat, quoque ſe peni-
tus abdicaverat, ſola Dei providentia pro patrimonio, cenſuque contentus, toleravit
omnia fortiſſimè, præmiumque conſtantiæ habuit Chriſtum ipſum, quem illi ad præ-
ſepe Virgo Deipara nocte Servatoris natali, in ulnis gerendum tradidiſſe viſa eſt. Fo-
vit ille capaci ſinu divinum pignus, indeque adhuc in ipſa mortalitate beatus, fer-
ventiis in amorem abſolutæ numeris omnibus ſanctitatis exarſit. Seceſſit Neapolim,
ac vitæ quod ſupererat reliquum, Chriſtianæ humilitati, theoreſi perpetuæ rerum di-
vinarum, rigidiſſimis corporis afflictationibus dedit: teſtatus mitiora ſuadentibus, in
cinere ac cilicio velle ſe mori. Ibidem ex animi dolore morbo contracto, quòd po-
puli ſeditione divina humanaque jura contemni videret, viſione cœleſti recreatus mi-
gravit in cœlum an. MDXLVII. Corpus ejus in templo D. Pauli conditum magna ur-
bis totius religione colitur; eumque, cum in vita, tum ab obitu multis magniſque
miraculis clarum, Clemens X. Pont. Max. in Sanctorum numerum retulit.
1548 XC. GREGORIUS CORTESIUS Cardinalis nobili familia Mutinæ progenitus, ado-
leſcens bonis literis Græcis & latinis excultus civili ac pontificio juri primum Bono-
niæ operam dedit, deinde Patavii, ubi etiam confecto ſtudiorum curriculo laurum ex
merito conſecutus eſt (4). Vixit aliquandiu in aula Joannis Card. Medicei (4), poſtea
Leonis X., deinde rerum humanarum pertæſus, & quietis piæ ac literariæ cupidus, in
Sacro D. Benedicti cœnobio agri Mantuani vitam profeſſus Monaſticam eſt; eoque in
genere vivendi ità profecit, ut munera cœnobitici inſtituti ſumma cum laude emen-
ſus, ſumma itidem nominis celebritate apud omnes inclaruerit, præſertim apud Prin-
cipes viros. Inde factum, ut ex Abbate Mantuano ad Purpuram Romanam illum in-
credibili totius ſacri Senatus conſenſu Paulus III. traduxerit an. MDXLII. renuncia-
ritque

(1) Vit. S. Caiet. (2) Sanſon. in Diario ad eum Annum. (3) Salom. Inſcrip. Pat. p. 521. n. 37.
(4) Sanſon. in Diar. ad An. 1503. (1) Oldoin. ad Ciacc. T. 3. p. 684.

ritque Presbyterum Cardinalem S. Cyriaci in Termis, ac provectum ad ſedem Urbinatis Eccleſiæ tebus ad Synodum Tridentinam, quæ tunc habebatur, ſpectantibus præfecerit. Laudatur ſummoperè ab ipſo Pontifice Paulo in literis ad eum datis, quas recitat Oldoinus (1), apud quem ſatis multos leges in ejus commendatione viros literaturæ præcipuos verſatos. Obiit Romæ ſexennio poſt acceptam Purpuram, II. Kal. Octobris an. MDXLVIII. jacet in templo duodecim Apoſtolorum, ad aram S. Eugeniæ. Celebrantur hæc ejus opera.

De Poteſtate Eccleſiaſtica Tractatus.
Epiſtolarum latinarum liber I.
Italicarum liber I.
Hymnorum liber I.
De Viris illuſtribus Ordinis Monaſtici.
De Direptione Urbis Genuenſis.
Poemata ad imitationem Catulli, prodierunt cum Poemate Sannazari de Partu Virginis, cælicolum Regi dicata ex Officina Aldi.

XCI. HIERONYMUS VERITAS nobiliſſimus Veronenſis, æqualis & peramicus 1549
Fracaſtorii & Jo. Baptiſtæ Montani, tum Juris, tum Philoſophiæ diſcipulus in Gymnaſio noſtro, horum, quibus familiariſſimus fuit, contubernio felix, primas tulit, inter alumnos hujus lycæi ex Boncambii appendice, Santono (2), & Montano, cujus carmine laudatur. Lauro Juriſprudentiæ redimitus in collegium Juriſconſultorum Veronenſium receptus eſt an. MCDXC. (3), ejuſque celebrem gloriam nomine ſuo auxit, inter præcipuos quoque politioris literaturæ viros numeratus ab Areoſto (4) Scripſit atque edidit multa, quæ manibus eruditorum trita, atque oculis nota ſunt, Græcè, Latinè, Italicè. Ea quamvis acriori judicio non multum admodum ſuperent ſimplicitatem ſæculi XVI., nec ea miracula objiciant, quæ refert ex quodam Elogio Puteus (5), attamen veram laudem ac nominis perennitatem promeruerunt optimo viro ex candore ſtyli, & ingenuâ gravitate doctrinæ. Vivere deſiit ex eadem Appendice Concambii circa an. MDXLIX.

XCII. UBERTUS Cardinalis GAMBARA Brixienſis ex albo gymnaſtico, quod ex- 1549
hibet Tomaſinus (6) ad cenſuram gymnaſii intra ſæculum XVI. legibus addiſcendis dabat operam Conſiliarius Mediolanenſium, & Vicarius Pro-Rectoris eo ipſo anno, quo Gymnaſium diſcuſſit Cameracenſis fœderis rabies. In eo rerum æſtu raptus ad arma militavit aliquandiu feliciter, ſed cùm deinde fortunæ luſum inſolentem expertus, ſaniora conſilia reſpexiſſet, Eccleſiaſticam vitam profeſſus, Romam venit Leone Pont. Max., à quo in ordinem Apoſtolicorum Notariorum relatus, poſt captum de ſummo ejus ingenio, humanitate ſingulari, miriſque animi dotibus experimentum, Nuncius ad Luſitanos miſſus eſt: quo munere perfunctum egregiè, Adrianus VI. delegavit ad Franciſcum primum Gallorum regem, apud quem, & Regem Britanniæ Henricum VIII. fuit, etiam ſub Clemente VII. cui, poſt Romam à Cæſarianis fœdè direptam in Adrianeâ Mole obſeſſo, evocatis ad ſuppetias Britanno, Galloque Regibus, opem præſentiſſimam tulit, & adversùs libertatem ejus vindicias dixit immiſſo in Italiam Lautrecho. Hinc Pro-Legato Bononiæ præfuit, & ærarii Apoſtolici Clericus, Eccleſiæ Derthonenſi datus Antiſtes eſt an. MDXXVIII. Eam abſens adminiſtravit, negotiis Eccleſiaſticis impeditus, quibus ex voto Pontificum gerendis expediendiſque cùm feliciter operam impendiſſet, à Paulo III. ad Romanam Purpuram jam ſenex vocatus eſt an. MDXXIX. Inde Vicarius Pontificis Romæ, ac toti Inſubriæ dictus Legatus à Latere, Derthonenſem Eccleſiam nepoti Cæſari reſignavit; ac Palæocaſtrenſis adminiſtrationem ſuſcepit, nec diu poſt Romæ vivendi finem fecit anno MDXLIX. ſexagenario major. Ejus cadaver in patriam translatum tumulum habuit in ædibus S. Mariæ Gratiarum cum epitaphio gemino. Vide Oldoinum (7), ex quo pleraque deſumpſimus, nam quæ de Uberto narrat Rubeus (8), nec ſeriem rerum ſequuntur, & tanti viri notitiam obſcurant.

(1) loc. cit. (2) Diar. in præfat. (3) Puteus Elog. Juriſconſult. Veron. p. 133. Gadd. de Script. p. 351. §. Plinius. (4) Orland. furioſ. Can. ult. ſtrof. 14. (5) loc. cit. (6) in Character. Gym. ab Anno 1500. ad 1620. (7) ad. Ciacc. T. 3. p. 737. 738. (8) Elog. Brixien. p. 182. 283.

CAPUT XVII.

Joannes Georgius Triſſinus. Andreas Cornelius Card. Jacobus Bonfadius. Jo. Maria Memus Bernardinus Maffajus Card.

1550 XCIII. VIrum ſua ætate apud noſtrates maximum alumnis gymnaſii noſtri ex albis Quæſtoriis (1) & publicis monumentis (2) annumeramus, JO. GEORGIUM TRISSINUM patricium Vicentinum. Is illuſtriſſimis parentibus ortus (3), cùm patrem ſeptimo ætatis anno amiſiſſet, puer alacri animo, poſtquam mitiores literas hauſit in patriâ, adoleſcens Patavium venit, ac doctore Antonio Tubetta Minorita publico Profeſſore, Dialecticam & Philoſophiam perdidicit, avidumque diſciplinæ robuſtioris pectus diverſarum ſcientiarum, maximè verò divinarum humanarumque ſucco legum implevit, aſſiduus auditor Nicolai Genuæ de Paſſeribus, Decii, & Ruini. Eodem tempore cœpit Græcis quoque literis initiari ſub Muſuro, queis ut affatim capacem animum expleret, Mediolanum profectus ſe diſcipulum Demetrii Calchondylæ dedit (4), cùm interim privatis meditationibus, Mathematicas diſciplinas excoleret, tantâ utrobique ſelicitate, ut eum & magiſtrum Andreæ Palladii Architecti fuiſſe celeberrimi pletique putent, & inter Poetas priſci canonis primas ſuo ævo retuliſſe, ne addubitari quidem poſſit. Nam pertinax Homeri, Euripidis, Sophoclis lector ita ſe Græcæ Tragœdiæ dixit imitatorem religioſum, ut Ghilino (5) & Imperiali (6) primus hic ſit, qui ſyrma tragicum, ſoccoſque comicos in ſcenas Italas intulit editâ Sophonisbæ Tragędia, & Simillimorum Comędia, quas ſęculum illud Archaicum tanti fecit, nunc, ſi per pędagogos recentiores liceat, vix de nomine novit erudita poſteritas, quę rejecto Grammaticorum, uti decet, curto judicio, non ex nitore, ſed ex re, quam in Poetis mediocrem ſanus tulerit nemo, ęſtimat. Placuit attamen ſuo tempore Triſſinus admodum ex his ipſis, ſeque in familiaritatem Leonis X. cum Romam veniſſet, inſinuavit, à quo ad graviora negotia miniſter adſcitus, honorificentiſſimis Legationibus functus eſt ad Maximilianum I. & Carolum V., quorum amorem rebus feliciter peractis promeruit. Leone defuncto, rediit in patriam, ac dudum extincta uxore, ex qua Franciſcum & Julium filios ſuſceperat, ſecundam duxit Nicolai Triſſini viduam, ex qua Cyri factus eſt pater. Hunc prę majoribus natu filiis pater dilexit in ſecunda conjuge uxorius: undè cum ſenioribus filiis, ac pręſertim cum Julio diſſidia, rixę, mutua convicia, & lites, patris verò meror, ac ſeceſſus in villulam (7), quam extruxit magnificè, & quaſi Muſęum ſibi conſtituit, quod literati homines frequenter inviſerent. Inde tamen à Clemente VII. vocatus prodiit, ac Romam iterum venit; fuitque conſiliorum Pontificis arbiter intimus. Quo jubente, cùm legatus Venetias veniſſet, negotiis optimè geſtis, rediit aulę Romanę uſque ad invidiam venerabilis. Ea illum tanti fecit, ut, cùm Bononię habita eſt nota illa celebritas, in qua Clemens Cæſareum Carolo diadema impoſuit, attollendi geſtandique Pontificii ſyrmatis officium, quamvis Proceres adeſſent maximi, Triſſino commiſſum ſit, quem tunc Carolus Cęſar ſolemni ritu Equitem dixit & Comitem. Eodem tempore, ut Julium filium placaret, conciliaretque paternę charitati, annuente Pontifice, Romam accerſitum ſecretis atque conſiliis aulicis adhibuit, mox Vicentiam, ejus Eccleſię adminiſtratorem perpetuum, & Archipresbyterum remiſit. Nec tamen pacavit animum ejus novercę infeſtum, quam cùm Julius malè haberet, vexaretque, offendit adeo patientiam patris, ut de eo exhęredando, delata in Cyrum integra hęreditate, cogitaverit. Quo comperto, Julius partem hęreditatis maternę, implorato Judicum auxilio, petiit; ortaque lis eſt patrem inter & filium & acerba, & diuturna, quę nimirum etiam poſt novercę fata ferociùs Venetiis agitata eſt. Quippe pater Cyro ex ſecunda Uxore filio nuptias paraverat, regreſſus Roma has celebraverat, mox iterum ſe Romam receperat. Ibi creditur ea & meditatus & auſus, quę de lingua Italica, ſcribendique ac pronunciandi ratione, non admodum feliciter excogitavit, nec deinceps uſus recepit, contempſit autem poſteritas. Edidit quoque Poema Epicum, quod Belliſarium inſcripſit, & Italiam liberatam, ac per Cyrum filium Carolo Cęſari obtulit: alia etiam conſcripſit, quę propter lites à filio Julio adversùs ipſum Venetiis actitatas, ad umbilicum deducere minimè potuit. Nam

(1) apud Salom. in Collect. (2) Tomaſ. in Charact. Gym. (3) V. Tomaſ. Elog. lib. 1. p. 47. (4) Tomaſ. ibid. p. 48. 49. Ghil. Vol. I. p. 108. (5) loc. cit. (6) Muſæi p. 43. 44. (7) ibid. Tomaſ. p. 49. 50.

Nam cùm Venetiis res ſuas labefactari abſentiâ ſuâ comperiſſet, lecticâ illuc, deinde Vicentiam ſe contulit, ac prioribus teſtamenti tabulis reſciſſis, poſterioribus Julium exhæredem, Cyrum hæredem dixit ex aſſe. Verùm cum Julius victor Judicum ſententiâ fretus, victi patris ædes occupaſſet, is major ſeptuagenario ſolum vertit, ac ſponte ſuſcepto exilio Romæ ſibi perfugium quæſivit, ubi poſt annum obiit, Chriſti MDL. ætatis LXXII. Sepultus eſt in Joannis Laſcaris loculo ad S. Agathæ in Suburrâ. Scripta ejus non edita, quæ apud illuſtriſſimos Comites Triſſinos extant, receuſet Tomaſinus, ad quem lectores noſtros remittimus. Quæ edita vidimus, & quorum gloriâ ſtat Triſſini nomen hæc ſunt.

Commentarius de Rebus Italicis.
Grammatica Italica.
Lectiones ſex de Poeſi.
Liber de Rhetorica.
Dubitationes Grammaticæ.
Sophoniſba Tragœdia.
Similli mi regia Comœdia.
Belliſarius ſeu Italia liberata, Poema heroicum.
Icones pulcrarum ſuo tempore Fœminarum in Italiâ, Dialogo propoſitæ.
Orationes aliquot cum Epiſtolis.
Dialogi plures, cum emendatione Tragœdiæ Roſmondæ,

XCIV. ANDREAS CORNELIUS Cardinalis, Franciſci Card. nepos, ex notæ nobilitatis origine prognatus, alius ædepol eſt ab Andrea Cornelio Spalatenſi Archiepiſ- 1551
copo, qui nunquam Purpuræ particeps claruit in Lateranenſi Concilio ſub Leone X. ut contra Victorellum Oldoinus evincit (1). Adoleſcentiam tranſegit Patavii, Eques Hieroſolymitanus & Prior Cyprius, uſque ſe literis inſtruxit, quibus lauream Juriſprudentiæ nobilitatis avitæ titulis addidit (2). Venit deinde Romam, ac depoſito ad uſum ærarii cenſu Quæſtorium ſibi munus comparavit, Cameræ, ut ajunt, Clericus dictus, ex quo nondum major annorum trium ac viginti adoleſcens à Paulo III. ad Inſulas Brixienſes, à patruo reſignatas evectus eſt, mox etiam an. MDXLIV. ad Purpuræ Romanæ faſtigium Diaconus Cardinalis S. Theodori, poſtea S. Mariæ in Dominica, quo titulo auctus etiam Archiepiſcopus Spalatenſis fuit, ac Seſſionibus ſextæ, ſeptimæ, octavæ, Synodi Tridentinæ interfuit ſub Julio III., cujus juſſu Legatus Provinciam Patrimonii in Tuſciâ procuravit. Juvenis adhuc ad plures abiit Romæ circa annum ætatis XXXI. æræ communis MDLI. Corpus conditum temporario tumulo ad D. Auguſtini, poſtea delatum Venetias ſepulcro Majorum tegitur in templo S. Georgii Majoris.

XCV. JACOBUS BONFADIUS adoleſcentiæ ſtudia, cenſumque bonarum artium
ea ætate contractum debet gymnaſio Patavino, in quo & juvenis vixit, & annos ali- 1551
quot vir, ac literariæ jam notus reipublicæ juris laurum promeruit, ut profitetur non ſemel in Epiſtolis familiaribus, & notat Sanſonus (3). Salodienſis in Matriculis eſt: eum Ghilinus (4) natum Gazani in vico ad ripam Benaci ſcribit. Emenſus diſciplinarum ſtadium Romam venit, fuitque à ſecretis & Epiſtolis Cardinalis Barienſis, quo fatis erepto, ad idem traductus eſt munus, in aulâ Hieronymi Ghinucci Cardinalis Senenſis. Inde avulſus vi morbi, quocum miſerrimè conflictatus eſt, poſt luſtratum Regnum Neapolitanum, iterum ſe recepit Patavium, undè accitus Genuam, ibi Rhetoricam publicè docuit, tanta eloquentiæ eum famâ, ut non ſolùm nobiliſſimæ juventutis, quam penè totam in auditorio habuit, ſibi admirationem, & gratiam conciliarit, verùm etiam Reipublicæ ſtudia meruerit, cujus decreto ad ſcribendam Hiſtoriam Liguriæ honeſtiſſimo ſtipendio conductus acceſſit. Sed enim inde illi malorum omnium, funeſtæque mortis cauſam fuiſſe, Scriptores plerique exiſtimarunt. Nam vix editis aliquot hiſtoriæ libris, cùm mordaciùs, quàm ut Hiſtoricus, de procerum quorundam ſcripſiſſet familiis, ab his reus pæderaſtiæ factus, datus eſt in cuſtodiam, convictuſque conſcientiâ patrati criminis, igni ſceleri debito damnatus interiit nondum ſenex an. MDLI. Sunt qui eum excuſant, ac perditum calumnia putant: quamobrem Matthæus Tuſcanius (5) hæc de illo, carmine, quod incipit

Non minus intumuit nuper Benacus alumni
Bonfadii, ac Muſis, docte Catulle, tuis.

Bis tamen infelix: rapuit nam Roma Catullum,
Bonfadium letho, das, ſcelerate Ligur.

(1) Tom. 3. p. 705. (2) Sanſon. Diar. ad An. 1539. (3) Diar. ad an. 1540. (4) Theatr. Vol. 1. p. 30. (5) Peplo Italiæ.

Hiſtoria æternùm, cujus fera Genua vivis,
Immeritum ſæva lege necare potes.
Mitius eſt, quod te ſpumanti vortice marmor
Tundit, & es Scopulis durior ipſa tuis.

Eòdem videtur propendere Ghilinus (1). At ſanè pio & humano Genuenſium ingenio tanta, tam iniqua ſævities minimè conveniat: & qui eum Paulus Manucius (2) laudat impensè, & de quo hæc amantiſſimè cecinit:

Hic & Romano eloquio, & præcellit Etruſco,
Manſuetus, facilis, dulci ſermone diſertus:

Addit ingenuè, turpiſſimique ac neſarii ſceleris reum fuiſſe non dubitat his,

Lapſus erat miſer in culpam Bonfadius, index
Detulerat Patribus, nec inani teſte probarat;
Quid facerent legum cuſtodes? legibus uti
Coguntur . . . , ...

Nec aliud voluit Jo. Baptiſta Marinus in Monoſtropho Italico (3), cum incendium Bonfadii Trojanis ignibus comparavit, nec diſcriminavit hoc ab illis aliundè, niſi ex eo, quod his cauſam dederit Helena, illi Ganymedes. Damnatum eum fuiſſe igni, quo vivus arderet, ferunt: verùm mutatâ ſententiâ mitiùs actum, ut ſecuri percuſſus pœnam crimini debitam lueret. Ajunt (4), ipſa die, qua ſupplicium ſubiturus erat, Epiſtolam brevem ſcripſiſſe Jo. Baptiſtæ Grimaldo, eâque tum ipſi, tum Dominico Gryllo, & Cypriano Pallavicino Senatoribus amiciſſimis, nepotem ſuum Bonfadinum commendaſſe, ac deſtinaſſe ſibi ſepulcrum ad S. Laurentii, ubi conditus eſt. Scripſit & edidit, probatiſſimos Eruditis omnibus omniumque doctorum ſuffragio commendatos.

Annalium Genuenſium libros V.

Orationes aliquot, & *Epiſtolas familiares* elegantiſſimas.

Carmina Græca, Latina, & Etruſca.

1553 XCVI. JOANNEM MARIAM MEMUM Equitem, patricium ac Senatorem Venetum, alumnum ſibi meritò vindicat ex clarioribus Gymnaſium noſtrum. Hic enim floridos adoleſcentiæ, primæque pubertatis annos bonis artibus addiſcendis præſertimque Juriſprudentiæ ſedulus Profeſſorum Patavinorum auditor impendit, & à Joanne Campegio Bononienſi, Philippo Decio, Caroloque Ruino doctrinæ accepit inſignia triennio ante Bellum Cameracenſe, ut & Sanſonus notat (5), & conſtat in actis Gymnaſticis (6). Regreſſus in patriam ad Rempublicam gerendam acceſſit, functuſque Senatoriis magiſtratibus (7), ac patriæ utilis ex eloquentia, & conſiliorum prudentia, & quod maximum eſt, felici diligentia in iis peragendis, quæ ipſi agenda demandabantur, ad annum uſque ſexageſimum ætatis inſudavit publicæ felicitati; quod vitæ ſuperfuit, ſapientiæ privatæ dedit, ac redux Patavium, hic poliendis, quæ doctè conſcripſerat, edendiſque in lætiſſimis ædibus ſuis ad Pratum Vallis ſenectutem poſuit, qua tandem victus, dum Venetias remeat, in ipſa lintre majore, qua vehebatur, ictus apoplexi ſeptuagenario major occubuit an. MDLIII.

Scripſit ſolùm Italicè

Dialogum Inſcriptum Orator, in quo poſt aliquot Philoſophicas diſceptationes, tribus Libris inſtituit numeris abſolutum Principem omnibus, perfectam Rempublicam, Senatorem, Civem, Militem, ac Mercatorem.

Libros tres de Subſtantiâ & Forma Mundi. Hi quoque Dialogis conſtant, atque acutiſſimas quæſtiones proponunt, conſtituuntque rationibus à priſca Philoſophia & Aſtrologia petitis. Libri doctiſſimi ſunt, nec aliunde reprehendi poſſunt, quàm ex Ideis Platonicis, quas doctus Auctor videtur plus, quàm merentur amaſſe.

1553 XCVII. BERNARDINUS MAFFEJUS Cardinalis, gente Cenomanus, patria Bergomas (8) natus in monte Orobiorum patre Hieronymo Matthæjo Bergomate, matre Antonia Romana Maffæja mortalitatem ingreſſus eſt an. MDXIV. Literarum humaniorum ac Juriſprudentiæ ſtudiis egregiè locavit operam Patavii, diſcipulus Lazari Bonamici, & Mariani Socini junioris: amicum, & contubernalem habuit Pierium Valerianum, quocum familiariſſimam amicitiam coluit; quique propterea illi Hieroglyphicorum quar-

(1) ibid. p. 71. (2) apud Teiſſer. ad Elog. Thuan. T. 1. p. 180. (3) apud eund. ibid. p. 181. (4) Ghilin. loc. cit. (5) in Diar. An. 1506. (6) Salom. Inſcr. Gymn. in Collect. (7) Ghil. Vol. I. p. 109. 110. (8) Calvus. Scen. literar. de Bergomat.

quartum decimum librum dicavit. A ſecretis primùm Alexandri Card. Farneſii gratiam ſibi, & exiſtimationem paravit apud Paulum III. Alexandri avum, à quo admiſſus ad arcana Pontificia Canonicus in Vaticana Baſilica dictus eſt, inde Maſſæ ac Populoniæ in Etruria Epiſcopus; functuſque legationibus minoribus aliquot, mox Archiepiſcopus Teatinus, tandem ab eodem Paulo provectus ad Purpuram (1) Presbyter Cardinalis S. Cyriaci fuit. Nec tamen ea dignitate pluſquam quadriennio potitus eſt; cùm vixdum anno quarto ab accepta Purpura Romę deceſſit anno MDLIII. nondum quadragenarius, ſi Calvo credimus. Verùm cùm anno XIV. ſęculi XVI. diſcipulus fuerit Patavii, profecto nondum ſexagenarius obiiſſe dicendus eſt; jacet in templo S. Marię ſupra Minervam.

Scripſit *Commentarium elegans in Epiſtolàs Ciceronis.*
Orationes Argumenti Varii.
Hiſtoriam de Toreumatum antiquorum inſcriptionibus.

C A P U T XVIII.

Jo. Dubravius SKala. Angelus Leonicus. Lucius Paulus Roſellus. Jo. Baptiſta Ramuſius. Durantes de Durantibus Cardinalis. Reginaldus Polus Cardinalis.

XCVIII. JOANNES DUBRAVIUS SKALA, nobili & equeſtri genere natus in Bohemia, ejuſque urbe Pilſeno, ab adoleſcentia Patavii mitiores literas, Phi- 1553
loſophiam, ac Juriſprudentiam didicit, atque in hac poſtrema lauream doctoris emeruit: nam ita notatur à Sanſonio (2), atque in albis Gymnaſticis, & Quęſtoriis, Bohemis diſcipulis annumeratur, eorundemque ſignatur Conſiliarius an. MDXVIII., primuſque dicitur poſt conſtitutam à bello Cameracenſi Principum cum Republica Veneta pacem è Germania veniſſe diſcipulus. Congerit hęc omnia Salomonius in Collectaneis mihi traditis (3). Lauream conſecutus, & redux in patriam adhęſit Stanislao Theuſoni Olomucenſi Epiſcopo (4), cique non armis minus quàm doctrina potens, bello ac pace, rebuſque difficillimis, atque temporibus fortiter ac feliciter affuit. Copias Epiſcopi ſui ipſe duxit adversùs Turcas Vindobonam obſidentes, geſſitque ſe tunc multum admodum ſtrenuè pro Ferdinando Rege., qui mox eo uſus eſt ad continendos in officio Bohemos tumultuantes bello Saxonico. Hinc meruit ſucceſſor patrono dari, Theuſoni ſcilicet è vivis erepto. Pręfuit Antiſtes ac Princeps Olomucenſis decennium, obiitque apoplecticus nondum ſenex an. MDLIII. Scripſit egregiè Hiſtoriam gentis ſuę Bohemę, atque ex hac edita maximè claret. Commentarios quoque doctiſſimos in Pſalmum V. & librum de Piſcinis. Denique notas addidit Marciano Capellę.

XCIX. ANGELUS LEONICUS Patavinus Leonici Tomęi, de quo diximus (5), 1556
nepos, in patrio Gymnaſio ad ſapientiam altus eſt, fuitque I. V. D. ad lauream provectus an. MDXX. *(6)* Is aliquandiu cauſas egit Patavii, verùm infirma ſemper valetudine afflictus, cùm ad forum idonea conferre latera minimè potuiſſet, ad Muſarum delicias & otium liberale ſe convertit. Modis eum rhythmicis magis, quàm latinis delectatum ſcribit Scardeonius (7), ſcripſiſſe autem novam tragędiam ad antiquorum imitationem, quam viro magnifico Julio Comiti Zabarellę dicavit. Ea impreſſa eſt, ac producit ad ſcenam dolum impium conficti adulteri inter Antonium Bolognium & Dariam Aloyſii Calcię uxorem, cędemque utriuſque immeritam ad exitum Drammatis refert elegantiſſimè. Edidit quoque volumen ſatis magnum rhythmis heroicis complexum amores Troili & Polyxenę, quibus ingenioſa interſerit Epiſodia. Viridi adhuc ętate deceſſit in patria perpetuis conſumptus morbis an. MDLVI. Sepultus eſt ad D. Franciſci.

C. LUCIUS PAULUS ROSELLUS Patavinus I. V. D. & patrii alumnus gymnaſii, 1556
quamvis apud Scardeonium (8) fato functus an. MDLII. ſignetur, omnino non ante annum Leonici emortualem LVI. obierit. Nam Leonicus eum ut adhuc ſuperſtitem laudat in Poemate de Troili & Polyxenę (9). amoribus, quod an. MDLVI. typis Venetis editum eſt. Sacerdos fuit, Poeta, & Orator ſui temporis magni & conſpicui nominis. Vixit ad ultimam ſenectutem Venetiis, quò ſe contulit juvenis patriâ depulſus terrore

tumul-

(1) Vid. Oldoin. ad Ciacc. (2) Diar. ad An. 1519. (3) ad Inſcrip. Gymnaſt. (4) Thuan. in Elog. cum Teiſſer in addit. T. 1. p. 73. 74. (5) Tom. 1. (6) Sanſon. Diar. ad eum annum. (7) lib. 2. Claſſ. 11. p. 257. (8) ibid. p. 257. (9) ſtroph. 19. Cant. ult.

tumultus Cameracenſis, & obſidione Patavinâ: nec illi defuit charitas Veneta, quam ſibi devinxit patriciorum filios ad eloquentiam, Poeſim, ac Juriſprudentiam mercedibus privatis inſtituens. Hinc illi opum ſatis ad vitam, & editionem operum, quas lucubraverat. Senex ibi obiit anno, quo eum mortalem eſſe deſiiſſe ex conjecturâ docuimus (t). Edita hæc ejus opera ſunt.

Repertorium in Repetitiones Joannis Croti ampliſſimum.

Repertorium in Commentarios Innocentii Canonicos.

Lexicon Calepini emendavit, laboremque ſuum Epigrammate profeſſus eſt præfixo editioni Venetæ.

Vertit in Sermonem Etruſcum Sermones Theodoreti X. de Providentia, & de ſanandis affectibus. Philippicas quoque Demoſthenis.

Sermone etiam Italico de ſuo vulgavit librum de Imagine veri Principis ad Coſmum Mediceum Principem Florentinum.

Epiſtolarum de ſacra & Chriſtiana Doctrina libros IV.

Dialogum De Contemptu Mundi.
De Paſſione Chriſti Domini.
De Ingrati animi Vitio.

Theſaurum divinæ, & humanæ Miſericordiæ.

CI. Ramuſia ſeu Ramnuſia familia ab origine nobili Ariminenſis, incertum eſt, num
1557 tranſlata Patavium, atque hìc patricia, Venetias commeaverit inter honorarios cives annumeranda, an potiùs jam recepta in civitatem Venetam lares Patavium detulerit, ubi etiamnum inter patricias claret. Hoc multis veriſimiliùs eſt, at illud ex monumentis & publicis & privatis familiæ certiſſimum exiſtimat Salomonius (2), ex quo unum hoc licuit colligere Paulum Juriſconſultum Ramuſium ſeniorem Patavinum fuiſſe, qui clarus cauſarum patronus Venetiis Venetâ uxore ductâ ibi JO. BAPTISTAM clariſſimum alumnum Gymnaſii noſtri progenuit. Is porro Patavii adoleſcentiam egit, quam amænioribus, & gravioribus diſciplinis excoluit, ac depoſito legum tyrocinio doctoris titulo coronavit (3). Redux Venetias à foro, cui eum deſtinaverat pater, floridam juventutem ad peregrinationes convertit, quas multas & varias, præſertimque maritimas, juſſu publico ſuſcepit; magnoque cum fructu peregit; inde plenam Geographiæ notitiam, & civilem prudentiam conſecutus, quo factum, ut non ſolùm præcipuis civibus adſcriberetur, verùm etiam ad arcana Decemviralia potiſſimus miniſter adſumptus, magnæ de ſe expectationi reſponderit. Nam & munere laborioſo, negotioſo, difficili diligentiſſimè functus eſt, & à curarum tumultu publicarum, quod ſupererat temporis, ita ſtudiis privatis impendit, providus otii domeſtici diſpenſator, ut multa ſcripſerit, ac poſteritati reliquerit, quibus æternùm apud Eruditos vivet, & inter graviſſimos Geographos numerabitur. Senex impetrata miſſione Patavium ſeceſſit, ubi deſiit eſſe mortalis an. MDLVII. ætatis LXXII.

Edidit latinè.

De Nili incremento.

De æſtibus Marinis reciprocantibus.

Italicè.

Volumina tria Geographica, Primum de Navigationibus & Itineribus Africæ & Æthiopia.

Secundum de Scythis, & eorum Principibus.

Tertium de Navigationibus ad Antipodas.

Adduntur Itineraria è linguis variis Italicè reddita.

1557 CII. DURANTES DE DURANTIBUS Cardinalis ex Diario Sanſoni (4) Patavii in ſacro Juriſconſultorum Collegio I. V. D. renunciatus eſt annum agens ætatis trigeſimum, cùm hìc & ante bellum Cameracenſe, & rebus poſt illud compoſitis, tum literis humanioribus, tum Juriſprudentiæ ſeveriore diſciplinâ fuiſſet excultus. Confirmant hæc Brixienſium catalogi ex tabulario Quæſtorio, & adverſaria ſacræ curiæ. Fuit deinde Romæ (5), & in foro aliquandiu verſatus eſt, mox receptus inter domeſticos Alexandri Farneſii, nondum Pontificis, tanto Cardinali tantique nominis familiariſſimus fuit, ut eum inter paucos dilexerit, & unum vel cubiculi contubernalem, atque participem ejuſdem conclavis voluerit. Placebat in homine non fori tantùm, quâ maximè pollebat, cognitio, ſed candor morum, dictorum lepor, & quædam agendi, vivendique ſimplicitas, quò rarior in aula, eò pretioſior, gratior, atque jucundior. Eâdem neceſſitudine ac familiaritate Durantes vixit apud Farneſium jam Pontificem Max. Paulum III. à quo primùm Anglonenſis Epiſcopus, poſtea Caſſanus renunciatus, demum Presbyter Card. SS. Apoſtolorum XII. ad Senatoriam Purpuram provectus eſt. an. MDXLIV. ſenio proximus, annorum ſcilicet LVII. Legationem obiit in Umbria, &

Camerini

(1) Scard. loc. cit. (2) in Collect. ad Inſcr. Gym. (3) Sanſ. Diar. ad An. 1504. (4) Anno 1516.
(5) Rubeus Elog. Brix. p. 299. 302. Oldoin. ad Ciaccon.

Camerini magnâ cum laude, in eâque dignitate luſtralibus undis Urbini Principem expiavit, cariſſimus deinceps Ducibus Feretriis, quorum partes quoad vixit arctiſſimè complexus eſt. Vir probus & integer maximorum regum munera reſpuit, unumque verbo factoque curandum exiſtimavit, ut incolumi pace, & libertate, Italia viveret. Hinc illi ſtudium erga Rempub. Venetam, quâ unâ vigente, rebatur utrunque bonum obtineri ſervarique poſſe. Indeque Reipublicæ in illum amor ſingularis, per quem illi licuit patriæ ſacris præeſſe, atque Andreæ Cardinali Cornelio ſuccedere, raro exemplo, & per ea tempora notabili, cùm Veneti conterminas vicinis ſuſpectis inſulas non niſi civibus ſuis & quidem patriciis permittebant. Vixit ergo Epiſcopus Brixiæ, eamque Eccleſiam ſanctiſſimè gubernavit ſub Julio III. Marcello II. & Paulo IV. quo ſedente ibidem vivere deſiit an. MDLVII. ætatis LXXI. In eum Petrus Paulus Vergerius multa ſcripſit injurioſè, quæ falſa eſſe, deſertoris Fidei exitus infelix oſtendit. Sepultus eſt in templo principe ad aræ maximæ gradus, ubi ejus exuviæ repertæ anno MDCIV. in ſacellum Corporis Chriſti translatæ ſunt, Ibi jacent cum hac epigraphe,

Hic ſunt Oſſa
Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi D. D.
Durantis de Durantibus S. R. E. Cardinalis
Epiſcopi Brixienſis
Qui obiit Anno MDLVII. Die XXIV. Decembris
Hic ex alio loco translata die XIX. Febru. MDCIV.

CIII. Summum Patavini gymnaſii decus eſt, alumnus maximus, & inter alumnos 1558
ejus heros priſcis heroibus comparandus REGINALDUS POLUS Cardinalis. Sive natalium ejus nobilitatem conſideres, ſive ſapientiam expendas; munia, labores, ærumnas, geſta, mortem ſanctiſſimè obitam ſi revoces ad hiſtoriæ fidem, atque adversùs Mythologiam hæreticam ex præſcripto juris excipias, dices neminem hoc viro doctiſſimo, religioſiſſimo fuiſſe majorem, pares perpaucos. Eodem quo Carolus V. Cæſar anno MD. natus Londini in Britanniâ patrem habuit Richardum Polum Equitem Auratum, & Henrici VIII. Britanniæ Regis conſobrinum, matrem Margaritam comitem Sarisburienſem, Georgii Clarentiæ Ducis filiam, neptem Eduardi IV. Regis. Primam ætatem egit in Chartuſianorum cœnobio, quod ſuburbanum erat Londino. Ibi Grammaticam didicit: mox Pariſiis humanioribus literis Græcis operam dedit; tentavitque quadantenus Philoſophos ac Theologos. Venit deinde adoleſcens adhuc Patavium, atque hic, quas alibi deguſtaverat, diſciplinas liberaliter ebibit, ſocio ſtudiorum Chriſtophoro Longolio, quem inter familiares ſumptu ac ſtipendio peculiari abductum à contubernio Bembi, ſecum quoad vixit, detinuit. Magnificè enim Polus ſe Patavii gerebat, dives, cum ex patrimonio domeſtico, tum ex honorario aureorum monetæ Britannicæ quingentorum, quod illi Henricus VIII. munificè tribuebat quotannis, adoleſcentem egregium diligens, cujus abſentiâ mœſtam matrem Margaritam in Regiâ honorificè ut cognatam conſolabatur. Septennio vixit Patavii, ac ſpoliis omnium Scientiarum onuſtus rediit in Angliam, magni habitus ab Henrico donec ſapuit: ubi cœpit ex amore Bolenæ meretriculæ infeliciter inſanire, jamque defectionem ab orthodoxa Eccleſia meditari, hunc itidem ad ſcelerata conſilia operam ſuam non diſſimulanter inficiatum, cœpit odiſſe. Hinc Reginaldus Regis jam ſibi adverſantis veritus inſidias, iterum veluti profugus Patavium rediit, egitque quàm cautiſſime nè technis regalibus, quibus paſſim impetebatur, ſuccumberet. Id notum Italiæ erat, clarebatque inter præcipuos Homologetas fama Poli vel Romæ, qua provocatus Paulus III., admonentibus Venetis Cardinalibus Gaſpare Contareno, & Petro Bembo, quibus ſe ſocium addidit Sadoletus, eum in ordinem Senatoriæ Purpuræ retulit. Sub eodem Paulo Legatus Apoſtolicæ ſedis Tridentinæ Synodo interfuit, primùm Moroni & Pariſii Cardinalium collega, deinde Montani, & Cervini, quorum uterque Romanus Pontifex fuit Marcellus II. hic, ille Julius III. cui ſacrum imperium præripuiſſet, ſi offerenti ſe ultro dignitati manus dare minimè detrectaſſet. Ferunt enim Paulo III. mortuo cùm Cardinales de ſucceſſore agerent in comitiis, Alexandrum Farneſium, & alios aliquot, penes quos erat ſumma ſuffragiorum noctu cum Polo petiiſſe colloquium, quo ad Pontificatum invitaretur: idque illi per Aloyſium Priolum patricium Venetum amicum ejus familiariſſimum nunciaſſe. Illum verò rem in craſtinum diſtuliſſe, ſeriò effatum, rei à Deo, qui lux eſt, ſanciendæ, nocturnum tempus intempeſtivum eſſe. Ea porro

nocte, diſtractis aliò, quæ in ipſum convenerant, ſuffragiis in Julium III. divertiſſe, ſolitum deinde prædicare, tanti decus faſtigii, non niſi à ſanctiſſimo viro Reginaldo, ſibi veluti de manibus traditum. Sub hoc Pontifice cùm Polus ad Veronenſe cœnobium ſecedere, ac rebus humanis valedicere cogitaſſet, Eduardo VI. Britanniæ Rege demortuo, Legatus à Latere in Angliam dimiſſus, Regni Primates cum toto populo ad Romanæ ſedis obſequium, quod olim mortuo Henrico VIII. tentaverat, revocavit, gladium ſacræ poteſtatis in Pſeudo-Evangelicos exeruit; ac ſcelera Præſulum deſertorum ex merito ultus eſt, Regina Maria ex legibus in hæreticos ſæviente, cujus juſto judicio cum Thomas Crammerus Pſeudo-Archiepiſcopus Cantuarienſis, verus hæreticus ex hirſuto grege Calvini, dignas meritis pœnas tuliſſet; Primæ ſacrorum in Britannia ad Polum delatæ ſunt, dictuſque Metropolites Britannicus, Eccleſiam illam Sectis deterrimis labefactatam reſtituit, ordinavit an. MDLV. Paulus IV. eum Legati Apoſtolici munere abdicavit, quod tamen ille non ſenſit translatus ad Superos antequam abdicatio in Angliam perveniret. Diuturno quartanæ duplicis morbo decubuit, ac XV. Kal. Decembris an. MDLVIII., hora XVI. poſt obitum Mariæ Reginæ Londini ipſe deceſſit annorum LVIII. Corpus Cantuariam translatum ſepultum eſt in æde ſacra primaria, & ſacello D. Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi. Teſtamento ſibi hæredem dixit ex aſſe Aloyſium Priolum, quem ob ſimilitudinem morum in arctiſſimam ante annos XXVI. familiaritatem cooptaverat. Ille tametſi hæreditatem hujuſmodi recuſaſſet, nihilominus in colligendis Poli rebus, & in ordinem revocandis ſex & triginta menſes inſumpſit egregio amicitiæ non fucatæ exemplo. Acta Poli juſto libello complexus eſt Andreas Dudithius (1), ex quo ſua habent Hierologia Anglica (2), Imperialis (3), Ghilinus (4), noviſſimè, & quidem uberiùs Oldoinus (5).

Opera Poli edita ſunt. Latinè

De Rom. Pontificis poteſtate ad Henricum VIII. lib. I.
Defenſio Unitatis Eccleſiæ ad eundem lib. IV.
De Officio Summi Pontificis lib. I.
Defenſio Unitatis Eccleſiæ ad Eduardum VI. Regem lib. I.
Exhortatio habita in Concilio Tridentino lib. I.
De Concilio Tridentino ad Card. ibi Legatos lib. I.
De Baptiſmo Conſtantini Magni lib. I.
Conſilium de Reformanda Anglia lib. I.
Conſilium de Reformanda Eccleſia lib. I.
Exhortatio ad Carolum V. Imper. & Franciſcum I. Galliæ Regem pro pace.

Anglicè edidit.

Libros II. de Juſtificatione.
Libros II. de Concilio Tridentino & Reformatione.
Dialogum de Summo Pontifice.
Vertit Anglicè Seſſiones quaſdam Concilii Tridentini.

CAPUT XIX.

Aloyſius Lippomanus. Hieronymus Gygas. Rodulfus Pius Cardinalis. Bernardus Naugerius Card. Georgius Sigiſmundus Seldius.

1559 CIV. ALOYSIUS LIPPOMANUS patricius Venetus adolevit Patavii apud Petrum Lippomanum patruelem Canonicum Bergomatem, & Archipresbyterum Patavinum; atque in hoc noſtro gymnaſio ſcientiarum omnium grande curriculum emenſus eſt, jam tum æquè ex aſſiduitate literarii laboris, atque ex pietatis ac religionis amore, ac ſtudio clarus. Ab eodem Petro jam Epiſcopo Bergomate ad muneris ſocietatem accitus, receptis inſignibus Juriſprudentiæ, relatuſque inter Epiſcopos titulo Eccleſiæ Methonenſis, adjutor patrueli fuit in adminiſtranda Eccleſia Bergomenſi, quam aliquandiu pavit ſanctiſſimè, crebriſque ſermonibus publicitùs habitis ad ineundum omnium virtutum iter quaſi manu duxit. Extant hi ſermones editi, hiſque lectis quilibet noſcet, quanta fuerit in Aloyſio & religio, & eruditio. Translato ad Veronenſem Eccleſiam Petro, eò quoque Aloyſius patruelis in re ſacra comes datus venit, tanto cum Bergomenſium mœrore ac luctu, ut abeuntem proſecuti lacrimis profuſiſſimis fuerint. Extincto apud Scotos ubi Legatum ſedis Apoſtolicæ agebat Petro an. MDXXXVIII. ſucceſſit in ſede Veronenſi Aloyſius: atque eo in loco Acta Sanctorum ex Metaphraſte, & aliis, partim à ſe, partim ejus ſuaſu à variis latinè reddita, aliaque latina undequaque ſumma diligentia, & labore conquiſita facta ſunt publici juris. Evocatus deinde

(1) In Vit. Regin. Card. Poli. (2) In Polo. (3) Muſæi p. 33. 34. (4) Vol. 2. p. 203. 204.
(5) T. 3. p. 627. 642.

deinde ad curiam inter intimos Pauli IV. conſiliarios pręcipuus fuit, majoribus dignitatibus uti par, ita & proximus, ni eum inde abſtraxiſſet Bergomatum ſervidiſſimus amor. Hi enim vexati varia ſed infelici ſemper Victoris Superantii Epiſcopi Bergomenſis cataſtrophe, cùm is rerum ſuarum deſperatione adductus Venetias ſeceſſiſſet, tum apud Rempublicam Venetam, tum apud Pontificem Paulum ſummis precibus egere, ut ſibi, & Eccleſię ſuę pacem & quietem optatiſſimam reſtituerent, miſſo ad inſulas Bergomenſes Aloyſio. Votis nobiliſſimę civitatis Paulus annuit, atque intimum amicum, & conſiliarium ſuum, laudato clariſſimorum civium ſtudio, Epiſcopum dedit. Quanta cum gratulatione hoc ſedis Apoſtolicę beneficium acceptum à Bergomatibus fuerit, teſtis eſt epiſtola à clero, & populo ejus Eccleſię ad Aloyſium ſcripta, quam exhibet Ughellus (1), apud quem plura alia leges, ex quibus agnoſcas, quàm probè judicent de virtute viri Bergomates, inter Italos acutiſſimi, prudentiſſimi, quantique apud hos tanti Pręſulis fuerit nomen & gloria. Ea tamen breviſſimè ſunt potiti; nam ſtatim poſt menſem à cariſſima ipſi Eccleſia divulſus, ab eodem Paulo Romam iterum revocatus eſt: quò cùm perveniſſet nondum elapſo menſe, ſenio ac labore feſſus mortalitatem explevit an. MDLIX. ętatis LXIII. Sepultus eſt ad D. Catherinę Funariorum cum epitaphio breviſſimo. De Aloyſio Lippomano pręter Ughellum laudatum (2), vide Maraccium (3), & Ghilinum (4). Scripta ejus hęc recenſentur.

Catena in Geneſim ex Patribus Gracis & Latinis contexta.
Catena rationis ejuſdem in Exodum & in Pſalmos.
Tomi VI. Vitas complexi Sanctorum.
Sermones de Sanctis totius anni.
Expoſitio in Symbolum Apoſtolorum, in Orationem Dominicam, & in Salutationem Angelicam.
Catalogus decem Praceptorum cum Exhegeſi.
Conſtitutiones Synodales ad reformationem Cleri.
Comment. in Apocalypſim.
Confirmatio Dogmatum omnium Catholicorum Italicè.

CV. HIERONYMUM GYGANTEM vel *Gygantium* Paneirolus Ravennatem facit (5), at inſcriptio Patavina (6) ad Portam, quam vulgò Caudęlongę dicimus, hęc habet: 1560

Has ædes Deo Auctore, Virtute duce, ſuo, poſterorumque uſui Hieronymus Gygas Iuriſconſultus Foro-Sempronius, quas collapſas coemit, reædificando refecit. MDLIII.

Reipſa Foroſempronienſem illum fuiſſe, vel ex eo conſtitui poteſt, quòd ejus frater Antonius familiariſſimus Ludovici Beccatelli, cujus vitam ſcripſit, Foroſempronienſis ubique eſt. Hieronymus diu Patavii juriſprudentiæ nomen dedit, eamque ejus partem præcipuè coluit, quæ Canones & libros Decretales Pontificum interpretatur, auditor plurium, Matthæi Gribaldi, Deciique jura Canonica profitentium; poſtremò diſcipulus Antonii Burgos, hunc ſuſpexit præ reliquis, atque hunc ſecutus Bononiam venit, ubi ferunt, depoſito tyrocinio, laborum præmium lauream retuliſſe, quamvis non deſint, qui Patavii doctorem eum renunciatum exiſtimant, quod neque undè confirmem, aut eam inficias, habeo. Burgos ejuſdem comes Salerni fuit, deinde Romæ, ejuſque commendatione inter Apoſtolicos Referendarios ſub Clemente VII. cooptatus eſt. In Romanâ direptione huic inter paucos uni licuit, ſalvâ pecuniâ, quam habebat, fugâ ſibi conſulere, amiſſiſque rebus tantùm domeſticis, Anconem ſeſe recipere; undè Venetias venit, diuque ibi patrocinatus eſt in curiâ Eccleſiaſticâ, atque exinde vitæ reliquum commodiſſimè duxit. Jam ſenex Reipublicæ Venetæ ab eccleſiaſticis conſultationibus fuit, obiitque in eo munere Venetiis an. MDLX. quæ omnia tradit ejus frater Antonius, Renato Cardinali Birago ſcribens. Edidit celeberrimum tractatum *de Penſionibus*, pluries vulgatum typis, ex quo vir juris Canonici conſultiſſimus citatur paſſim commendaturque à juris Pontificii Doctoribus.

CVI. RODULFUS PIUS Cardinalis Leonelli Carpenſis Principis filius in florentiſſimis Italiæ Academiis mentem excoluit literarum ſcientiarumque ornamentis ampliſſimis: hæſit attamen Patavii diutiùs, ubi ſe fuiſſe diſcipulum Becichemi Marini, in jure verò Petri Pauli Pariſii gloriatur non una Epiſtola ad Robortellum, laudata per Tomaſinum (7). Hic quoque in V. I. D. renunciatum notat Sanſonus, & ex 1564

(1) Tom.4.p.497.n.63. (2) Tom.5.p.989.n.212. (3) Biblioth.Marian.P.1.p.45. (4) Vol.2.p.166. (5) de Clar.Interp.lib.3.cap.53.p.378. (6) apud Salom.Inſer.Patav.p.535.n.25. (7) in Characteriſ. Gym.p.69.

Oldojno (1) dubitare non licet Rodulſum Pium Patavii emenſum Philoſophiæ ac Theologiæ ſtudia ſummæ expectationis juvenem evaſiſſe. Romam anno ætatis quinto & vigeſimo veniſſe dicitur (2): à Clemente VII. Petro Andreæ Gambario Bononienſi, Epiſcopo Faventino ſuffectus an. MDXXVII. Legationibus iterum iterumque, tum ad Carolum V. tum ad Franciſcum I. peragendis admotus eſt, ex quibus redeuntem Paulus III. in Purpuratorum Præſulum numerum retulit, iterumque Legatum à Latere ad eoſdem Principes miſit conciliandæ inter eos pacis causâ, ad quam ſanciendam cum idem Pontifex bis Roma diſceſſit, bis itidem Rodulfus ſummi Pontificis vices Romæ geſſit, cum poteſtate ſuprema, egregiaque cum laude. Piceno præfectus Anconitani Portus clauſtra reſtituit, Legatuſque ad Carolum V. ob Parmenſe bellum fluctuantibus Inſubriæ rebus opem tulit, quietem præſtitit. Favit efficaciſſimo patrocinio initiis Societatis Jeſus, quam etiam Præfectus Lauretanæ Domus, ædibus, & collegio juvit. Sub Julio III. Paulo IV. & Pio utroque ſummis honoribus cumulatus eſt, totiuſque Romanæ curiæ Cenſor fuit, habitus proinde tanquam oraculum aulæ, & ex merito ab omnibus quicunque per ea tempora ſcripſere celebratus, à Bembo, Sadoleto, Jovio, aliiſque. Studuiſſe dicitur maximè venerabili antiquitati: quamobrem Carpenſes hortos in Quirinali ſignis ac monumentis priſcis ornavit locupletiſſimè, quorum etiam hiſtoriam edito libro latiniſſimo complexus eſt. Præter Faventinam, plures alias Eccleſias habuit commendatas: obiitque Romæ Oſtienſis Epiſcopus, & ſacri Collegii Decanus ſexagenario major an. MDLXIV. Conditus eſt ad ſanctiſſimæ Triadis in Monte Pincio, ejuſque Sarcophago Pius V. tunc Pontifex, rato exemplo, Elogium, quod ibi legitur, inſculptum addidit an. MDLXVI.

1565 CVII. BERNARDUM NAUGERIUM Cardinalem non uno nomine ſuum eſſe gloriatur Gymnaſium noſtrum. Suum nimirum in prætexta alumnum, in toga rectorem, ac præſidem, patronum ac decus in purpura. Patricii generis adoleſcens hìc totam adoleſcentiam partemque juventutis Muſis ac Palladi dedit, imbutuſque ſcientiis omnibus, rediit Venetias Juris utriuſque doctor (3), quo præ reliquis dignitatum titulis deſignatur in omnibus actis publicis. In patria, quod ſupererat juventutis, patrocinio forenſium cauſarum impendit nobilis orator, eloquentiſſimus, forique ſæculo XVI. miraculum. Uxorem deinde duxit, gerendæque Reipublicæ tyrocinium poſuit, relatus inter Ordinum candidatos; undè mox admiſſus ad publicæ arcana ſapientiæ, Veneti Continentis Sapiens rem militarem procuravit. Inde Prætor Patavii in toga Senatoria gymnaſticam juventutem an. MDXLVII. ſummâ prudentiâ nec minore benignitate moderatus eſt. A Patavina Prætura Præfectus Dalmatiæ, ea provincia integerrimè adminiſtrata, legationes pro patria clariſſimas obivit ad Carolum V. alioſque Principes, ex quibus Eques Paravio iterum jus dixit Prætor, Doctor, & Eques ad annum MDLIX. Eo munere ſanctè defunctus, majori dignitate ac poteſtate gymnaſio præfuit literarius Triumvir non ſemel, ut ex Triumvirali catalogo, quem dedimus (4), noſces. Miſſus Conſtantinopolim Orator Reipublicę Venetę ad Solimanum Turcarum Imperatorem, rebus optimè geſtis, cùm remeaſſet, in collegium XVirale receptus eſt; undè mox prodiit pluries orator patrię ad Paulum IV. ad Ferdinandum I. Cęſarem, ad Franciſcum II. Gallorum Regem. Ex his muneribus Italię venerabilis, ad ſapientię Venetę faſtigium evectus eſt; nec diu poſt uxore mortua, ſancto Carolo Borromęo, qui eum inter paucos diligebat, agente, à Pio IV. Romanam Purpuram meruit, atque unà Eccleſię Veronenſis adminiſtrationem an. MDLXI. Vix eum initia ſacra in Antiſtitem cooptaverant, cùm ad Synodum Tridentinam ire juſſus eſt, ſubſtitutus Sittico Cardinali ab Altemps, Legato, ac Pręſidi Synodi. In ea publica Eccleſię univerſę luce, tantę apud Patres ex virtutis & ſapientię gloria, exiſtimationis fuit, ut haberetur inſtar oraculi, quod omnes in rebus perdifficillimis conſulerent, ac ſequerentur. Poſt peractam Synodum, accepta miſſione, qua ad Eccleſiam ſuam aliquando ſecederet, Veronam venit; quam ingreſſus ea pompa & comitatu ſacro, quem Adam Fumanus deſcribit (5), quaſi vaticinans dixit: *Hic requies mea: hic habitabo.* Nam biennio poſt initum Pontificatum, ubi ritè Eccleſiam ac diœceſim ſuam inviſit, habitiſque concionibus ordinavit, repentè cęcitate oculorum miſerè vexatus, impetrato ſibi ſucceſſore Auguſtino Valerio nepote, de quo inferiùs, ex morbo graviſſimo ceſſit è vivis an. MDLXV. Hęc latiùs proſequitur idem Valerius (6) in ejus vita, undè ſua habet Sigonius (7), Petramellarius (8), Ughellus (9), Gaddius (10), Oldoinus (11), quorum elogia

(1) Tom.3.p.619.ad Ciacc. (2) Ughel.T.2.p.506.n.54. (3) Sanſ.in Diario an.1512. (4) P.1.lib.1.c.10. (5) apud Ughell.T.5.p.991.992.ex n.115. (6) Vita Bernar.Navag. (7) Epiſt.Nuncupat. (8) in Elog. (9) Ughell.loc.cit. (10) de Script.p.95. (11) T.3.p.940.

elogia & hiſtorias ex noſtri operis inſtituto delibavimus. Scripſit *Anaphoram Legationis ſuæ Conſtantinopolitanæ*, ubi multa prudenter, politicè, & luculenter de moribus Turcarum, & Solimani Regis ingenio. *Carmina* quoque, & *Orationes* latinas à Bernardo ſcriptas, affirmat Gaddius laudatus (1), quem conſule.

CVIII. GEORGIUS SIGISMUNDUS SELDIUS Juriſconſultus Germanus nominis 1565
maximi, Auguſtæ Vindelicorum, patre Georgio Mathematicarum diſciplinarum peritiſſimo natus eſt. Inſtitutus à Pinitiano celebri Grammatico venit Ingolſtadium cum Raymundi Fuggeri filiis, ubi aliquandiu moratus cum iiſdem ablegatus eſt in Italiam, atque in hoc noſtro Gymnaſio, contra quod ſcribit Melchior Adamus (2), poſtquam brevi Bononiæ Romulum Amaſæum audivit, Lazari Bonamici diu diſcipulus fuit. Inde peregrinatus in Galliam cum biennio apud Biturigas fuiſſet verſatus Patavium regreſſus, hic lauream Juriſprudentiæ conſecutus eſt, ut conſtat ex Diario Sanſoni (3), Reverſus in Germaniam Spiræ inter Cameræ, ut ajunt, judices fuit, inde inter Conſiliarios Comitis Palatini cooptatus brevi ad ſanctiora conſilia lectus eſt à Ludovico Bavariæ Duce. Nec diu poſt ad eadem adſumptus à Carolo V. apud eundem Prochartophylacis, quem Vice Cancellarium vocant, munere functus eſt. Eodem Cæſare delegante colloquio Wormatienſi de Religione habito an. MDLVII., cum Julio Pflugio Naumburgenſi Epiſcopo, judex nomine Cæſaris interfuit; quo diſcuſſo, ab eodem Cæſare Ratisbonam miſſus eſt, ut ejus nomine, abdicationem Imperii ſeptemviralibus comitiis offerret. Hac recepta cùm Ferdinandus fuiſſet Imperator inauguratus, ejus legatus Carolum Ex-Imperatorem comitatus Fleſſingam eſt. Memorabile eſt quod cum Carolo V. ventos navigationi idoneos expectante Fleſſingæ illi contigiſſe ferunt (4), Cùm enim ad multam noctem cum Carolo fuiſſet collocutus, & mox abitum petiiſſet: nec ex familiâ partim dilapsâ, partim dormiente ullus appareret, Imperator ipſe Seldio quamvis recuſanti, & deprecanti lychnum prætulit, eique ad gradus deducto: Hoc, inquit, Seldi, tibi monumentum Cæſaris illius habeto, tot exercitibus, & excubiis quondam ſtipari, quem nunc ſolum, & à familiâ etiam deſertum vides. En, cui tu tot annos ſerviſti, is nunc tibi ſervit, & lumen præfert. Fuit poſt hæc Seldius in eodem honore ac munere penes Ferdinandum Cæſarem, dilectus adeo, tantique habitus, ut ab ipſo Pater appellaretur. Attamen miſſionem ab eo tandem obtinuit laboribus fractus & privatæ quietis percupidus, atque an. MDLXIII. ſeceſſit in Bavariam, ubi caſtro donatus ab Alberto Duce, ei reficiendo muniendoque dum vacat, erepto è vivis Ferdinando, agente Philippo II. Hiſpaniarum Rege, ac jubente Alberto Duce rediit in Auſtriam, ibique ad conſultationes graviſſimas adhibitus à Maximiliano II. maturè & quidem infelici exitu mortalitatem explevit. Nam cùm Vindobonâ ad prædium à Maximiliano vocatus veniſſet, in reditu eâdem die, quòd ex furioſo equorum curſu, currus inevitabilem ruinam minaretur, priùs deprompto è manica precum libello, Deo animam commendavit, tum unà cum Ulrico Zaſio Juriſconſulto celeberrimo, de quo vide Ficardum, ſaltu ſe è curru proripuit, illiſiſque ad ſaxum temporibus eâdem adhuc horâ expiravit anno ætatis LVI. æræ communis MDLXV. VII. Kal. Junias. Maximilianus tanti viri jacturâ mœſtiſſimus juſſit ex idonea materie plaſticè ejus vultum fundi, ut ejus vera effigies in Epitaphio poſteritati ſervaretur. Fuit Seldius non ex unâ Juriſprudentiâ clarus. Quippe cum Geometricis ſtudiis, tum verò Muſicâ vehementer delectatus eſt, & Principibus miraculo fuit artifex pulſandi teſtudinem: ſalibus quoque appoſitis, & narrationibus lepidis ſubinde fatigatum gravibus negotiis Ferdinandi Cæſaris animum recreare, ſolitum narrant. Scripſit

Conſilia multa graviſſima in Jure.

Repertorium Juris noviſſimum.

Genealogias Caroli V. Imper. ejuſdemque res geſtas.

Diſſertationem de Cæſaris & Rom. Pontif. Poteſtate.

Quæſtionem, an Cæſar abdicaturus Imperium, id in manus Pontificis reſignare debeat.

(1) ibid. (2) Vit. Juriſconſult. in Seldio. [3] ad an. 1530. [4] Malch. Adam. loc. cit. & Freher. ex eo Tom. 2. P. 2. ſect. 4. p. 850.

CAPUT XX.

Ranuccius Farneſius Card. Petrus Paulus Vergerius Junior. Vitellocius Vitellius Card. M. Antonius Amuleus Card. Petrus Carrarius. Andreas Malatinus.

1565 CIX. RANUCCIUS Cardinalis FARNESIUS Romanus ex iis, quæ certo Scriptorum teſtimonio conſtituuntur contra ſomnia Lucæ Gaurici & aliorum, Petri Aloyſii filius, Pauli III. ex filio nepos, Alexandri Cardinalis, & Octavii Parmæ ac Placentiæ Ducis frater, natu minimus, Bononiæ prima literarum rudimenta, plenam ac miram eruditionem Patavii adhuc impubes ſibi comparavit, urgente Ludovico Beccatello (1), quo morum formatore ad Gymnaſium noſtrum eum Avus Pontifex miſerat, ut hic Eques Hieroſolymitanus, Prior Venetus, multiſque ac ditibus titulis in Ordine illo militari conſpicuus, gravioribus literis ad ſacras dignitates, quibus deſtinabatur, celerius aptaretur. Hic enim degentem idem Pontifex Archiepiſcopum Neapolitanum, nondum annum egreſſum XV. nec dignitati adhuc idoneum, renunciavit, ut ſcilicet ſalvo muneris & cenſu & titulo, per Vicarium Epiſcopum Biſſiniani magnam illam Eccleſiam adminiſtraret. Mox accitum Romam Diaconum Cardinalem S. Luciæ in Silice, deinde S. Angeli in Foro Piſcium dixit an. MDXLV., auxitque biennio poſt dignitatibus aliis, quarum titulos per otium leges enumeratos ab Oldoino (2), mirabeꝛiſque Conſtantinopolitanum Patriarcham adoleſcentulum annorum octodecim. Sub Julio III., Legatus à Latere præfuit Provinciæ Patrimonii, & ſummi, ut ajunt, Pœnitentiarii munus obtinuit; tum dimiſſo Archiepiſcopatu Neapolitano, ad quem nunquam acceſſit, ad Eccleſiæ Ravennatis inſulas convolavit, quas Archipresbyter quoque Lateranenſis, & Sabinus Epiſcopus geſſit, ſub eodem Julio, Marcello II. Paulo IV. & Pio IV. Hoc ſedente, relatus in collegium Cardinalium, qui coercendis inundationibus Tyberis præpoſiti ſunt, abdicavit ſe Sacerdotio Ravennate, translatuſque eſt ad Eccleſiam Bononienſem; cujus adminiſtrationem ſummo cum plauſu Bononienſium ac ſolemni pompâ, quam auxit præſentia fratris Octavii Parmæ ac Placentiæ Ducis, iniit: nec tamen diu tenuit. Nam eodem anno Parmam ad fratrem profectus ibi deceſſit V. Kal. Novembris an. MDLXV. ætatis quinto & trigeſimo. Laudatur paſſim ut princeps eximiæ doctrinæ, prudentiæ, facilitatis, largitatis, atque munificentiæ, veraſque eas laudes in tam brevi & vitâ, & purpurâ fuiſſe, probant Scriptores, quos congerit Oldoinus ibidem.

1565 CX. PETRUS PAULUS VERGERIUS junior Senioris gloriam exitu peſſimo corrupit. Ex eâdem familiâ nobili Juſtinopoli apud Iſtros natus Patavii Juriſprudentiæ, cæteriſque bonis artibus ac diſciplinis navavit operam ſtrenuè, doctoriſque lauream conſecutus (3), inter familiares Gaſparis Contareni, deinde Cardinalis, fuit, nec tamen ante Pontificatum Clementis VII. cœpit in aula Romana clarere. Ab hoc inter domeſticos receptus, cùm ſe virum ſagacis ingenii, animique ad omnia negotia ſuſcipienda, tractandaque idonei probaſſet, non ſine poteſtate ſingulari Nuncius miſſus eſt in Germaniam an. MDXXX. egitque gnaviter & laborioſè, ſi minus utiliter adversùs Lutheranos, utiliter tamen cum Catholicorum primipilaribus Fabro, Eckio, Nauſea, ut palam ac fortiter cauſam Eccleſiæ tuerentur. Sub Paulo III. iterum delegatus in Germaniam an. MDXXXV. (4) Principibus, quos Proteſtantes appellant, habendum Mantuæ Concilium indixit. Convenit tunc etiam Wittembergæ Lutherum, eumque à propoſito dimovere fruſtra conatus eſt. Cum Principes & Ordines Heterodoxi variis prætextibus Synodum indictam eluderent, negarentque liberam eam fore, niſi in ipſâ Germaniâ celebraretur, rediit Romam, remque infectam Pontifici nunciavit, quam deinde Neapolim profectus Carolo quoque Cæſari peculiariùs expoſuit. Quievit deinde Romæ, ad omnia, quæ pro ſalute Germaniæ cudebantur, conſilia is maximè unus, ut potiſſimus omnium, adhibitus, docuitque Cardinalem Aquienſem Legatum in Germaniam ea omnia, quæ agenda erant utiliter in eâ perdifficili, quam procurandam capeſſebat, provinciâ. Eodem tempore ab Epiſcopatu Madruſienſi, quem titulo tenus præſidebat, ad Juſtinopolitanum in Iſtria evectus eſt, atque an. MDXLI. patriæ inſulis clarior poſtremò Nuncius abiit in Germaniam ad Wormatienſia comitia, ſive

miſſus,

(1) Vit. Beccatel. per Ant. Gygant. (2) Tom. 3. p. 722. (3) Diar. Sanf. an. 1518. (4) V. Sfort. Pallav. hiſt. Concil. Trid. lib. 3. c. 18. à n. 4. ad 14. c. 19. n. 1. lib. 4. c. 11. n. 11. lib. 6. c. 13. n. 3.

miſſus, ſive, quod alii verius putant, ſponte ſuâ, quaſi Regis Gallorum Legatus, quòd
in eo cœtu negarent Hæretici ullum Miniſtris Pontificiis locum fore. Ibi celebrem ha-
buit, ediditque Orationem de concordiâ & pace Eccleſiæ. Comitiis quod attinet ad
rem Catholicam inauſpicatò peractis, redibat Romam ex conceptâ ſpe Purpuræ turgi-
dus: quippe fama plerumque, ut ſolet, fallax vulgaverat, tantis ejus meritis prope-
diem à Paulo illi Oſtrum Romanum conferendum. Sed jam cœperat Romanis tribuna-
libus eſſe ſuſpectus (1), tum ex commercio cum Lutheranis, tum ex ipsâ Oratione,
quam dixerat, quæque ſenſim prodebat anceps ejus de dogmatibus Orthodoxis judi-
cium. Ergo monitus à Cardinali Ginucio, ut ſcripto aliquo edito ſibi conſuleret, ac
ſe inſontem, verèque Catholicum profiteretur, ex itinere Juſtinopolim divertit, ac li-
brum conſcripſit adversùs Apoſtatas: ſed interim totus erat in lectione codicum hære-
ticorum. Hos quoque laudabat, & ut emendatores cenſoreſque dogmatum ac morum
Eccleſiæ domeſticis publiciſque ſermonibus magnificè apud cives exoſculabatur. Hinc
facto ipſo crevit ſuſpicio, quam apud Joannem Caſam Venetiis Apoſtolicum Nuncium
confirmarunt delationes ex Officio propoſitæ à Quæſitore Sacro Annibale Griſonio vi-
ro doctiſſimo, è cujus poſteris Petrum Juriſconſultum virum nobilem alumnum Gymna-
ſii noſtri, pietate, doctrina, omniumque virtutum ornamentis inſtructum, ſed præſer-
tim amore erga me ſingulari venerabilem mihi, liceat hoc loco ſalutare. Evocatus
Vergerius Venetias unà cum Jo. Baptiſta fratre Polenſi Epiſcopo, quem eadem lues af-
flaverat, negavit Epiſcopos ab Epiſcopo judicari poſſe, atque ad Synodum Tridenti-
nam, quæ tunc habebatur, provocavit. At interim palam laudare, quos damnarat,
Apoſtatas, ingerere dogmata pernicioſa, Romanos mores calumniis ex cenſu Lutheri
depromptis arguere. Cùm parari ſibi carcerem comperiſſet, ad Herculem Cardinalem
Gonzagam, cui familiariter notus erat, transfugit, undè ad Synodum Tridentinam pro-
fectus eſt purgandi ſui causa: ſed à Legatis repulſus, ac juſſus diſcedere, Venetias,
inde Patavium ſe contulit an. MDXLVIII., tandemque ad Rhœtos evaſit; apud quos
aliquandiu ex Epiſcopo Miniſter miſellus docuit in cathedrâ peſtilentiæ, undè à Chri-
ſtophoro Principe Wittembergico Tubingam accerſitus, ibi vivere deſiit an. MDLXV.
laudatus in funere à Joanne Andrea Symmiſta, ex quo ſua habet Melchior Adamus
(2) vera falſis interpolata. Præter orationem relatam, & librum adversùs Apoſtatas,
cum ſcripſerit contra Fidem Orthodoxam multa, Typi nobis, quod ſcire licuit, exhi-
bent nihil.

CXI. VITELLOCIUS VITELLIUS Cardinalis nobiliſſimus Typhernas filius Ale- 1568
xandri celeberrimi totâ Italia exercituum imperatoris, avitam nobilitatem, quæ diu
Typherno ſumma cum poteſtate præfuit, auxit egregiâ virtutum ſuarum appendice.
Annorum quatuordecim puer, ut ſe literarum ac ſcientiarum ornamentis inſtrueret,
Patavium venit, atque hìc noſtri Gymnaſii ſtudioſus alumnus (3) ſexennio humanio-
ris literaturæ plenam hauſit notitiam, & Juriſprudentiæ lauream reportavit (4); iiſque
ſe dignitatibus parem fecit, quas curſu celerrimo Romæ ſtatim conſecutus eſt. Nam à
Julio III. Clericus ad Quæſturam Eccleſiaſticam renunciatus anno ætatis XXVIII. pa-
triæ Infulas induit. A Paulo IV. numero patrum Purpuratorum adſcriptus an. MDLVII.
donis quoque ac pecunia cumulatus tanti ob ſapientiam, integritatem vitæ, ac mode-
ſtiam morum habitus eſt, quamvis nondum annum primum ac trigeſimum egreſſus, ut
in gravioribus negotiis, nihil ille publicè privatimque capeſſeret, quod Vitellocii con-
ſilium & auctoritas non approbaſſet. Hinc in illum congeſti honores quàm plurimi,
opeſque prorsùs ampliſſimæ, quas ille nnn ad faſtum & luxum, ſed ad ſuppetias docto-
rum hominum largiſſimè contulit; domumque ſuam hoſpitium ſapientiæ dixit: quippe
ejus pretium noverat ipſe, quem doctiſſimum fuiſſe, & Antiquitatis æquè ac Juriſpru-
dentiæ ſtudioſiſſimum & peritiſſimum ex iis, quæ multi tradunt apud Oldoinum agno-
ſces (5). Obiit Romæ Eccleſiæ Romanæ Camerarius ſub Pio IV. XIII. Kal. Decembris
an. MDLXVIII. ætatis XXXVII. Sepultus eſt in Diaconiâ S. Mariæ in via lata ad
aram SS. Cypriani & Caterinæ ſine titulo.

CXII. Debet Gymnaſio noſtro M. ANTONIUS AMULEUS Cardinalis gloriam fa-
mamque ſui nominis, at & Gymnaſium noſtrum debet Amuleo, quod ex ejus digni- 1570
tate ac Sapientiâ illi provenit decus. Patricia gente & majorum virtutibus clara Ve-
netiis ortus, Patavii adoleſcentiam bonis artibus imbuit, atque hinc & I. V. D. (6)
& inſignis Orator ad capeſſendam Rempublicam prodiit. Vir eloquentis & ſummæ in
rebus agendis prudentiæ, emenſus graviſſimorum Magiſtratuum officia Senator integerrime
dexteri-

(1) V. Ughell. T. 5. p. 391. (2) Vit. Theol. extern. in Vergerio. [3] Tomaſ. in Characteriſ. Gymn.
(4) Sanſon. Diar. ad an. 1550. (5) Tom. 3. p. 863. [6] Diar. Sanſon. ad an. 1525.

dexteritatis Gymnaſio pręfuit literarius Triumvir (1), atque interim ampliſſimas legationes obivit Orator patriæ ad Carolum V. Cęſarem, Philippum II. Hiſpanię Regem, & Pium IV. apud quem ſummum obtinuit honoris & auctoritatis: undè mox illi apud patriam fatalis prope dixerim diffidentia, atque etiam offenſio. Nam cùm Pius, ut virtutes ejus ad Sacrorum obſequium traduceret, ad Veronenſem illum Eccleſiam deſtinaſſet, id ubi compertum Senatui fuit, Amuleum à Legatione Romana dato ſucceſſore Hieronymo Superantio, revocavit. Quamobrem offenſus Pontifex datis ad Senatum literis, & palam teſtatus eſt Amuleum à ſe rei penitus inſcium ſacrę dignitati fuiſſe deſtinatum, & unà rogavit, ut hominem prorsùs innoxium, dignitatibus, undè Senatuſconſulto exciderat, reſtitueret: annuitque Senatus, atque reſtituit, quin etiam dono quingentorum aureorum auxit. Verùm cùm paulo poſt idem Pontifex, neque cogitantem, & invitum ad Purpuram Romanam evexiſſet, ac Diaconum Card. S. Marcelli renunciaſſet, rata Reſpublica Veneta hoc exemplo leges ſuas lædi, lęſo obſequio conſtanter indoluit: vetuit ullum lętitię ſignum à propinquis dari, ipſum ut extraneum prorsùs, ac peregrinum, patriis dignitatibus & juribus exuit, planèque voluit Venetę civitatis exortem, nec unquam deinceps cum illo, quoad vixit, ullam nomine venię reconciliationem admiſit, quamvis ille hęc omnia modis omnibus & optaverit diu, & operosè tentaverit. In Purpurata ergo proſcriptione illa M. Antonius fuit Reatinus Antiſtes, pręfuitque bibliothecę Apoſtolicę, ac Pii IV. familiariſſimus, quemadmodum & Pii V. graviſſima ſemper Romanę juriſdictionis negotia moderatus eſt, ut annotat ſigillatim Oldoinus (2). Obiit Romę ab accepta Purpura anno nono, Chriſti MDLXX, ętatis LXV. Teſtamento, quod prę manibus habeo, profeſſus ſummum obſequium & amorem erga patriam, ſuis opibus patricię adoleſcentię ſtudiis erigi collegium juſſit, quod etiam num Patavii ſtat ad Pratum Vallis à conditore dictum Amuleum. Corpus ejus Romę ad D. Jacobi Hiſpanorum depoſitum, Venetias deinde translatum eſt, jacetque ad S. Jobi ſine titulo. Scripſit

Epiſtolas latinas & Italicas, quarum edirę multę ſunt inter literas Virorum illuſtrium.

Orationes Italicas.

Tractatum de ſublimi genere dicendi.

Ex quibus laudatur à Bembo (3) & Mariano Victorio (4).

1570 CXIII. PETRUS CARRARIUS Patavinus juri Canonico dedit operam in patrio Lycęo, undè Decretorum Doctor acceptis laborum inſignibus prodiit (5), mox ſe ad humaniorem literaturam vertit: doctuſque ac peritus linguarum Gręcę, Latinę, vernaculę, ex his ſibi gloriam apud poſteros comparavit. Florebat jam an. MDLIX. quo de illo ſcribebat, quę tradimus, Bernardinus Scardeonius (6), ac familiariſſimus, imò & contubernalis Jo. Baptiſtę Rotę monumentum Pierio Valeriano grato hoſpiti extruxerat in Antoniana baſilica (7). Vixiſſe videtur ad annum uſque MDLXX., conditusque in ſepulcro majorum ad S. Jacobi, quod filius ejus ſacerdos, in quo hęc familia deſiit, exuere vetuſtatem juſſit (8). Carrarii hęc Opera vulgata ſunt.

Italica Converſio Vitæ & Orationum Iſocratis.

Liber egregius & pereruditus de toleranda exilii fortuna: ad Franciſcum Nogarolam Veronenſem.

Odicula & pia Carmina varia, quæ deflent Cruciatus & Mortem Chriſti Servatoris.

Orationes Variæ latinæ, quarum tres editas vidimus.

I. de Laudibus Reipublicæ Venetæ.

II. de Bello adversùs Turcas ſuſcipiendo.

III. in funere Lazari Bonamici, cui addita ſunt Elogia & Epigrammata aliquot de eodem argumento, quæ mihi ſummo in pretio habenda, viſa ſunt.

1570 CXIV. ANDREAM MALATINUM cum Tomaſinus tradat (9), multis annis in Gymnaſio noſtro jura ſuiſſe civilia profeſſum, non nominat inter Profeſſores, quorum catalogum texit. Eum Scardeonius negat Profeſſoribus publicis annumerandum (10), idipſumque loquuntur ſilentio ſuo alba omnia gymnaſtica. Is Patavii natus & Juriſconſultus fuit & Doctor, ut ſignat Sanſonus (11), quo teſte ante *Doctoratum Doctor* habebatur, parque ob juris peritiam ipſis Profeſſoribus publicis. Candidatus adhuc in lucem edidit Additiones memorabiles ad Inſtitutiones Juſtinianeas, ad Digeſtum vetus, Authenticas Conſtitutiones & Codicem, ex quibus jam tum ejus nomen in forenſibus cauſis percrebuerat. Senex obiit in patria circa an. MDLXX. Filium habuit Orpheum virum celebrem in collegio Notariorum Patavii, ſcribamque itidem Epiſcopalis curiæ clariſſi-

(1) Oper. hujus tom. 1. (2) ad Ciaccon. T. 3. p. 919. (3) lib. 2. Epiſt. (4) Epiſt. Nuncupat. ad edit. Oper. S. Hieronym. (5) Diar. Sanſon. ad an. 1532. (6) lib. 2. Claſſ. 11. p. 219. (7) Salom. Inſcr. Pat. p. 416. 417. n. 298. (8) Idem ibid. p. 172. n. 33. (9) in Character. Gym. (10) lib. 2. Claſſ. 6. p. 198. (11) in Diar. ad an. 1520.

clariſſimum, cui ac toti familiæ Malatinæ uxor Elliſabeta Thedolda ſarcophagum (1) poſuit ad S. Mariam Magdalenarum an. MDCXI.

CAPUT XXI.

Antonius Taſſara. Camillus Cautius. Paulus Andreas Benius. Daniel Barbarus Card. Franciſcus Piſanus Card. Io. Uldricus Zaſius. Laurentius Strozzius Card. Hieronymus Maggius.

CXV. ANTONIUM TASSARAM Patavinum claruiſſe inter Profeſſores Juriſcon- 1570
ſultos tertiarios ſubnotat Tomaſinus (2), ejuſque obliviſcitur in catalogo Profeſſorum, & forte admiſſum ſphalma in opere poſteriore cognoverit, cum certè nuſquam in monumentis gymnaſticis hoc nomen appareat, & Scardeonius (3) virum hunc inter claros Patavinæ urbis Juriſconſultos recenſeat, qui publicè in ſcholis non ſunt profeſſi. Fuit inſignis Patavii Scriba, Doctor etiam utriuſque juris à Sanſono ſignatur. Scripſit locupletiſſimum librum de erroribus Notariorum, eumque ad publicam utilitatem vulgaverat ante an. MDLX. quo Scardeonius ſcribebat, nec tamen ipſe ultra annum MDLXX. vivendo proceſſerit.

CXVI. CAMILLUS CAUTIUS ex oppido agri Patavini Cittadellæ claris Gramma- 1570
ticis, Rhetoribus, & Oratoribus annumeratur à Scardeonio (4), cùm tamen ipſo teſte Decretorum I. V. D. fuerit ex annotatis à Sanſono (5). Florebat anno MDLX. ſcribente Scardeonio adhuc ſuperſtes, & inſignis admodum ea ætate Sacerdos, nec tamen an. MDLXX. inter mortales vivendo ſuperaverit, nam inter plures eo anno numeratur à Pignorio (6), quo ad eoſdem abiit Franciſcus Cardinalis Piſanus, cujus olim judex delegatus, quem vocant Auditorem, fuerat in curiâ Patavina. Scripſit loculentiſſimum Tractatum *de Penſionibus*, qui extat inter tractatus legales eorumque ſyllogen (7). *Dialogum* quoque *de Sacramento Altaris*, & *Scholia in ſex articulos Catechiſmi Lutherani* ad Angelum Bragadenum Epiſcopum Vicentinum. *Epiſtolam* etiam eadem ſuper re ad ſe ſcriptam cultiſſimam fuiſſe aſſerit Scardeonius. Memoratur à Portinario (8).

CXVII. PAULUS ANDREAS BENIUS vel de Bono, nobilis Veronenſis, de cujus 1570
genealogia & gente videnda, quæ ſemilatinè Julius à Puteo (9), Italicè Curtius tradunt (10). Patavii lauream Juriſprudentiæ conſecutus claruit eloquentiâ, & patriæ honoribus ac legationibus honeſtiſſimis egregiè functus eſt. Cooptatus in Juriſconſultorum Veronenſium collegium, illud ſuæ virtutis gloria illuſtravit ſcriptis editis in Singularia Juris, quorum diu apud Juriſperitos uſus fuit, & laus, quæ vetuſtate contabuit. Florebat circa an. MDLXX. nec diu ſuperſtes fuerit, quando ejus nulla deinceps eſt mentio.

CXVIII. De DANIELE BARBARO patricio Veneto, Patriarcha Aquilejenſi, ſu- 1570
pervacaneum ſit multa dicere, cùm apud eruditos homines laudum ejus plena ſint omnia. Thuanus eum ornamentum Venetæ nobilitatis appellat (11), atque huic appellationi luculentiùs ingerendæ plurima confert hinc inde collecta Teiſſerus (12). Vir eſt celeberrimus Ruſcello, totique Europæ venerabilis ex ingenio, doctrinâ, morumque probitate, & ardore incorruptæ religionis. Illi Maſtajus (13) Principatum inter Antiſtites Tridentinos concedit, ac ſuperbum oraculi titulum tribuit. Colligit hæc omnia Tomaſinus (14): indeque omnium quotquot Patavinum Gymnaſium ad ſapientiam aluit Anteſignanum exiſtimat. Franciſci Senatoris filius Hermolai notiſſimi in literaria republica nepos, Patavii ſapientiæ, ex qua maximè claruit, tyrocinium poſuit, verſatuſque eſt in omni ſcientiarum genere, quarum omnium decus mirâ felicitate complexus eſt, Philoſophus perſpicax, acuminis alti Theologus, ſummæ eruditionis Juriſconſultus: hanc illi poſtremam laudem affert laurea in hoc noſtro Gymnaſio recepta, & à ſacro collegio Juriſconſultorum data (15), cujus numerum auxit in album ejuſdem adlectus. Gerendæ reipublicæ admotus, ita publicis muneribus & honoribus functus eſt, ut privatim operas ſuas liberalibus diſciplinis conſtantiùs illuſtrandis oppignotaverit, ut ex enumerandis operibus ejus conſtabit. Ex his toti jam Europæ notus, cùm in Anglia

manus

(1) Salom Inſcr. Pat. p. 190. n. 13. (2) in Characteriſmo Gym. (3) lib. 2. Claſ. 8. p. 198. (4) ibid. Claſſ. 10. p. 251. (5) in Diar. ad an. 1504. (6) Epiſt. ad Molin. de Vetuſta. Patav. (7) Tom. 15. P. 2. p. 534. (8) lib. 7. c. 7. p. 265. 269. (9) Elog. Juriſconſult. Veronen. p. 49. (10) Hiſtor. lib. 10. (11) in Elog. Vir. doct. (12) in Addit. ad Thuan. Elog. T. 1. p. 330. (13) de Gymnaſ. Ital. lib. 2. (14) in Character. Gym. & App. Annal. lib. 2. (15) Sanſon. in Diario an. 1525.

munus Oratoris Veneti obibat an. MDLIX. à Paulo IV. Joanni Grimano (1) ſubſidiarius Adminiſter in Eccleſiâ Aquilejenſi curandâ, atque Adjutor, ut ajunt, datus eſt, & futurus Succeſſor. Nec diu poſt abdicanti ſe ſpontè ſua Joanni ſucceſſit. Cardinalis Valerius citatus in editione noviſſimâ Venetorum hiſtoricorum (2) tradit, mortuo Bembo, huic viro literatiſſimo demandatam Senatuſconſulto fuiſſe provinciam Hiſtoriæ Venetæ continuandæ, cujus tamen nullum ſuperſit veſtigium, quòd vir varia rerum cognitione præſtans in Davidicorum explanatione pſalmorum valdè fuerit occupatus. Id quod mihi multum admodum anceps eſt: nam vertendæ Catenæ in Pſalmos Græcę laborem poſt Sacræ dignitatis initia ſuſcepit, nec veriſimile videtur jam ſacris præfectum ad munus fuiſſe Senatuſconſulto Senatorium adlectum. Interfuit Tridentinæ Synodo ſub Paulo, & Pio, ejuſque mentio perhonorifica eſt inter doctiſſimos Patres (3). E Synodo redux Romam majoribus dignitatibus, atque ipſi Romanæ Purpuræ deſtinabatur, quam certè fuiſſet conſecutus, ni mors præpropera obſtitiſſet. Deceſſit Venetiis Idibus Aprilis an. MDLXX. ætatis LV. Opera ejus in lucem edita hæc ſunt.

Practica Perſpectiva.

Comment, in libros X. Vitruvii de Architectura.

In quinque voces Porphyrii.

In libros III. Rhetoricorum Ariſtotelis ad Theodecten.

Dialogus de Eloquentiâ.

Verſio Catena Graca Patrum in Pſalmos, quorum quinquaginta dumtaxat hoc opere explanavit, reliquos morte præreptus illuſtrare minimè potuit, quamvis referat Poſſevinus (4) Catenam integram extitiſſe in Bibliotheca Franciſci Barbari Patriarchę Aquilejenſis.

1579 CXIX. FRANCISCUS PISANUS Cardinalis ex ea familia inter Venetas clariſſimâ genitus, quam ſæpè in hoc opere laudavimus, Franciſci Aloyſii D. Marci Procuratoris filius (5), Joannis, in ipſo ætatis flore, eandem, quam pater gerebat Purpuram promeriti frater, ex oratione, quam in ejus funere habuit Patavii Joannes Faſeolus relatus à Tomaſino (6), in hoc noſtro Gymnaſio artes optimas, Philoſophiam & eloquentiam didicit, Doctorque laureatus Juriſprudentiæ proceſſit ad honores Eccleſiaſticos. Ex Protonotario Apoſtolico à Leone X. Diaconus Cardinalis S. Theodori renunciatus eſt an. MDXVII. nondum ætate major; annum agens tertium ſupra vigeſimum. Mutavit honorum titulos crebrò, translatus ad Præfecturam S. Agathæ, S. Mariæ in Coſmedin, S. Mariæ in Porticu: tum Presbyter Cardinalis S. Marci, denique Epiſcopus Albanus, Tuſculanus, Portuenſis, & Oſtienſis, & Decanus Patrum Purpuratorum per annos circiter quinquaginta tres Romanam Purpuram geſſit: quo tempore Patavinæ Eccleſiæ præfuit ab an. MDXXIV. ad an. MDXXVIII., ut alibi diximus (7), quo tempore celeri munificentiâ ædes Patavinorum Antiſtitum, atque ipſam Eccleſiam ſumptu amplè collato auxit, extruxitque liberaliſſimè, quamvis abſens: quippe verſabatur in Aulâ, comeſque fuit Clementis VII. obſeſſi in arce Adrianeâ, mox etiam obſes pro eodem Pontifice per ſeſquiannum in arce Neapolitanâ. Reſignavit tunc ille infulas Patavinas Aloyſio nepoti, Tarviſinis receptis an. MDXXIX., quas cumulavit Narbonenſibus, ut conſtat ex ejus Provinciæ Synodo, in qua uti Primas, & Archiepiſcopus ſedit an. MDLI. Vixit deinde Romæ, atque abſens, cum Tarviſinam, tum Æmonienſem Eccleſias adminiſtravit. Ibidem Romanæ Eccleſiæ Archidiaconus Marcellum II. & Paulum IV. coronavit: quo tempore Janus Vitalis hoc Decaſticho laudes ejus elegantiſſimè cecinit (8),

Ille, vides, gravitas, cui plurima regnat in ore,
Cui frons eſt meritis perpes imago ſuæ:
Poſtremò primus, qui leni in Ordine Patrum
Oſtentat Venetæ Nobilitatis opes;
Ille eſt, cui multum veneranda Modeſtia debet,
Cui multum Charitas, ingenuuſque pudor.
Pontificem ille etiam circumdat honore Tiaræ,
Et lateri aſſiſtit ſedulus ante alios.
Et quamvis Piſæa Domus nitet alta trophæis,
Nuſquam ullum tanto Principe majus habet.

Ætate

(1) Ughell. tom. 5. (2) Præfat. ad hiſt. Venet. p. 26. (3) Ambroſ. Cather. in Præf. Opuſcul. (4) Appar. T. 1. p. 417. (5) Oldoin. ad Ciaccon. Tom. 3. p. 413. (6) in App. lib. 2. (7) hujus Oper. tom. 1. (8) apud Oldoin. loc. cit.

Ætate longævus, annum agens ſeptuageſimum ſextum, nuncio de morte Aloyſii Cardinalis nepotis accepto, articulari morbo laborans occubuit Romæ III. Kal. Julii an. MDLXX. Corpus ejus conditum eſt ad D. Marci in ſepulcro ſumptuosè oſſibus ejus impoſito.

CXX. JO. ULDRICUS ZASIUS natu major filius Uldrici Zaſii clari Juriſconſulti Conſtantienſis, de quo Ficardus (1) & Pancirolus (2), Friburgi natus, patre mortuo Patavii Mariano Socino juniore præceptore uſus juris Civilis arcana ſcrutatus eſt, atque hic tyrocinio defunctus retulit ornamenta Juriſprudentiæ (3), quam, ſiquidem audias quoſpiam, etiam in gymnaſio noſtro profeſſus ſit: id quod non aſſero: omnibus documentis publicis omnino tacentibus. Jus utrumque docuit & Friburgi (4) in Briſgoviâ, & alibi per Germaniam, vir doctiſſimus habitus, at non integræ in orthodoxis dogmatibus Fidei, quam pravis opinionibus labefactaſſe dicitur, quamvis id in ejus operibus non appareat. Obiit an. MDLXX. ætatis XLIX. V. Kal. Junii (5). 1570

Edidit. *In Pandectas, & in Tit. de Actionibus Commentarios eruditiſſimos.*
Librum unum de Subſtitutionibus.
Librum unum de Infantibus Baptizandis.
Libros duos Reſponſorum.
Epitomen Feudorum.
Jura Municipalia Friburgenſis Reipublicæ.
Catalogum legum Antiquarum, editum in Tractatu Tractatuum.

De eo latè Melchior Adamus (6), ex quo ſcimus in curiam Cæſaris adlectum imperantibus Ferdinando I. & Maximiliano II. maximèque dilectum à Seldio, de quo diximus; ejus hic morti præſens eodemque curru vectus interfuit, idemque periculum ſubiit è curru proſiliens, quo quamvis minimè ſuccubuerit, ita tamen in dextera parte capitis læſus eſt, ut reliquo vitæ quinquennio, quo ſuperſtes amico fuit, graviſſimis morbis cephalicis fuerit obnoxius.

CXXI. LAURENTIUM STROZZIUM Cardinalem Philippo patre, Clarice Medicea Leonis X. nepte matre Florentiæ natum, fratrem verò germanum Petri celeberrimi Ducis Benedictus Varchius humaniorum literarum ornamentis inſtruxit, ac probè inſtitutum ad gymnaſium noſtrum majoribus diſciplinis imbuendum dimiſit. Hic inſtitutus, & inter Doctores relatus (7), profectus in Galliam eſt, ubi ad Martis ſtudia pacatæ Palladis artibus ſubactum pectus convertit, ac militiam ſtrenuè profeſſus ducis invicti nomen emeruit. Franciſco II. Rege Provinciæ Narbonenſis præfectus arma in hæreticos tractavit fortiter, quorum, arcibus expugnatis, ita furorem compeſcuit, ut eorundem non paucos ad orthodoxas ſententias retraxerit. Inde iterum evocatis ad contubernium, quas Bellona ferox abegerat, Muſis, Catarinâ Mediceâ conſobrinâ ſuadente ſacræ militiæ ſe addixit, ditatuſque ab Henrico Rege Sacerdotiis pinguiſſimis, quę nominat Oldoinus (8), tandem ex Regio Conſiliario Rege petente ad Purpuram Romanam pervenit ſub Paulo IV. an. MDLVII. Cardinalis Presbyter S. Balbinæ. Plurium Eccleſiarum infulas geſſit in Galliâ, ibique vires hæreticorum conſilio & prudentia, vir perſpicax & doctus attrivit. Denique Archiepiſcopus Aquenſis, cùm Avenionem receſſiſſet XIX. Kal. Januarii mortalitatem exuit an. MDLXXI. ætatis XLVIII. De eo multa Gallorum hiſtorici, quibus adde Turturam (9), Poſſevinum Juniorem (10), atque Caracciolum (11). 1571

CXXII. HIERONYMUS MAGGIUS, ortus ex Anglaria, incertum Inſubrię ne, an Etruriæ oppido fontibus Clanis, ac Tiberis proximo, à prima ætate ad bonas artes ex ingenio propenſus, primum Bononiæ Franciſcum Robortellum eloquentiæ Profeſſorem audivit, quem ſecutus Patavium, eo inde digreſſo adhæſit Bonamico & Sigonio, ſimul Juriſprudentiæ tyronem ſe dixit, emenſuſque curriculum legum laureatus Venetias venit (12), undè ſæpè Rectorum ſubjectis urbibus præfectorum Aſſeſſor prodiit; poteratque ex eo, quod honeſtè ſibi paraverat, lucro commodè vivere, ni eum extruendæ bibliothecæ, quæ tunc maximè literatiſſimos homines emungebat, cupido ad inopiam compuliſſet: hanc ut excuteret eò flexit animum, ut in Orientem navigaret: datuſque judex Auditor Antonii Bragadeni, Arſinoen Cypri, quæ nunc Famaguſta eſt, profectus eſt, in cujus obſidione, quæ mox contigit, ex Juriſconſulto Mathematicus Machinarum artifex peritus, admodum Turcis obſidentibus obfuit. Dedita tandem urbe, cùm perfidia Turcica poſt interfectum Aſtorem Baleonium, necatumque crudeli ſupplicio Bragadenum, deditos contra pacta deditionis partim occidiſſet, partum conje- 1571

ciſſet

(1) Vit. Juriſconſult. in Zaſio. (2) de Clar. Interp. lib. 2. c. 141. à p. 252. 253. (3) Sanſ. in Diar. an 1542. (4) Pancir. d. p. 253. 254. (5) Freher. T. 2. p. 2. Sect. 4. p. 860. (6) Vit. Juriſconſultorum. (7) Sanſ. in Diar. an. 1545. (8) ad Ciacc. T. 3. p. 856. (9) lib. 3. hiſt. Galli. (10) in hiſt. Gonzag. (11) Vit. Pauli IV. (12) Diar. Sanſ. an. 1539.

ciſſet in vincula, hæc Hieronymus quoque paſſus eſt. Advectus Conſtantinopolim reliquum vitæ poſuit in duriſſima ſervitute, quam evocatis ad ſolatium Muſis, feſſus laboribus diurnis, nocturna meditatione lenire conatus eſt. Quin etiam editis eruditiſſimis libellis, quorum altero egit de *Tintinnabulis*, altero *de Equuleo*, his patrocinium ſibi quæſivit apud Legatos Gallorum Regis, & Cæſaris, quorum precibus, aurove redimi ſperavit à captivitate, ſpe prorsùs inani. Nam Legati, ſive, quod miſer orabat flagitabatque, neglexere, ſive conati, impetrare minimè potuerant. Hoc certum teſtimonio Thuani (1), Suertii (2), Dufreſnii (3), ex quibus hæc tradimus, vir hic eruditionis eximiæ, ac meliore exitu dignus, in carcere juſſu Mauhumeti ſatrapæ ſtrangulatus interiit VI. Kal. Junii an. MDLXXI. Multa ſe editurum promiſit. Notas in Virgilii Bucolica. De Antiquorum Prandiis & Cœnis. Annotationes in A. Gellium. Libros Hortorum. De Machinis ex Heronis libro [illegible]. De Urbium Architectura. Necrotaphologiam, ſive de Sepulcris, & ritu ſepeliendi libros X. Lexicon Juris ad l. cum vir nubit ff. ad l. Juliam de adult. Apophyadas ad Budæi annotationes in Pandectas. Verùm hæc nos non vidimus, & fortè nuſquam ſint. Extant prælo publici Juris facta Maggii Opera.

Libri V. de Mundi exitio per exuſtionem.
Comment. in IV. Inſtitutionum libros.
Miſcellanea, ſeu variæ lectiones.
Libellus de Veteri Etruria ſitu.
Comment. in Vitas Illuſtrium Virorum Æmilii Probi.

Atque ex his multa ſuffuratum Lambinum queritur Dufreſnius loco citato.

CAPUT XXII.

Giannotus Donatus. Hieronymus Mutius Juſtinopolitanus. Jo. Coraſius. Ludovicus Beccatellus.

1572 CXXIII. DONATUS GIANNOTUS Florentinus diu ſecretorum Florentinæ Reipublicæ particeps (4), hac à Mediceis in ſervitutem redacta, Principe Alexandro regnante ſponte ſua diſceſſit è patria, ac per annos multos vixit Patavii (5), ea ſtudia recolens in hoc noſtro lycæo, quæ à primis annis amaverat, ut ipſe ſcribit in iis, quas eruditiſſimè ſcripſit, diſſertationibus de Rerum Italicarum cataſtrophe. A Coſmo I. qui patriam à ſervitute liberatam ſub imperio & nomine Principis tenuit, evocatus honorificis conditionibus, atque etiam egregiis dignitatibus oblatis, umbræ quoque ſervitutis exilium prætulit, ac Patavio Venetias ſe recepit, ut in ea, quæ una vera Italiæ reliqua eſt, libertate, reliquum quoque vitæ deponeret. Anecdotæ ſunt ejus Epiſtolæ, quas olim legi adiectas Hiſtoriæ Varchii nondum editæ, ſuntque prudentiſſimæ ac politicorum axiomatum plenæ, quæque ad Florentinarum rerum hiſtoriam utiliſſimæ ſint. Anecdota quoque ſunt ejus Commentaria de Rebus Italicis (6), & Republica Florentina, dicanturque elegantiſſimâ Epiſtolâ Paulo III. Pont. Max. At Lugdunenſibus typis editus eſt *Dialogus de Republicâ Venetâ*, quo nihil nitidius, diligentius, & ad intelligendas res Venetas opportunius, tutiuſve. Ex eo opere maximè cenſetur, quamvis non deſint, qui obtrectent, & adulationis interdum graviſſimum Scriptorem accuſent. Ætatis decrepitæ ſenex, mortalitatis vinculis abſolutus occubuit Venetiis an. MDLXXII.

1572 CXXIV. HIERONYMUM MUTIUM Juſtinopolitanum ex Iſtria producto Achille Mutio (7) Calvus oriundum Bergomo prædicat (8), ac Bergomenſibus ſuis annumerat Scriptorum eorum Principem, qui de Honore ex officiis Equeſtribus Italorum exactos ad leges Moralis Philoſophiæ libros edidere. Ut ut ſit Juſtinopoli certè natus eſt, nec niſi ut Mutius Juſtinopolitanus notus eſt in Italia. Nobili ne, an plebejo genere ſatus ſit, ignoramus, quod etiam ignorat Tomaſinus, qui eum Æmonia oriundum ſcribit (9). Hoc auctore, humanioribus literis operam dederit ac Philoſophiæ Patavii Petri Pauli Vergerii contubernalis, quocum hinc I. V. D. diſceſſit (10), quemque deinde ſecutus Venetiis, Romæ, in Germaniâ, non ante deſeruit, quàm cœpit tribunalibus ſacris Lutheranæ hæreſis eſſe ſuſpectus. Quin imò unum hunc ex delatoribus Vergerii fuiſſe Tomaſinus autumat (11), eoque piæ religionis officio meruiſſe in curiam Romanam adſciſci.

(1) Elog. in Athen. Belg. (2) in Vita Maggii. (3) de Rer. Ital. Script. in Maggio. [4] Elog. Thuan. in Giannoto. (5) Matric. Gymn. ab Anno 1540. (6) Teiſſer. in addit. ad Elog. Thuan. Tom. I. p. 382. (7) Theatr. P. 3. (8) Scen. liter. P. 1. p. 274. (9) in Monument. Eccl. Æmonien. (10) Sanſ. Diar. ad An. 1528. [11] loc. cit.

adſciſci. Reipſa vocatum ſe in aulam Joannis Caſæ Apoſtolici Nuncii Venetiis ipſe Mutius refert (1), & jam virum cœpiſſe tunc illo patrono, cui erat ab epiſtolis, irrepere in gratiam aulæ Romanæ. Inde Taurinum accerſitus in eodem apud Sabaudiæ Ducem officio fuit, à quo devexa jam ætate excuſavit ſe, ac Romam regreſſus, idem ibi multis Purpuratis Patribus obſequium præſtitit, carus omnibus, ſed cariſſimus Cardinali Alexandrino, qui deinde Pontifex Pius V., hunc de aula Romana optimè meritum ſenem, tanquam exemplar ſapientiæ ac probitatis, aulicis omnibus proponebat. Claruit ante alios ex ea moralis Philoſophiæ parte, quæ in componendis nobilium diſſidiis verſatur. Hos dòcuit, quid læſi petere, quid inferentes injuriam reddere debeant: quid pax inter jurgantes ſancita oneris habeat, quæ ratio ſuſcipiendi duelli, & ad illud ſit provocandi. Ubi mortalitatem expleverit, quove anno, non conſtat; veriſimillimum eſt, Romæ aulicum obiiſſe poſt an. MDLXIII., nec vivendo exceſſiſſe Pii V. annum emortualem MDLXXII. Celeberrima ſunt ejus Opera Italicè ſcripta & edita. *De Duello ad Emmanuelem Filibertum Sabaudiæ Ducem lib. III. Reſponſionum & Quæſtionum lib. IV. ad Ferdinandum Gonzagam Principem Mantuę. De officiis Viri Nobilis liber I. Monita Moralia, quorum hi tituli ſunt. Princeps Adoleſcentulus. Iſagoge ad Virtutem. Quinque noſcenda aulam petenti. De Regimine Reipublicę. De aure Principis. De officio Equitis. De Jure Belli, & Belli adversùs Pontificem inferendi. De Matrimonio. Inſtitutio Sponſę egregię. Diſſertationes IV. de Conſolatione Mortis. Explicatio Pſalterii.* Pia etiam ſcripſit Opuſcula, quorum hæc edita ſunt. *Vita Glorioſę Virginis Deiparę. Hiſtoria Sacra cum adjecta Epitome Doctrinę Evangelicæ priſcorum Doctorum, & Romanorum Pontificum.* Extant Anecdota multa, quorum aliqua vidimus, recenſenturque à Donio in Bibliotheca ſua,

Silva Odora. — *Diſciplina Orthodoxa.*
Epiſtolarum Catholicarum libri II. — *Mendacia Ochiniana,*
Chorus Pontificalis, quod opus editum eſt. — *Ecloga.*

CXXV. JOANNEM CORASIUM integrâ oratione laudavit Matthæus Weſembecius 1572
(2), eâque latè vitam ejus complexus eſt. Inde ad notitiam viri clariſſimi, atque utinam non hæretici aliqua poſteritati noſtræ proponimus. Gente Gallus, domo Toloſas, admodum adoleſcens juri dare operam cœpit, in eâque ſcientiâ, quaſi in ſinu legum ad præcocem Juriſprudentiæ ubertatem effloruit. Nam nondum tyrocinio poſito, in patriâ de ſuperiore loco profitendi provinciam aggreſſus eſt: inde Andes venit, & in Andegavenſi Gymnaſio per annum magnâ auditorum frequentiâ docuit, idemque munus præſtitit adhuc tyro Aureliis, & Lutetiæ Pariſiorum, utrobique Civiles Inſtitutiones & Jus Pontificium profeſſus. Venit deinde Patavium Pancirolo teſte (3), atque hìc per triennium Franciſcum Curtium Juniorem, & eò defuncto, Jo. Antonium Rubeum ac Marianum Socinum audivit. An hìc ſtudiorum emenſus curriculum Doctoris nomen aſſumpſerit, non conſtat, nec de eo mentio ulla eſt in Diario Sanſoni, quamvis id ſignificare videatur Pancirolus, qui Coraſium, auditis Profeſſoribus Patavinis, ſtudia peregiſſe ſcribit, diſputandaſque centum Quæſtiones propoſuiſſe anno ætatis uno & vigeſimo æræ communis MDXXXV. Profeſſum deinde fuiſſe Jura Civilia Weſembecius tradit (4) in ſex præcipuis Galliæ, & Italiæ Gymnaſiis: id quod Scævola Sammarthanus videtur ex Weſembecio recipere (5); undè facili conſecutione colligi poſſit, etiam in Patavino gymnaſio Coraſium fuiſſe Doctorem: id quod nos in medio relinquimus, quibus nullum ſuppetit probationis momentum, quo huic ſententiæ ſubſcribamus. Quod certum eſt, doctrinæ receptis inſignibus, docuit primùm Toloſæ in patrio Gymnaſio, deinde Valentiæ Allobrogum, Ferrariæ denique ab Hercule II. ad veſpertinam Juris Exedram accerſitus. Inde in patriam regreſſus in Senatum, qua parte Juriſconſultis conſtat, adlectus eſt. Ferunt autem (6), cum ex more, qui viget in Galliâ, examen ad eam dignitatem neceſſarium ſubiret, eum obmutuiſſe, vel pauca, & ea perturbatè protuliſſe, ſed jam notum ex eruditione fuiſſe receptum. Poſt hæc ad aulam Navarræ Regiam evocatus (7) chartophylacis Regii, ſeu Cancellarii munus obtinuit. Eâque dignitate fretus, olim Calvinianus, clarius licentiùſque ad ſectæ tutelam cœpit calamum ſtringere. Hinc, interempto Pariſiis Collignio Archithalaſſo, poſt cædem Bartholomæanam cùm domum rediiſſet, audiſſetque etiam Toloſæ repentè tumultu exorto Hæreticos cædi, in ultimum ædium ſuarum conclave ſe recepit, ubi foribus effractis, à ſicariis immiſſis trucidatus eſt an. MDLXXII. Clarus eſt ex opere celeberri-

(1) lib. 2. Epiſt. Cathol. Epiſt. 6. (2) Freber. T. 2. P. 2. Sect. 4. p. 863.
(3) de Clar. Interp. lib. 2 c. 185. p. 299. (4) d. Orat. de laud. Coraſii.
(5) Elog. Gall. Doct. Illuſt. (6) Panciról. loc. cit.
(7) Abrah. Buccholtzer. in Indic. Chronolog.

mo, quod manibus Juriſconſultorum teritur, inſcribiturque *Miſcellanea Juris*. Alia ejus Opera recenſet Jo. Andreas Quenſtedius (1).

De Arte juris.
In Titulum Codicis de Impuber. & aliis ſubſtitut.
De Actionibus.

1572 CXXVI. LUDOVICI BECCATELLI vitam ſcripſit Seraphinus Dazzius in actis Epidaurienſium Antiſtitum, quæ ſervantur in bibliotheca PP. Prædicat. ad D. Marci Florentiæ. Locupletiùs eandem expoſuit Antonius Gygas Foroſempronienſis, inſcripſitque Artemiſio & Vincentio Ludovici nepotibus. Hanc habet vir cl. & eruditus Philippu Ricepurus Soc. Jeſu in collectaneis ad Opus egregium, quod utiliter ac labarioſè molitur ad illuſtrandam Illyricanam Eccleſiam. Inde viri hujus doctiſſimi notitiam ex inſtituto brevitatis, quam profitemur, collegimus. Nobili genere Bononiæ natus eſt an. MDI. patre Pomponio, Brudentia Mamellina matre. Ab adoleſcentiâ Juriſprudentiæ ſtudia ſecutus his operam dedit in patriâ ſexennio auditor aſſiduus Caroli Ruini. Jam ætate major ulterioris eruditionis gratiâ Patavium venit, atque ad annum uſque ſtudioſæ juventutis XXXIV. literis latinis & græcis ſe penitus imbuit, atque interim legum tyrocinio depoſito hìc lauream Doctoris obtinuit, ut & acta Collegii teſtantur, & ex his notat accuratè Sanſonus (2). Fuiſſe jam tum Beccatellum non contemnendi nominis in literaria republica ex eo conjicimus, quòd inter præcipuos familiares fuerit Gaſparis Contareni, cui comes aſſiduus in itineribus, & à Conſiliis, arcaniſque fuit etiam poſtquam Purpuram induit: quemque in eodem officio proſecutus eſt Legatum à Latere miſſum ad Ratisbonenſem conventum, mox etiam Legatum Bononiæ. Hoc ibi fatis erepto, vices geſſit Marcelli Cardinalis Cervini in Eccleſia Regienſi, eoque munere defunctus ex voto Antiſtitis tanti, tum Jo. Card. Moroni Bononienſis Legati ſecretis præfuit, tum ad mores efformandos Ranuccii Farneſii lectus à Paulo III. adoleſcentulum ad inſtitutiones Patavinas ab avo Pontifice miſſum deduxit, curavitque diligentiſſimè. Cum ad Purpuram Ranuccius Romam accitus eſt, Beccatellum Legatis Tridentinæ Synodi adjunxit Pontifex arcanorum Legationis participem (3); mox inde revocatum Ranuccio jam Cardinali, & Piceni Legato, quòd adoleſcens obeundo graviſſimo muneri eſſet impar, adminiſtratorem præcipuum, ſupremumque Provinciæ Præſidem dedit, cui quoque Ravellenſes infulas contulit: quas tamen ille reipſa non iniit, quippe mortuo Paulo, à Ranuccio detentus, donec à Julio III. ſtatim poſt initum Pontificatum Nuncius ad Rempublicam Venetam delegatus eſt, tantâ apud Venetos gratia, ut hi flagitaverint, obtinuerintque optimè merito Præſuli ad quinquennium demandatum munus honorificè protogari; eo quinquennio tranſacto Vicaria poteſtate præfuit Sacris Romanis, undè Cardinali Morono Legato additus comes in Germaniam iterum venit & comitiis Auguſtanis interfuit. Inde reducem Paulus IV. Epidaurienſibus ſacris Archiepiſcopum in Dalmaria præfecit, ut ſucceſſoris induſtria ſopirentur acerrimæ lites, quas cum Epidaurienſi Republica deceſſor ejus agitabat Cardinalis Mediceus. Is ad ſolium Petri provectus jam Pius IV. ſucceſſorem ſuum Beccatellum Tridentum ad Synodum miſit; nec tamen in eo diu morari paſſus eſt, ſed precibus Magni Ducis Etruriæ ad formandos Friderici Thuſci Principis mores èvocavit Florentiam anno MDLXIII. ſpe injecta Archiepiſcopatus Piſani, qua ductus abdicavit ſe Epidaurienſibus infulis. Verùm cùm ſpes hujuſmodi poſt biennium evanuiſſet, optimus ſenex Sacerdotio pingui Pratenſis in Etruria Eccleſiæ contentus fuit, ibique ſeptuagenario major deceſſit, ſepultuſque eſt cum prolixo ſatis elogio, quod ejus exuviis impoſuit, qui hæc ipſa ſcribit Antonius Gygas. Ibi dies ejus emortualis ſignatur XII. Kal. Novembris MDLXXII.

Scripta ejus latina.

Epiſtolarum liber.
De Vetuſtate Familiæ Beccatellæ ad Hieronymum Beccatellum Siculum Epiſcopum Syracuſanum, libellus editus, præfixuſque ſuppoſito nomine Epiſtolis Antonii Panormitæ.
Annotationum ad libros Poſteriorum Ariſtotelis libellus.
Gloſſa in libros Ethicorum Ariſtotelis.
Diſſertatio in librum de Anima.
Comment. in Epiſt. ad Romanos, & in Actus Apoſtolorum.

Italica.

Epiſtolæ plurimæ ſuo, & aliorum nomine conſcriptæ.
Volumen elegantiſſimorum Carminum, ſtylo Petrarchæ ludentium in argumentis moralibus, vel piis.
De ratione cognoſcendi ſe ipſum Tractatus ad Cardinalem Mediceum.
Hiſtoria Æthiopum à Franciſco Alvaro detectorum libri III.
Hiſtorica Epitome rerum geſtarum à Carolo Magno

(1) Dial. de Patriis Vir. Doct. (2) in Diar. ad an. 1535. (3) Pallavic. Hiſtor. Concil. Trid. lib. 5. c. 17. n. 9.

Magno ad an. 1560.
Vita Gaſparis Contareni.
Reginaldi Poli.
Petri Bembi extat in editione hiſtoricor. Venetor. (1)

Vita Franciſci Petrarchę, & ejuſdem ratio ſtudiorum actorumque. Edita eſt à Tomaſino in Petrarcha Redivivo (2), *ex Codice Vaticano per Leonem Allatium tranſmiſſa* (3).

C A P U T XXIII.

Otho Cardinalis Truchſes. Ioannes Aldobrandinus Cardinalis: Michael Hoſpitalius.

CXXVII. OTHONEM TRUXESIUM ſeu *Truchſes* Cardinalem annumerandum eſſe Alumnis gymnaſii noſtri, ut cætera deſint, ſileantque matriculæ Germanorum, tabularium Prætorium, acta S. Collegii, probant notata per Melchiorem Adamum (4), ex quo ſua habet Freherus (5). Horum teſtimonio Viglii Juriſprudentiam profitentis Patavii Otho diſcipulus dicitur, condiſcipulus verò Chriſtophori Madrucii Cardinalis, quem inferiùs ſalutabimus. Gente Germanus, domo Auguſtanus, nobiliſſimo utrinque ſanguine paterno è Baronibus de Waltburg, materno è Comitibus Fuſtembergieis ortus, à puero Germanicis academiis innutritus, adoleſcens Italas pervagatus eſt, Papienſem obiter, Bononienſem diutius (6), ubi Hugonem Boncompagnum poſtea Gregorium XIII. audivit, Patavinam denique, in qua hæſit per annos multos Viglii, Zuvichemi diſcipulus, eoque Doctore ad præmia ſtudiorum ſuorum evaſit (7). In Germaniam reverſus Auguſtani Canonici titulum atque unà Tridentini Decani dignitatem geſſit, Romamque profectus, & inter honoratios à cubiculo Miniſtros adlectus à Paulo III. Internuncius mittitur ad conventum Norimbergenſem: quo munere dum fungitur, communi omnium ſuffragio ad ſedem Auguſtanam Antiſtes evehitur an. MDXLIII., proximè verò ſequenti abſens à Paulo III. in collegium Purpuratorum cooptatur, Presbyter Cardinalis S. Balbinæ. Adſumptis excelſæ dignitatis inſignibus, cùm intereſſe Synodo Tridentinæ non poſſet, quòd majoribus pro religione orthodoxâ negotiis diſtineretur apud Suevos, & Bojos, ſimul in Cæſariano adversùs Lutheranos exercitu Quæſtoribus ab Imperatore præfectus, ſimul intentus domi Synodo Diœceſanæ, quam ad revocandos Eccleſiaſticos à laxiore ad ſaniorem vitæ morumque diſciplinam habuit an. MDXLVIII., Claudium Jajum unum è primis Societ. Jeſu patribus Tridentum dimiſit, vices acturum ſuas, quem etiam deinceps quaſi Apoſtolum Eccleſiæ ſuæ ſummoperè veneratus eſt, atque ex ejus virtutibus, doctrinâ, & ardore incorruptæ religionis, in eum erga ordinem ejuſdem Societatis amorem exarſit, quo nullus per eam ætatem majore viſus eſt exarſiſſe. Erecta ab eo Societati collegia, beneficia collata, impenſam amantiſſimè munificentiam, interpoſitumque ubique conſtans, efficax, ſtudioſum patrocinium, aliaque maxima collegit ex hiſtoriis ejuſdem Societatis Oldoinus (8): ex illo qui plura ad idipſum volet, accipiat, cetera quoque, quibus tanti Cardinalis pietas, fides, morum caſtitas, & multiplex pro bono publico, & animarum ſalute ſtudium perennabit; conficiatque, Othonem Cardinalem Truchesſium ſæculo XVI. annumerandum heroibus maximis, qui pro Eccleſiâ inter fluctus ab hæreſi excitatos periclitante fortiſſimè militarunt. His porro meritorum gradibus ad ſummas in Germaniâ dignitates aſcendit; Præpoſitus S. Viti ad Elvangen, Herbipolitanæ Adminiſtrator Eccleſiæ, ſummus apud Sicambros Quæſtor Imperii, ejuſdemque patronus Romæ. Quâ in urbe poſt peractam Synodum Tridentinam, cujus interfuit ultimæ ſeſſioni, Prænestinus Epiſcopus, & S. collegii ſplendidiſſimum ſidus, è vivis nondum planè ſenex exceſſit an. MDLXXIII. IV. Nonas Auguſti. Compoſitus tumulo temporario ad S. Mariæ ab Anima, deinde Dilingam tranſlatus eſt, condituſque in templo Academiæ ab ipſo erectæ, dotatæque, ac fidei Societatis Jeſu concreditæ. 1573

CXXVIII. SILVESTER ALDOBRANDINUS patricius Florentinus (9), cujus extat in Civiles Inſtitutiones Commentarius Juriſperitis notiſſimus, vir doctus, & legum ſcientiſſimus, ac Xviralis Magiſtratus in patria à ſecretis, cum Florentinorum Reſpublica multata libertate Mediceorum jugum ſubiit ſub Alexandro Principe, amiſſis bonis 1573

(1) Tom. 2. in Præf. à p. 32. (2) à p. 213. (3) Tomaſ. in Redivivo c. 8. p. 96. (4) Vit. Juriſconſultorum German. in Viglio. (5) Tom. 2. P. 2. Sect. 4 p. 877. 2. (6) Vide Ugh. It. Tom. 1. p. 239. n. 33. (7) Sanſon. in Diario ad An. 1534. (8) Tom. 3. ad Ciaccon. p. 995. 996. (9) Vid. Pancir. de Clar. Interp. lib. 2. c. 192. p. 307. 308.

omnibus exul extra patriam vixit; ad quam etiam oblata per Coſmum I. plenâ reſtitutione in integrum redire noluit, ſeque in exilio doctrinâ, virtute, ac laboribus commodè ſuſtentavit. Aſſeſſor Urbinatis Ducis primùm deinde in eodem munere judex apud Hippolytum Aeſtinum Archiepiſcopum Ravennatem, ac denique S. Conſiſtorii ac Fiſci advocatus occubuit nondum ſexagenarius Romæ an. MDLVIII. Ex Eliſabeta Deta filiam unam, filios habuit ſeptem, quorum duo ſpectant ad Patavinum gymnaſium Joannes, & Hippolytus Cardinales, de quorum altero hic, de altero, quem dignitas major exemit à Purpura, inferius. Joannes itaque Aldobrandinus Silveſtri filius frater Hippolyti, quem Clementem VIII. orbis Chriſtianus adoravit Pontificem maximum, unà cum fratre, exulante patre, Venetiis primùm, mox Ferrariæ, demum Patavii, tum bonis artibus, tum præſertim Juriſprudentiæ ſtrenuum laborem impendit. Studuiſſe illum in lycæo noſtro, conſtat ex tabulario Quæſtorio (1), cui adſtipulatur Pancirolus (2). Depoſito hic tyrocinio (3) legum Doctor ad Sacram rempublicam, cui pater militabat, gerendam acceſſit, diuque in aula verſatus, fuit iſti adhuc vivo ſucceſſor datus à Julio III. ac ſacri Conſiſtorii cauſas egit ſummâ cum laude ab anno MDLIV. Biennio poſt, Paulo IV. ſedente, Rotæ Romanæ Judex Eccleſiaſticarumque cauſarum auditor, cùm in eo ſupremo curiæ tribunali diu inſtar oraculi ſediſſet, ſummamque ſibi ex integritate ac doctrinâ virtutis gloriam conciliaſſet à Pio V. Forocornelienſis Epiſcopus renunciatus eſt. Adminiſtravit illam eccleſiam, piè, ſanctè, laborioſè, tantâque in procurandâ ſubjectorum ſalute cum curâ, ut verbo & exemplo formator morum ovibus ſuis eſſe cenſeretur, audiretque paſſim non paſtor concrediti gregis, ſed Angelus. Ea virtutum eximiarum famâ provocatus idem ſanctiſſimus Pontifex, ut eum Eccleſiæ totius uſui propius admoveret, ad Purpuram rapuit, Presbyterumque Cardinalem nuncupavit S. Suſannæ, S. Simeonis deinde: mox Legatum à Latere ad ſanciendum fœdus adversùs Turcas inter Hiſpanos ac Venetos dixit. Eo magiſtratu defunctus Pœnitentiarius major abdicanti ſe S. Carolo Borromæo ſucceſſor datus, ſimul ſignandis Apoſtolicis brevibus Epiſtolis præfectus eſt, Jamque ad majora opinione doctrinæ, prudentiæ, ac probitatis eximiæ urgebatur, cum eum nondum planè ſenem mors pluribus addidit, Deceſſit Romæ in Quirinali VII. Nonas Septembris anno MDLXXIII. Cadaver conditum in templo Deiparæ ſupra Minervam tegitur Aldobrandinorum ſepulcro, ſignaturque brevi, ſed peculiari epigraphe, quam dabit Oldoinus (4), ex quo & Ughello (5) hæc pauca collegimus. Extant Deciſiones ejus non paucæ in antiquis collectionibus, & liber ſingularis *de Jure Fiſci, & Cauſis Fiſcalibus*.

1573 CXXIX. Auget gymnaſii noſtri decus nomen ſæculo XVI. notiſſimum MICHAELIS HOSPITALII magni Galliæ Scribæ ſeu Cancellarii. Teſte Scævola Sammarthano (6), ex quo ſua profert Freherus (7), liberaliter inſtitutus eſt, non in Gallia tantùm, verùm etiam in Italia; nec dubium quin non ſolum Bononiæ, quod Mezeræus notae (8), ſed etiam Ferrariæ, ac diutiùs Patavii bonis artibus operam dederit, ac præſertim Juriſprudentiæ; nam illud quidem Petrus Strozzius innuit in epiſtolâ ad eum ſcriptâ (9), hoc autem fatetur ipſe in carmine de Gymnaſiis Italicis, quod leges apud Maſtajum (10), confirmaturque tum ex albis Provincialium Conſiliariorum Patavii, tum ex inſcriptionibus à Salomonio collectis, in quibus bis an. MDXXIII. & ſequenti legitur à conſiliis ejus Nationis Michael Hoſpitalius Arvernus. Natus eſt enim in Arvernia patre quidem Medico Caroli Borbonii, ac ſi credendum Frehero (11), quem recipit Teiſſerus (12) avo Judæo Avenionenſi. Patre Borbonium exulem in Italiam ſecuto Michaelem furtim eòdem aſportarunt mulieres. Eum doceri pater in Italia curavit, imbuique ſeverioribus diſciplinis, nam politiores Toloſæ didicit; habuitque in Italia præceptorem Græcum, qui adoleſcentem ad Organum Ariſtotelis plena manu duxit: nec ſcio, an præceptorem hujuſmodi Thomam Diplovatacium fuiſſe conjicere liceat, quo magiſtro Tranſalpini Juvenes multi in Græco ſermone perdiſcendo admodum profecere, Quo in loco legum inſignibus ornatus fuerit, certò dicere nefas eſt; apud Sanſonum ejus mentio nulla eſt, ac fortaſſis Bononiâ Doctor prodierit: inde enim Cardinalem Grammontium proficiſcentem ſecutus Romam venit, ejuſque patrocinio uſus in curiam Romanam irrepſit, in qua non judex Rotæ, quod ſomnium ex Mezeræo Teiſſeri eſt (13), ſed præfectus fuit ſupplicum libellorum (14), qui cœtibus Cardinalium offeruntur, referunturve, Revocatus deinde in Galliam, cauſidicum in

ad caſteris

(1) apud Salom. in Collect. ad Inſcrip. Gym. (2) ibid. (3) Sanſon. Diar. An. 1554. (4) Tom. 3. p. 1054. 2:55. (5) Tom. 2. p. 645 n. 53. (6) in Elogiis. (7) T. 2. P. 2. Sect. 4. p. 865. (8) hiſt. Gall lib. 2. (9) Epiſt. 4. lib. 1. (10) lib. 2. c. 8. de Gym. Italiæ. (11) Vit. Vir. Illuſtr. (12) Additio. ad Elog. Thuani T. 1. p. 396. (13) ibid. (14) Jo. Jacob. Boiſſardus Vit Vir. Doct.

dicaſteriis forenſibus egit, & in ordinem Regiorum Conſiliariorum cooptatus, inde ad majora tribunalia, celeri honorum curſu, pervenit. Pangebat enim verſus elegantiſſimos, quibus cum Senatorum, tum Principum benevolentiam ſibi conciliavit feliciter adeo, ut ad dignitates eximias viam ſibi planam ac facilem aperuerit. Nam carmine ad Margaritam, Regis Henrici Sororem, ita Principem illam flexit, ut illum præ reliquis deſignaverit, qui, poſt obitum ejuſdem Henrici, paranymphum ageret nuptiarum ſuarum cum Emmanuele Filiberto Sabaudiæ Duce, eamque ad ſponſum deduceret. Initia quoque ſacra Franciſci II. Galliæ Regis celebravit carminibus opportunè propoſitis, quibus regem docuit, rationem regni juſtè ac prudenter adminiſtrandi: undè illi togatæ dignitatis faſtigium. Etenim, mortuo Franciſco Olivario magno Franciæ Cancellario, cùm quæſitum ab adoleſcente Rege fuiſſet, quem ſuis privatis conſiliis dignum exiſtimaret, atque adeo magnum Galliæ Cancellarium ediceret, reſpondit, non alium ab eo, qui ſuæ inaugurationis initio ipſum rationem docuerat, Regni prudenter & ſanctè procurandi. Tam grave Regis adoleſcentuli reſponſum illi dictatum creditur à matre Catharinâ, quæ jam pridem gubernaculis Galliarum tuendis Hoſpitalium deſtinaverat. Evocatus eſt Nicæa, ubi pro Sabaudo præerat, illique tanti muneris honor & onus impoſitum, quod ab eo geſtum diverſiſſimis partium, quæ tunc Gallias diſcerpebant, judiciis obnoxium eſt. Ea expendere noſtri non ſit operis aut propoſiti. Sat fuerit legiſſe quæ Thuanus (1), Beza (2), Mezeræus (3), Paſcherius (4), Galli Scriptores, quos vocat ad claſſicum Teiſſerus (5), percurrere: hocque unum dictum ſuperetit, Hoſpitalium virum fuiſſe doctiſſimum, inſignis prudentiæ, gravitatis, honeſtatiſque moralis egregiæ, qui difficillimis temporibus ita rebus publicis conſuluit, ut à violentis conſiliis abhorruerit, & mitiora ſemper ſecutus ſit. Fuit attamen hæreſis occultæ ſuſpectus, qui nimirum pluſquam ſatis Calvinianis faveret, atque externâ fide ſe orthodoxum exhiberet aulæ, ſecretò ea dogmata probaret, quæ tota ejus familia palam amplexa eſt. Hinc illi, tum Regina, tum Principes, qui Catholicam religionem tutabantur, adverſari: feruntque, eum à Carolo Lotharingo Cardinali in medio Principum ac Senatûs conſeſſu colapho fuiſſe petitum. Quâ injuriâ acceptâ, ſive ſponte ſua, ſive dimiſſus à Regiâ in prædia ſua, aulâ relictâ, divertit; ac ſe illis fluctibus, quibus reſpublica concutiebatur, concuſſaque eſt deinceps diu, ſubduxit. In eo ſeceſſu non ſatis conſtat, utrum quietem invenerit; nam hoc aſſerit Bullartus (6) & alii; alii vixiſſe ſcribunt ſemper ſollicitum ac trepidantem ex imminenti periculo: adduntque, penè non in ſubito tumultu interfectum, vixque armis generi ſui à præſenti nece defenſum. Obiit an. MDLXXIII. ætatis LXIX., ſepultuſque eſt in templo Chamontæi oppidi, Vignæo caſtello, quod prædium ejus fuit, & exilii locus, finitimi. Sepulcro ejus inſcriptum eſt hoc triſtichon, ſuperbum ſanè atque hyperbolicum.

Hìc cineres Michaelis habes: hìc conditur ille
Gallus Ariſtides, noſtri Cato temporis alter:
Quique Sophis ſeptem numero ſuperadditur unus.

Ferunt fuiſſe ſpecie auguſtâ, vultu gravi, & tranquillo, qui, ut ex antiquo numiſmate quidam deprehendere, faciem Ariſtotelis planè referret. Multa ille ſcripſit in jure immortalitate digniſſima, teſte Thuano (7), quæ tamen, ut hic ſperavit, lucem Reipublicæ bono non viderunt, & adhuc in tenebris deliteſcunt. Carmina ejus in libros VI. Epiſtolarum, vel ſermonum poſt ejus obitum edita ſunt; de quibus ſic cenſet Scævola Sammarthanus (8): in his, inquit, Horatium præcipuè imitatus eſt, ita tamen, ut verborum nitore, & ſententiarum gravitate illum æquarit, carminis verò lenitate ſuperaverit. Quod judicium an ex unâ ſit cenſura Galliæ, quæ certè ſuorum non minùs, quam olim Græcia, miratrix eſt, dicent Critici.

(1) Hiſt. lib. 24. & in Elog. (2) In Iconibus. (3) Hiſt. lib. 2. (4) lib. 6. Epiſt. Ep. ad Buſſium fratr. (5) loc. cit. (6) in Academ. Scient. & Artium. (7) loc. cit. (8) Elog. in Hoſpitalio.

CAPUT XXIV.

Joannes Franciſcus Commendonus Cardinalis. Marcus Lauretano. Chriſtophorus Madruccius Card.

1574 CXXX. JO. FRANCISCUM COMMENDONUM neque Venetum fuiſſe, neque Venetus natum, ut ſcribit Oldoinus (1), Gerardus à Stocnen (2), & alii, quos ſequitur Freherus (3), ſed natum in claro agri Patavini Oppido, quod Montem Silicem appellant, ejuſque civem habendum eſſe, certiſſimum eſt, cum ex pluribus monumentis & Gymnaſii, & urbis Patavinæ, tum ſanè maximè ex ipſo diplomate Doctoratus, quod prototypon, & autographum habeo, quòque civis Montis Silicis palam aſſeritur. Liberalibus diſciplinis Patavii à puero excultus, non Poetas tantùm & Oratores ſectatus eſt, quod perhibent Orationes ejus & carmina latinè & Italicè conſcripta, ſed imbutus exornatuſque locupletiſſimè gravioribus diſciplinis, ac præſertim Juriſprudentiâ, ex hac Doctoris laurum decerpſit. Romam profectus, conſcriptis Epigrammatibus quibuſdam de Villa dudum à Julio III. via Flaminiâ extructâ inſtructaque magnificè, ita Pontificem Julium ſibi devinxit, ut inter familiares adſcitum, & admiſſum ad ſanctiora conſilia Dandino Cardinali, ad Cæſarem Legato miniſtrum à libellis adjunxerit, miſeritque deinde Nuncium ad Mariam Britanniæ Reginam, cujus cùm Oratores, profeſſuros publicum ſummo Principi Sacrorum obſequium Romam adduxiſſet, Adrienſes inſulas meruit. A Paulo IV. ad Zacynthiam & Cephalenam in Græcia Eccleſiam provectus, hoc titulo in hiſtoria maximè claret (4) ob multiplicem legationum ſeriem, & difficillimorum negotiorum adminiſtrationem, quas gnaviter, prudenter, ac feliciter obiit, apud Venetos ſub eodem Paulo, ſub Pio IV. apud Cæſarem Ferdinandum, alioſque Principes in Germania, quam prope dixerim totam præco reſtitutæ Tridentum Synodi peragravit. Inde in ipſam Synodum ſe recepit, undè non diu poſt Legatus Concilii iterum Romanorum Reges ex itinere ſalutavit. Revocatus Romam iterum Legatus ejuſdem Pontificis in Sarmatiam ad Sigiſmundum Regem dimittitur, quo in munere Hoſio Cardinali Societati Jeſu Collegia deſtinanti favit apud Regem, ejuſque animum calumniis hæreticorum infectum, & erga viros innoxios difficilem ita delinivit ac flexit, ut his non aditum ſolùm in Poloniam conceſſerit, verùm etiam gymnaſium Vilnenſe commiſerit. Hæc agentem, abſentemque Pius idem Presbyterum Cardinalem S. Cyriaci in Thermis renunciavit, recepitque Inſignia dignitatis ab Hoſio Cardinali Cracoviæ, jam non minor Legatus, ſed à Latere per totam Poloniam, in qua diu munus hoc utiliter geſſit etiam ſub Pio V. à quo ire juſſus ad Cæſarea comitia Auguſtæ Vindelicorum habita, ut minas atroces interponeret, ne quid adversùs Synodi Tridentinæ decreta, aliaque, quæ vetabantur, injuſſu Pontificis ſanciretur, ita rem tractavit prudentiſſimus Cardinalis, ut minas conſultò prorsùs omitteret, ne animi recrudeſcerent: id quod Pontifex, re pacatiùs conſiderata, probavit, laudavitque. Poſt hæc redux in Italiam, iterum juſſus remeat in Germaniam, undè reversùs tertiò eòdem, & in Poloniam Legatus mittitur, &, defuncto Sigiſmundo, Polonis auctor eſt, ut Henricum Valeſium Regem velint; functuſque aliis Legationibus adversùs Turcas, vix tempus quietis tota vitâ certamque otii ſedem invenit: fato quodam ad agendum perpetuò deſtinatus, ut non niſi in morte quieſceret. Hanc ut ſanctè ſuique compos obiret in pace, atque otio liberali, Romam regreſſus anno MDLXXIII. ſub Gregorio XIII. Patavium ſeceſſit, atque hic laborioſam in ſummis honoribus mortalitatem depoſuit an. MDLXXXIV. ætatis LXII. non integro: quamobrem natus ſit an. MDXII. non autem an. MDXXIII. ut habet Oldoinus (5). Jacet in templo Capuccinorum in ſacello Deiparæ Virginis; ibi tabula ejus effigiem oſtentat; humi titulus hic eſt (6).

Jo. Franciſco Commendono tit. S. Marci S. R. E. Cardinali.
Ant. Caucus Patricius Venetus avunculo
B. M. M. P. Vixit Annos LXI. Menſ. IX D. VIII.
Obiit VII. Kal. Ianuarii MDLXXIV.

Vitam

(1) ad Ciaccon. T.3.p.967. (2) in Thuano enucleato. (3) Tom.1.P.1.Sect.2.p.50. (4) Pallavic. in hiſt. Concil. Trident. (5) T.3. ad Ciacc. p.968. (6) Salom. Inſcr. Pat. p.446.n.3.

Vitam ejus elegantiſſimè deſcripſit libris quatuor Antonius Maria Gratianus, & alii tanti nominis Cardinalem ſummis laudibus extulere, quos apud eundem Oldoinum (1) videndos omittimus. Scripſit Orationes multas, multa Poemata, & Curiæ Romanæ notitiam, curioſitati placituram.

CXXXI. MARCUS LAURETANO patricius Venetus, Senator moribus & doctrina 1577
clariſſimus è noſtro gymnaſio prodiit Decretorum Doctor (2), mox etiam Magiſter Theologiæ (3). Militiam Sacram ſecutus ſenatoriam togam Chriſto dicavit, totumque ſe piis operibus dedidit, fuitque grande atque conſpicuum virtutis exemplar Veneto Clero. Ex Epiſcopo (4), ſeu potius Adminiſtratore Nonenſis Eccleſię Jadrenſis Archiepiſcopus renunciatus eſt an. MDLXXIII. Sedit annos quatuor. Deceſſit an. MDLXXVII. Scripſit eruditiſſimum librum *de Vera Felicitate*.

CXXXII. CHRISTOPHORUM Cardinalem MADRUCCIUM Gaudentii Principis fi-
lium, Tridenti natum, Patavii humaniores literas, Philoſophiam, ac partem Theologi- 1578
corum theorematum didiciſſe, certiſſimum eſt, tum ex albis Tridentinorum (5), & monumentis quęſtoriis, tum ex eo maximè, quod Viglii Zuichemi diſcipulus fuerit (6), atque hic Inſtitutiones Cæſareas excepit. An etiam inſignia Juriſprudentię conſecutus ſit, ignoramus, nam ſtuduit etiam Bononię, ut vera ſint, quę de illo narrat Oldoinus (7). Tridentum redux primò Canonicus ejus Eccleſię, mox Decanus, demum Antiſtes fuit in ipſo adoleſcentię flore, habuitque adjectas Tridentinis Infulis Brixinenſes. Utraſque geſſit egregiè, ac munere ſuo tanta cum laude defunctus eſt per annos circiter duodecim, ut eum jam inter Pręſules clarum Paulus III. annos agentem ętatis duos & triginta in Collegium Purpuratorum Patrum cooptaverit V. Nonas Julii an. MDXLIV. Interfuit anno ſequenti primę ſeſſioni Synodi Tridentinę, ac deinceps aliis toto anno MDXLVI., quo illum inter & Pręſidem Concilii Principem Cardinalem à Monte, poſtea Julium III., jurgium ac verba ſatis acerba, de quibus Pallavicinus, interceſſere. Miſſus deinde à Carolo Cęſare Romam, ad bellum adversùs hęreticos gerendum opes ac ſuppetias obtinuit; comitatuſque in Hiſpaniam Maximilianum Caroli ex fratre nepotem, juveni functuro ibi Vicaria Cęſaris poteſtate admodum conſilio profuit, uxorem verò ducturi Mariam patruelem ſponſalia nomine Cęſaris confirmavit. Inde in Italiam reverſus apud Inſubres multa pręclarè egit, recuperata Mediolanenſi arce, pacatis atrocibus odiis inter fratres Pallavicinos, ac mœniis & propugnaculis validiſſimis Cremonâ cincta. Interfuit iterum Synodo Tridentinę ſub Julio III. tanti habitus ab ipſis Pręſidibus Synodi, ut epiſtolas prolixè de laudibus ejus ad Pontificem Max. dederint, eumque omnium virtutum ornamentis inſtructiſſimum prędicaverint. Hinc & Pontificiis & Cęſarianis ęquè venerabilis, & Senas ſub Marcello II. à Militum inſolentia pręſens abſterruit, & Placentiam regio nomine Farneſiis reſtituit. Sedit in conventu Auguſtę Vindelicorum, & auſpiciis Maximiliani in Imperatorem electi non minimum auctoritatis impendit, cui etiam adfuit Romæ medius inter ipſum atque Pontificem in controverſiâ de præſtando ſolemni juramento. Gratiſſimus fuit omnibus Pontificibus, à quibus in Picenum Legatus à Latere miſſus, Provinciam beneficiis, officiiſque propemodum ſibi vectigalem fecit. Societatem Jeſu dilexit unicè, quam fovit ſedulò, cui favit impensè, quam uſque ad invidiam ſummis laudibus extollebat. Ejus multas & varias, ſed omnes Principe dignas virtutes latè proſecutus eſt Joſeph Malateſta funebri oratione, quam legimus, ex qua ſua habet Oldoinus (8). Tibure, quò aeris mutandi causâ commeaverat, hoſpes Aloyſii Card. Ateſtini, obiit Pridie Nonas Julii anno MDLXXVIII. ætat. LXVI.

C A P U T XXV.

Thomas Becellus. Joannes Moronus Card. Jodocus Damboudertus.
Daniel ab Homburg Elector. Zacharias Delphinus Card.
Sebaſtianus Ericius. Alexander Riarius Cardinalis.

CXXXIII. THOMAS BECELLUS Eques, antiqua & illuſtri familiâ Veronæ na- 1579
tus, humanioribus literis imbutus in patriâ Patavium venit (9), proſecutuſ-

(1) ibid. p. 969. (2) Sanſon. Diar. An: 1584. (3) Collect. Salom. ad Inſcrip. Gym. (4) Ughell. T. 5. p. 1427. B. 1. (5) Collect. Salom. ad Inſcrip. Gymn. (6) Melch. Adam. Vit. Juriſconſultorum in Viglio. Freher. T. 2. P. 2. Sect. 4. p. 877. 1. (7) Ad Ciaccon. T. 3. p. 686. (8) ibid. p. 687. (9) Pona Elog. Sect. 3. Jul. à Puteo Elog. p. 189. 190.

ſecutuſque in gymnaſio eadem ſtudia, mira eruditi laboris ſelicitate ita Græcis latiniſque Muſis egregium pectus implevit, ut cum utrâque linguâ peritiſſimè loqui, & eleganter ſcribere didiciſſet, unà juris utriuſque penitus arcana ſcrutatus ſit. Acceptâ laureâ Juriſconſultorum, domum regreſſus in Societatem collegii Veronenſis adlectus patronum ſe cauſarum criminalium præſtitit; tanti cum Veronæ, tum apud exteras nationes hac ex parte Juriſprudentiæ habitus, ut ejus tanquam oraculi reſponſis peregrè petitis judices uterentur. Horridum truculenti muneris officium blandis Muſarum deliciis mitigabat; eratque Poetarum priſcorum quidem ſtudioſiſſimus, recentiorum verò amiciſſimus. Nam Pindari, & Lucretii verſus in ore ſemper habebat, & familiariſſimè verſabatur cum Alberto Lavezola, & Hieronymo Fracaſtorio. Extant ejus in Jure conſilia multa pro reis, & contra reos; at notior eſt literatorum reipublicæ ex carmine Heroico, quod Benacum inſcripſit, opuſculum elegans, ingenioſum, acutum, tantæque cùm primùm in lucem prodiit gloriæ, ut non defuerint, qui è penu illud Fracaſtorii depromptum exiſtimarint. Deceſſit Veronæ urbanis dignitatibus, & muneribus honeſtiſſimis patriæ memorabilis an. MDLXXIX., ut leges in ejus elogio, tum apud Franciſcum Ponam, tum apud Julium à Puteo.

1589 CXXXIV. JOANNES MORONUS Cardinalis nobili Comitum familia Mediolani genitus eſt. Fatetur ipſe in epiſtola ad Reginaldum Polum degentem Patavii, ſe hìc juris utriuſque tyrocinium poſuiſſe. Idipſum confirmat Oldoinus (1), quo teſte legibus hic addiſcendis intentus, ita in illis profecit, ut inter primos Gymnaſii noſtri Juriſconſultos fuerit citiſſimè connumeratus. An hìc itidem laurum Doctoris meruerit, non auſim aſſerere, cum id nuſquam probare poſſim. Profectus Romam carus Clementi VII. fuit, à quo juvenis admodum Eccleſiæ Mutinenſi præfectus eſt anno ætatis XX. æræ Chriſtianæ MDXXIX. Sedit in ea diu: quo tempore Paſtoralis ſollicitudinis & vigilantiæ ſingularia præbuit exempla, Synodis habitis, & Clero ac populo à vitiis redempto. Illud etiam inter ejus geſta præclariſſimum numeratur, quòd Societatem Jeſu Mutinam primus invexit, eoque egregio facinore perfunctus abdicavit ſe Magiſtratu, atque Romam evocatus à Paulo III. ad Bohemicas, Pannoniaſque legationes dimiſſus eſt: ibi rebus optimè geſtis, tantum ſibi gratiæ paravit apud Pontificem, ut Patrum Purpuratorum Senatui adſcribi meruerit. Inde Legatus Bononienſis, Romæ autem patronus datus eſt collegio Germanico, cujus propè auctor dici poteſt poſt Ignatium Societatis Jeſu ſanctiſſimum patrem. Bis Legatus Pontificum in Synodo Tridentinâ ſedit, præſeditque ſanctiſſimè, & tamen ſub Paulo IV. penè non capitis & famæ periculum ſubiit. Nam cùm rigidam illam Sacræ Inquiſitionis, quam ſibi Paulus ſpeciem propoſuerat, effectamque dabat, non admodum probaret, deque ea clam palàm interdum muſſitaret, tanquam non orthodoxæ fidei ſuſpectus, reſcripto Pontificis in Adrianeâ arce incluſus eſt; fuitque ibi tantorum meritorum Præſul, donec Pontifex vixit. Eo è vivis erepto, cùm Moronus coram datis judicibus objectum crimen ritè ac evidentiſſimè diluiſſet, apud omnes ex innocentia triumphavit; Sub Pio IV. & V. & Gregorio XIII. quorum crebras legationes obiit feliciſſimè ad Cæſarem in Germania, in Italia ad Genuenſes, auctuſque adminiſtratione Novarienſis Eccleſiæ, aliiſque, tum muneribus graviſſimis, tum opulentiſſimis Sacerdotiis, Epiſcopus Oſtienſis, & Cardinalium Decanus, felici apud omnes & integrâ famâ ſeptuagenario major occubuit Romæ an. MDLXXX. ſepultus ad Virginis Deiparæ ſupra Minervam. Scripſiſſe fertur multa. Nos ejus luculentiſſimam Orationem legimus habitam in Synodo Tridentinâ, & Epiſtolas varias ad eruditiſſimos XVI. ſæculo viros conſcriptas ru, ſi plura petis, undè hæc pauca deſumpſimus, notos Scriptores lege Ughellum (2) & Oldoinum (3).

1581 CXXXV. Penè nos non effugerat JODOCUS DAMHOUDERIUS, de quo Melchior Adamus agens (4), ubi is fuerit inſtitutus, non ſcribit. Eum ad noſtrum Gymnaſium pertinere nos docent inſcriptiones illius priſcæ (5), in quibus an. MDXXXIII. legimus, Jodocus Damhouder Bergenſis. Quid quod an. MDXXX. lauro Juriſprudentiæ coronatur in hoc noſtro Juriſconſultorum collegio (6). Hinc igitur Doctor prodierit, hìc vixerit vir ſapientiſſimus, atque hinc redux in patriam, gnarus Theoreſim juris umbratilem eſſe, ni praxi ſerviat, in hac maximè laboravit, atque ex hac præſertim inclaruit libris editis, quorum famâ Carolus V. Cæſar impulſus, Scriptorem de foro, & forenſibus tricis, atque judiciis optimè meritum intimis conſiliis & ſcriniis ſuis admovit, & Equeſtri ordine, ac præmiis peramplis decoravit. Nec minorem gratiam,

(1) Tom.3.p.650. (2) Tom.2 p.136.n.65. (3) ibid.p.68.683. (4) Vit.Juriſconſultorum in Jodoc.
(5) in Collect. ad Inſcript. Gymn. (6) Diar. Sanſon. an. 1530.

tiam, beneficentiamve apud Philippum II. expertus eſt, qui eum regio fiſco præfecit in Belgio, & Flandrico litori cum ſummâ poteſtate præpoſuit. Has dignitates geſſit per annos ferme XXX. ſummus Juſtitiæ cultor, & acer ſcelerum vindex. Devexâ jam in ſenium ætate ad ſtudia ſacra deflexit, pluſque libellos in otio religioſo conſcripſit. Mortuus eſt quarto & ſeptuageſimo vitæ anno; XI. Kal. Februarii an. MDLXXXI. ut notat ejus epitaphium, ex quo hæc pauca decerpſimus, lecto apud Freherum (1). Edidit.

Enchiridion Rerum Criminalium, vulgò Practicam.
Praxim Rerum Civilium.
Paræneſes Chriſtianas.
Pupillorum Patrocinium.
Declamatio Panegyrica in laudem Hiſpanorum Negotiatorum.
Promptuarium Theologicum, Morale, & Politicum.
De Peregrinatione Hominis Chriſtiani ex hac Vita.

CXXXVI. DANIEL AB HOMBURG poſtea Moguntinus Archiepiſcopus & Imperii Septemvir, adhuc Spirenſis Canonicus Patavii bonis artibus ac juri utrique addiſcendo vacavit ex inſcriptionibus gymnaſii (2), in quibus I. N. G. Conſiliarius deſignatur an. MDXLIV. Stirpe nobiliſſimâ Brendeliorum ab Homberg in Sueviâ natus primam ætatem literis humanioribus impendit: peregrinatus deinde in Italiam, Bononiæque aliquandiu moratus ſubſtitit Patavii; ubi etiam doctoris laurum accepit (3). Regreſſum Spiram ob virtutis & morum præſtantiam adhuc juvenem collegæ ad inſignem ſcholaſtici dignitatem evexere, pauloque poſt in Moguntinorum Canonicorum album adlectus; mox autem ad varias Legationes adhibitus; dum Auguſtanis comitiis interest, repentinâ Sigiſmundi Archiepiſcopi morte Moguntiam revocatus, plenâ ſuffragatione demortuo ſufficitur; tum per legatos Auguſtanis decretis ſubſcripſit; id quod anno quoque MDLVII. præſens præſtitit ſanctitis Ratiſbonæ ac Spiræ. Vertit deinde curam ad gregis ſibi commiſſi ſalutem, cui ut tutò conſuleret, id ante omnia illi neceſſarium viſum, ut orthodoxæ Fidei ab hæreticorum inſidiis periclitanti opportunos milites legeret, qui abſtinere hoſtes & populos ad pietatem inſtituere ſcirent. Hinc an. MDLXI. Patres Societ. Jeſu Moguntiam advocavit, primaque Moguntini collegii fundamenta jecit. Septemvir Imperii ſuo ſuffragio duos Imperatores Maximilianum II. & Rodulfum II. in Franco-furtenſibus & Auguſtanis comitiis elegit & unxit: vir totus ad modeſtiam, & pietatem, & principe & Antiſtite dignam compoſitus, quem neque in vita luxus, neque in conſuetudine faſtus unquam corruperit. Moguntinam Eccleſiam annis ferè XXVI. gubernavit pacatè, auxit munificè, quà emolumentis adjectis, quà Ædificiis extructis vel reſtitutis; denique juſtitiæ ſtudio, religionis cultu, ſanctimonia vitæ, deceſſit Aſchaffenburgi piè placidèque quaſi conſopitus placidiſſimo ſomno, cunctis deſiderium ſui luctumque relinquens an. MDLXXXII. ætatis LVIII. Conditus eſt ad ſacellum Deiparæ in templo majore Moguntino cum epitaphio, quod ex Nicolao Serrario (4), undè hæc ipſa collegimus, leges apud Freherum (5). 1582

CXXXVII. ZACHARIAS DELPHINUS Cardinalis patricius Venetus nobiliſſimæ ac Senatoriæ proſapiæ cùm Patavii diu ſcientiis, præſertimque juriſprudentiæ vacaſſet, ac doctoris lauream retuliſſet (6), domi foriſque pro patria muneribus & honoribus functus, indeque ob inſignem in expediendis negotiis, cum facundiam, tum prudentiam clarus à Julio III. Protonotarius Apoſtolicus, à Paulo IV. inter familiares adſcitus, à Pio IV. in Germaniam Nuncius miſſus, dum ibi ad graviſſima pro religione negotia vim omnem ingenii confert, in Senatum Cardinalium legitur an. MDLXV. Presbyter S. Clementis. Redux in Italiam tanta nominis fama apud omnes inclaruit, ut omnium judicio creditum ſit, in aula Romana nihil eſſe tam arduum, quod ejus cognitionem ac dexteritatem effugeret. Hinc exceptus Romę ſummo cum plauſu non ſibi duntaxat gloriam, ſed, ut Oldoinus (7), ex quo hec habemus, tradit ingenuitatis laudem promeruit, faſſus in cœtu publico Cardinalium, quidquid in Germania geſſiſſet è re publicâ orthodoxæ religionis, tribuendum eſſe Societati Jeſu, quam miris, ſi quis unquam, laudibus celebravit. Sub Pio V. Jaurinenſem ad Arabonem Eccleſiam adminiſtravit, interfuitque comitiis Gregorii XIII., ſub quo mortalitatem explevit XIV. Kal. Januarii an. MDLXXXIII. ætatis LVII. Sepultus eſt Romæ ſine pompâ & titulo ad S. Mariæ ſupra Minervam. 1583

CXXXVIII. SEBASTIANUS ERICIUS patricius Venetus ex Diario Sanſoni an. MDL. inter collegas Patavinorum Juriſconſultorum exceptus eſt, poſtquam, curriculo 1585
ſtudio-

(1) Tom.1.P.2.Sect.4.p.885. (2) in Collect.Salom. (3) Sanſon.in Diar.an.1545. (4) de Rebus Moguntin. (5) T.1.P.1.Sect.2.p.48. (6) Sanſ.Diar.ad Annum 1547. (7) ad Ciaccon.Tom.3.p.956.

ſtudiorum legitime confecto, Philoſophiæ doctor inſignia quoque retulit Juriſprudentiæ (1). Diu habitavit Patavii, quò ſolidiùs, pleniùſque graviſſimis diſciplinis mentem imbueret; Redux autem in patriam, Rempublicam aliquandiu geſſit, mox curarum pertæſus & munerum iterum Patavium redit, habitavitque ad Porcilium (2) vicum urbis ad Mœnia, ubi deinde nobilis ejus poſteritas amplas ædes ædificavit. In eo ſeceſſu plura vernaculo ſermone doctiſſimè ſcripſit (3), & edidit ſub Echini nomine, quo memoratur à Thuano (4), & ab additionibus Teiſſeri (5), quôque Erinaceum familiæ ſtemma ſignificabat. Poſt annum ætatis quadrageſimum, iterum ad Rempublicam gerendam acceſſit jam clarus ex famâ ſapientiæ, fuitque Senator ampliſſimus, atque obiit in patriâ circa an. MDLXXXV, ætat. LV. Edita ſunt Italicè

De gubernanda Republica Commentarius,
De Inſtrumento, & via quâ priſci ad Inventionem ibant, Tractat.
Hexaemeron Moralium Dialogorum,
Diſſertatio de numiſmatibus antiquis, cum explicatione Numiſmatum Conſularium ac Cæſareorum, Opus eruditiſſimum.
Expoſitio trium Petrarchæ Odarum, quas appellant Sorores.
Vertit etiam Italicè Timæum Platonis.

1585 CXXXIX. ALEXANDER Cardinalis RIARIUS Bononienſis, ut Cardinalium Biographi ſcribunt apud Oldoinum (6) Patavii legalibus inſtitutionibus excultus lauream Juriſprudentiæ in patriâ conſecutus eſt. Romam profectus à Pio IV. Referendarius, & Apoſtolici ærarii generalis Judex, ſive ut loquuntur, Auditor conſtitutus, Pio V. Pontifice Alexandrinus Patriarcha, comes datus Alexandrino Cardinali Hiſpaniam, Luſitaniam, & Galliam adiit ad Sacrum fœdus pangendum adversùs Turcas. Reversùs ad Italos dum publico munere in ordinandâ curiâ Romana verſatur, à Gregorio XIII. inter Presbyteros Cardinales titulo S. Mariæ ad Aram Cœli cooptatur. Inde miſſus in Hiſpaniam Legatus à Latere Philippum II. Luſitaniæ regem ſalutavit, coronavitque, mox alias quoque Legationes obivit, & Peruſinam in primis in Umbriâ. Vixit deinde Romæ ad multa bono publico, ac præſertim Juſtitiæ officia per Gregorium adhibitus. Inde abiit ad plures ſub Sixto V. XV. Kal. Auguſti an. MDLXXXV. ætatis XLII. Sepultus eſt in baſilica SS. XII. Apoſtolorum, notaturque non una inſcriptione apud laudatum Oldoinum.

CAPUT XXVI.

Michael Thomaſius Taxaqueta. Proſper Publicola Sanctacrucius Cardinalis. Antonius Auguſtinus.

1585 CXL. MICHAEL THOMASIUS TAXANUS Hiſpanienſis in albo gymnaſtico (7) (matriculam vocant Studioſorum) ex tabulario Quæſtorio notatur an. MDXXXV. & ibi dicitur à Salomonio Mariani Socini junioris diſcipulus, & hoſpes Alexandri Socini cariſſimus, quem mox idem auctor è monumentis cœnobii ſui juvenem fuiſſe aſſerit Ordini Predicatorum addictiſſimum, templiſque horum donaſſe multa, tum hic, tum Bononiæ, ubi ſecutus Socinum lauream Juriſprudentiæ recepit. Ex his quæ certiſſima ſunt, fit, ut cenſeam Thomaſium hunc illum eſſe, quem Nicolaus Antonius Scriptoribus Hiſpanis annumerat (8), & agnomine Hiſpano Taxaquetam appellat: quod vel ipſe Thomaſius firmiùs videtur ſancire in iis, quæ de Socino declamans in ejus funere dixit (9), palam profeſſus, ſe diſcipulum ejus Patavii, atque Bononiæ. Eum proinde claris alumnis gymnaſii noſtri accenſere non piget. Natus eſt Majoricæ in altera Balearidum (10); utrique Juri operam dedit Ilerdæ in urbe Tarraconenſis Hiſpaniæ, quâ Catalaunia vocatur. Profectus inde in Italiam, hic ut probavimus, diu ſtuduit apud Marianum Socinum, quem diſcedentem Patavio an. MDXLI. ſecutus Bononiam, ibi inſignia Doctoris accepit, tantæ etiam tum famæ ex ea oratione, quam edidit *de Juris Civilis diſcendi via, & modo*, quaque extincto dudum Mariano eloquentiſſimè parentavit, ut Romæ maximi habitus, meruerit poſtea in eos Jureconſultos adſcribi, qui Tridentinæ Synodo, cum tandem finem accepit, interfuere. Verſatus deinde Romæ diu eſt, ex multiplici eruditione inter amicos præcipuos Latini Latinii, & Antonii Auguſtini, quorum alter in carmine ad Auguſtinum dato, laudato Nicolao Antonio, quem ſequimur, ſatis videtur inſinuare, Thomaſium inter eos fuiſſe, qui

(1) Sanſon. Diar. ad An. 1556. (2) Salom. Inſcrip. Gym. (3) V. Ghilin. in Theatr. Vol. 1. p. 107. (4) in Elogiis. (5) ad Elog. Thuan. Tom. 2. p. 110. (6) Tom. 4. p. 54. (7) Salom. in Collect. ad Inſcrip. Gym. (8) in Biblioth. hiſpan. Tom 1. p. 117. (9) Orat. de Jur. Civil. diſcen. via. (10) Idem Nicol. Anton. ibid.

qui Gregorii XIII. juſſu emendando Gratiani Decreto operam laboremque utiliter contulere. Quin imò creditur, hic ille fuiſſe, qui ante alios, atque aliis urgentiùs emendationem hujuſmodi poſtularunt. Antonio Auguſtino ab Ilerdenſibus infulis ad Tarraconenſes tranſlato, ſucceſſor datus in ea dignitate conſenuit. Annum ejus emortualem neque ſignat Nicolaus Antonius, neque aliunde nos novimus. Probabiliſſimum eſt, eum qui Auguſtino ſucceſſit an. MDLXXV., nec videtur Auguſtino fuiſſe ſuperſtes, apud quem multa ejus manu ſcripta reperta ſunt, ante annum MDLXXXVI. mortalem eſſe deſiiſſe. Hæc ejus opuſcula edita recenſet Nicolaus Antonius.

Lactantii Opera emendata & notulis illuſtrata.
Diſputationes quædam Eccleſiaſticæ.
Brevis Chriſtianæ, & Catholicæ Fidei defenſio, & Judæorum, Mahumetanorum, & Hæreticorum oppugnatio.
De Ratione habendi Concilia Provincialia & Diœceſana, ac de iis, quæ in ipſis præcipuè tractanda ſunt.
De Variis Collegiis ad utilitatem publicam conſtituendis.
Orationes, quarum altera de Juris Civilis ratione, altera de ejuſdem diſcendi via & modo, magni ſunt habitæ.

Manuſcripta in Bibliotheca Antonii Auguſtini fuerunt.

Expoſitio Bullæ in Cœna Domini.
Caſus in Jure reſervati Rom. Pontifici & Epiſcopis.
Diſputationes de Univerſali Epiſcopatu.
De Annatis & Reſervationibus.
Explanationes in l. 1. ff. de Juſt. & Jure, & in l. diem functo ff. de officio Aſſeſſorum.
Explanatio Topicorum M. T. Ciceronis cum Præf. de uſu Inventionis.
Vita Joannæ Caleſatæ Majoricenſis, & quædam notata de quibuſdam ſui ſæculi Fœminis.

CXLI. PROSPER PUBLICOLA SANCTACRUCIUS Cardinalis ex iis unus eſt, 1585
quorum nitidiſſima luce præ cæteris etiamnum ſplendeſcit, ut ſæculo XVI. exeunte reſplenduit gymnaſium Patavinum. Variam & non unam adoleſcentiæ ejus cataſtrophen graphicè deſcribit Oldoinus (1), quem hic fas eſſet exſcribere, ni eum prolixitas à brevitate, quam ſumus polliciti, procul abigeret. Sat erit ejus capita ſumma delibare, ut noſtra poſteritas agnoſcat, virtuti plerunque comitem eſſe fortunam ad grandia. Natus nobiliſſimâ & vetuſtiſſima Romana familiâ (2), graſſante, poſt notam illam à Cæſarianis direptionem, in urbe peſtilentia utroque parente orbatus ſpoliatuſque bonis omnibus, tredecim annorum puer, atque onere duorum fratrum, totidemque Sororum alendarum preſſus, in Sabinos fugam arripuit, à quibus benignè receptus, una cum præceptore ſuo, quem ſecum deduxerat literarum etiam in illa ætate ſtudioſiſſimus, mox diſcedere coactus eſt, Hiſpanis militibus uſquequaque Sabinam diripientibus. Seceſſit pauper & egenus omnium in oppidulum aliud, ubi ſatis avarè adjutus ab Antonio Urſino fratre Ducis Gravinæ, apud ruſticum hominem hoſpitium invenit, donec Hiſpanis Neapolim revocatis, licuit in urbem redire. Ibi amiſſo uno ex fratribus, & præceptore, hectica febre diu oppreſſus decubuit, à qua tandem liberatus mira fortunæ viciſſitudine in bonum & doctum incidit ſenem, ex quo non ſolùm humaniores literas didicit, ſed & in eam eloquentiæ gloriam, ut & Romæ latinè ad Cardinales cum laude dixerit, & Bononiæ coram Clemente VII., & Carolo V. Cæſare Orationem habuerit. Bononiâ Patavium venit, ut juri Civili & Pontificio daret operam. Hic victu tenuiſſimo uſus fuiſſe dicitur: deerat enim pecunia, cùm quod poſt ærumnas patrimonium remanſerat, vix alendo fratri, ſororibuſque ſufficeret. Cùm ſtudiis igitur conflictatus & egeſtate iterum in febrim hecticam recidit, quam ubi Benedicti Victorii Faventini Medicinæ tunc Profeſſoris primarii Patavii virtus diſcuſſit, cœpit Thomam Zanechinum juris Canonici Profeſſorem Vicentinum audire; eoque præceptore adeo profecit, ut inter ſapientiſſimos Juriſconſultos in hoc noſtro gymnaſio numeraretur. Eidem præceptori addictus abeuntem Vicentiam feriis æſtivis proſecutus eſt; egitque procul Patavio, ne ferianti Magiſtro diſcipulus deeſſet. Agentem ibi literæ Hieronymi Veralli, & Fabii Mignanelli Venetiis ad negotia degentium admonuerunt de obitu Pompilii Sanctacrucii Conſiſtorialis Advocati, auctoreſque illi fuerunt, ut quantocyus Romam rediret, & vacuum gentilis ſui morte munus obtinere ſatageret. Excuſavit ſe adoleſcens ingenuus valetudinis prætextu, quo paupertatem ſuam modeſtè tegebat: deerat enim viaticum Romam redituro. Verùm dum hanc ipſam excuſationem interponit, ecce literæ Roma datæ nunciant à Paulo III. ipſum è vivis erepto Sanctacrucio fuiſſe ſuffectum: quippe collegium ipſum Advocatorum eum ſibi collegam poſtulaverat à Pontifice, qui memor habitæ coram Clemente, & Carolo diſſertationis Bononiæ libens annuit. His acceptis, Proſper Patavium reverſus, raptimque inſignia Juriſpru-

(1) Tom. 3. p. 950. 951. (2) Oldoin, d. p. 950. & ſeqq.

Digitized by Google

Juriſprudentiæ conſecutus, ac Romam celeriter profectus de more publicè diſputavit, in eoque congreſſu laudes Purpuratorum adſidentium emeruit annum agens ætatis XXIII., qui fuit æræ communis an. MDXXXVII. Anno ſequenti Paulo III. Nicæam profecto ad pacem inter Carolum V. & Franciſcum I. ſanciendam adfuit comes Mignanelli non mercenarius; poſt reditum judex ſeu Auditor Rotæ Romanæ dictus, quamvis collegarum ætate junior, comes delectus eſt ab Alexandro Farneſio in Germaniam ad Carolum V. cauſâ negotiorum proficiſcente, cujus gratiam ſibi conciliavit officiorum aſſiduitate, quâ tamen nihil aliud obtinuit, niſi ut Nuncius in Germaniam ablegaretur. Eo in munere rebus optimè geſtis, magna cœpit à Paulo III. ſperare: ſed cùm is obiiſſet, deſperavit, planèque concidit animo. Verùm erectus eſt benevolentiâ Julii III. qui eum Nuncium in Galliam pro pace inter Henricum II. & Carolum Cæſarem procurandâ miſit. At re infectâ cùm rediiſſet, ea benevolentia refriguit, planèque Proſperum muneri priſtino Auditoris reſtituit, quo dum fungitur à Pio IV. ad plures legationes in Luſitaniâ, Hiſpania, & Gallia adhibitus in gratiam Catherinę Mediceæ Gallorum Reginæ ſe inſinuavit, qua obtinuit, ut Epiſcopi Galliæ, ipſeque Cardinalis Lotharingiæ dimitterentur ad Synodum Tridentinam: id quod Pio placuit adeo, ut eum abſentem honore Purpuræ decorarit an. MDLXV. Cardinalis diu vixit in Gallia, atque ita hæreticos verbo factoque vexavit, ut ab eis ſæpè periculum vitæ ſubierit. Sub Pio V. revocatus Romam, cumulatuſque titulis Romanis, his addidit Arelatenſes infulas in Gallia, arcanorumque Gallicorum particeps factus, res inter Pontificem & Catherinam graviter adminiſtravit, ut ex Ludovici Gonzagæ commentariis, & Jacobo Thuano conſtat. Tandem Eccleſiâ Arelatenſi dimiſſa Romam receſſit, interfuitque comitiis Pontificalibus Gregorii XIII. & Sixti V. ſub quo vivere deſiit Nonis Octobris an. MDLXXXV. ætatis LXXVI. Sepultus eſt in baſilica Liberiana cum Epigraphe, quam exhibet Oldoinus (1). Scripſit

Deciſiones Rotæ. *Epiſtolas ad Federicum Nauſeam, & alios*

Gallicarum Rerum Commentarios.

1586 CXLII. ANTONIUS AUGUSTINUS, ut in ejus epitaphio Tarracone poſito legitur (2), *Oraculum Sapientiæ terreſtre*, Patavii auditor ad ſcientiam juris, Pancirolo teſte ſynchrono (3), Mariani Socini fuit, ad linguæ Græcæ notitiam Faſeoli, & Romuli Amaſæi, in humaniore literatura Lazari Bonamici. Idipſum refert Andreas Schottus in oratione funebri, quam de illo habuit Antuerpiæ, inſcripſitque Lævino Torrentio ejus urbis Epiſcopo. Ex hac ſua habet citatus Freherus, ex eaque nos aliqua damus, quæ plurium gymnaſiorum, ſed & noſtri celeberrimum alumnum ac maximum poſteritati noſtræ memorabilem præſtent. Ortus nobili genere Cæſarauguſtæ in Celtiberia patre Aragoniæ Pro-Cancellario; vix pueritiam egreſſus miſſus Complutum eſt ad Carpetanos, ibique inter æquales jam tum ingenii gloria omnibus excelluit. Traductus deinde Salmanticam, in Academia illa Juriſprudentiæ fundamenta jecit, quæ in molem excelſam aſſurgerent. Iis non contentus audita fama Juriſprudentium Italorum, permiſſu patris Bononiam venit, adlectuſque in collegium Hiſpanorum, quod ibi ſumptibus Ægidii Albernotii Cardinalis Hiſpanæ juventuti patet, doctoribus uſus eſt primùm Petro Paulo Pariſio, deinde Andrea Alciato. Poſt hæc divertit Patavium, atque hic penitùs expolitus, cùm ſtudiorum curriculum peregiſſet, doctoris inſignia ſuſcepit (4): his ornatus Florentiam excurrit, ubi Lælio Taurello diſerto ejus ætatis Juriſconſulto & Petro Victorio de humanioribus literis optimè merito aliquandiu familiariter uſus Florentinas Pandectas diligenter inſpexit, eaque ſibi ſepoſuit, quæ deinde ad earum, quæ vulgo leguntur, emendationem, contulit. Florentiâ Romam progreſſus eſt Pontifice Paulo III. qui explorata ſingulari hominis doctrinâ eum XIIVirum litium judicandarum, quem Rotæ Auditorem vocant, Ludovico Gomeſio defuncto ſuffecit. Hoc munere Antonius functus ſumma morum integritate, ſumma vitæ abſtinentiâ, nec minore in jure dicundo juſtitia, gravitate, æquitate à Julio III. an. MDLIV. Legatus Britanniam adiit, cum Philippus II. Catholicus Rex Mariam Britanniæ Reginam duxit uxorem. Reverſo Romam Paulus IV. ad ſanctiora conſilia uſus eſt, qui poſtmodum eum Aliſanum Antiſtitem creatum in Germaniam ad Ferdinandum Cęſarem miſit: qua legatione honorificè obita ad Eccleſiam ſuam receſſit, unde non multò poſt accitus à Philippo II. Hiſpaniarum Rege, Cenſor cum poteſtate ſuprema Siciliam luſtrare juſſus, ita ſe geſſit, ut & Regi ſatisfecerit, & inſulanis jus ſanctiſſimè dixerit. Redeuntem in Hiſpaniam Pius IV., petente Philippo Rege neque opinantem & invitum Ilerdenſem

(1) ibid. p. 955. (2) apud Freher. T. I. P. I. ſect. 2. p. 53. (3) de Clar. Interpr. lib. 3. c. 182. p. 301.
(4) Diar. Sanſon. ad An. 1540.

denſem Epiſcopum dixit, qua dignitate præditus ad Synodum Tridentinam cum fratre Petro Oſcæ Antiſtite venit. Rediit abſoluto concilio in Hiſpaniam, curavitque Eccleſiam ſuam annos circiter XVI. poſt quos à Gregorio XIII. ad Archiepiſcopatum Tarraconenſem translatus eſt an. MDLXXVI. Vir fuit omnem eruditionem complexus, antiquitatis inveſtigator acerrimus, atque idcirco eruditorum omnium ſuæ ætatis & amiciſſimus, & ſtudioſiſſimus. Memoriâ mirâ, quidquid Romæ viderat, retinebat, curioſitate penè non nimiâ Romana monumenta, quæ adhuc Tarraconæ ſuperſunt, ad trutinam revocavit. Juris Civilis peritiſſimus tanti apud omnes fuit, ut neminem habere ſuâ ætate parem viſus ſit, nec defuerit, qui in eo Paulum, Ulpianum, Papinianum ab inferis reviziſſe Platonicâ quadam metempſychoſi crediderit. Has mentis dotes ethicis virtutibus amplificabat, Præſul in egregiâ morum ſeveritate mitis adeo, ut eum per annos ab obitu retro viginti nemo viderit iratum: caſtitatis uſque adeo cuſtos religioſus, ut omne fœminarum colloquium, nedum otium commerciumve vitaverit. Ita in egenos & afflictos munificus, ut propè in morte decoxerit, ac tantâ tam generoſâ inopiâ deceſſerit, ut vix ſuperfuerit ſumptus, quo efferri poſſet honeſtè. Plura alia leges à Schotto peramico ejus doctiſſimo laudata, in quibus illud miraculo proximum celebratur, quod tantæ, tam gravi, tam doctæ, tam circumſpectæ virtuti jucunditas ex pulcherrimo corpore, & lepor in dictis more Hiſpanorum acutus ac facetus nunquam defuerit. Obiit Tarracone ſeptuagenario major an. MDLXXXVI. ſcriptis ex eo, quod fuiſſet reſidui, Chriſto & ſancta Thecla hæredibus, celeberrima ſua bibliotheca Regi Hiſpaniæ legatâ.

Scripta ejus varia, & omnia pretioſa ſic Schottus recenſet.

Ad Humanitatis ſtudia pertinentia.

Notæ & Emendationes in M. Terent. Varronem de lingua latina, & in Sex. Pompejum Feſtum.

Familiæ Romanorum XXX. cum Fulvii Urſini familiis.

Dialogi XI. de Numiſmatibus & Inſcriptionibus Græcis, Latinis, Hiſpanicis.

Index MSS. ſuorum Græc. & latin. in ſua Bibliotheca.

Ad Jus Civile ſpectantia.

Emendationum & Opinionum Juris Civilis ad Pandectas Florent. lib. IV.

Ad Modeſtinum ſive de Excuſationibus liber ſingularis.

Ad Hadrianum, & ad Edictum liber ſingularis.

Index verborum in Pandectas Florentinas.

Ad Julium Taurellum Juriſconſultum Epiſtola de Militiis.

Novellarum Juliani Anteceſſoris Verſio ex Græco cum notis.

In Jure Canonico.

Antiq. Collectiones Decretalium cum notis.

Canones Pœnitentiales cum notis.

Dialogorum libri XI.

De Emendatione Gratiani libri II.

Conſtitutiones Synodales & Provinciales Tarraconenſium.

Epitome Juris Pontificii in tres Partes, de Perſonis, de Rebus, de Judiciis cum notis.

Conciliorum Græcorum, & Latinorum collectio.

Fragmenta quoque Veterum Scriptorum, Poetarum, & Oratorum Collegit.

CAPUT XXVII.

Henricus Huſanus. Iacobus Sabellus Card. Andreas Gailius. Io. Franciſcus Gambara Card. Stephanus Bathoreus Rex. Joachimus Mynſingerus.

CXLIII: HENRICUS HUSANUS Iſenaci Thuringorum natus ex iis, quæ ſcribit
Melchior Adamus (1), exſcribitque Freherus (2), ut initiaretur mercaturæ 1587
puer Bergam NorWegiæ miſſus eſt. Sed cùm ea initia pluſquam Scythica crudelitate fumantur; quippe pueri nudi mari extracti verberibus excipiuntur uſque ad ſanguinis effuſionem; Henricus miſsâ interula cruenta ita matrem commovit, ut inde eum abire juſſerit, ac reſtitutum patriæ ſiverit ab illo ſævo ac barbaro luſu ad muſarum, ac Palladis delicias animum liberalem convertere. In Germania politioribus ſtudiis operam dedit, & Wittembergæ & Ingolſtadii ſub diverſis Doctoribus, inter quos & Melanchthon fuit: mox profectus in Galliam apud Biturigas Franciſcum Duarenum

(1) Vit. Juriſconſult. German. (2) T. 1. P. 2. Sect. 4. p. 908.

audivit, atque inde digreſſus commeavit Patavium, ut ex monumentis gymnaſticis (1) & Diario Sanſoni conſtat (2), imò ex ipſo Huſano in eo Elegorum loco (3), quo vitæ quod hic periculum ſubiit, ex febre ardenti piè ſatis & eleganter deſcribit. Hinc Spiram redux, ac ſe praxi juris & fori in variis Germaniæ tribunalibus mancipavit: aulas deinde coluit, rurſumque Germania, Gallia, & Italia perluſtratis Jenæ Profeſſor legum publicus fuit, functuſque diverſis apud Summates Principes muneribus, his vel à conſiliis fuit, vel ſcriba fidelem operam præſtitit. Demum Syndici & Conſiliarii officio ſuſcepto Reipublicæ Luneburgenſis Adminiſtrator egregius, in ea urbe vivere deſiit an. MDLXXXVII. ætatis LIV. Ibidem ſepultus eſt cum elogio, ex quo lecto apud Freherum (4), horum pleraque decerpſimus. Valuit præcipuè in flebili Poetices parte, indeque claret; en quos edidit,

Libri II. Horarum ſucceſſivarum, ſeu Imaginum Moſaicarum.
Libri II. Elegiarum.

1587 CXLIV. JACOBUS SABELLUS Cardinalis nobiliſſima & vetuſtiſſima gente Romana progenitus patre Jo. Baptiſta, matre Conſtantia Bentivola, Pauli III. conſanguineus, dum Patavii Juriſprudentiæ, ac latinis & græcis literis impendit laborem ac ſtudium, ab eodem Paulo Diaconus Card. S. Luciæ in Septizonio renunciatur. Præfuit deinde in eodem ordine Titulis SS. Coſmæ & Damiani, S. Nicolai in Carcere Tulliano, S. Mariæ Novæ, cujus mox titulum geſſit Presbyter, & Eccleſiæ Neocaſtrenſis adminiſtrator; multas etiam alias Eccleſias commendatas habuit, quas enumerare longum & ſupervacaneum ſit, cùm eas religioſè recenſeat Oldoinus (5), ex quo hæc omnia damus. Beneventanam Eccleſiam procuravit præſens, eamque ex præſcripto legum Tridentinarum excoluit. Legatus in Piceno provinciam inteſtinis vexatam diſſidiis paci, & quieti reſtituit: ſimul ejus oras maritimas ab inſidiis Draguti archipiratæ, claſſis Turcicę imperatoris aſſeruit. Denique ſub Pio IV. & reliquis Pontificibus Vicarius in Urbe fuit quoad vixit. Amantiſſimum eum Societatis Jeſu ſcribit Oldoinus, cujus ordinis ampliſſimi ſtudia probaverit ſemper, atque operâ uſus ſit, nec alibi condi voluerit, niſi in ejus templo, in baſilicâ ſcilicet Farneſiana. Deceſſit Romę Nonis Decembribus an. MDLXXXVII.

CXLV. ANTONIUS GAILIUS in gymnaſio noſtro inſignia Doctoratus accepit,
1587 ut conſtat ex Diario Sanſoni (6). De eo hęc Melchior Adamus (7), ex quo Freherus (8). Natus eſt Colonię Agrippinę an. MDXXV. Primis literarum elementis imbutus ad juris diſciplinam ſe applicuit; ac primùm doctores ejus in Germania, poſt in lyceis Gallię, atque Italię audivit. Spirę deinde ad Imperii tribunalia Adſeſſorem ſe prębuit diligentiſſimum. Inde Maximiliano II. Cęſari fuit à Conſiliis Aulicis, & Libellis ſupplicibus. Particeps tandem Conſiliorum Septemviri Colonienſis in patria mortuus eſt III. Idus Decembris an. MDLXXXVII. ętatis LXII. Literaria ei cum Joachimo Mynſingero controverſia fuit, à quo plagii arguitur, quòd fruſtulatim quędam, ſuppreſſo auctoris nomine inſeruiſſet ſuis ſcriptis: at hoc vetus & tranſlativum crimen Juriſperitorum eſt, ut ſępe notavimus. Scripſit

Obſervationum Practicarum libros II.
De Pignoribus lib. I.
De Pace publica & Proſcriptis, ſeu Bannitis Imperii.
Tractatum de Manuum injectionibus, ſeu Arreſtis Imperii.

CXLVI. JO. FRANCISCUS GAMBARA Cardinalis, Uberti Cardinalis ex fratre
1587 nepos, Peruſię, mox Patavii Juriſprudentię diligentiſſimè ſtuduit, undè etiam prodiit laurea doctoris ornatus (9). Et vivo quidem patruo Cardinali aliquandiu ſub ejus diſciplina verſatus eſt excultuſque in aula Romana (10), ac pingui Sacerdotio in agro Cremonenſi donatus rerum gerendarum experientia pręſtitit, & inter eloquentiſſimos ętatis ſuę viros habitus eſt. Patruo vita functo, ex aula Cęſarea, quò ſe contulerat ad Carolum V. Romam rediit, receptuſque inter Pontificios Familiares Julio III. à cubiculo fuit, mox Apoſtolicę quęſturę collegio adſcriptus non diu poſt ejuſdem Pręſes intra annum initi muneris, hoc eſt anno MDLXI. à Pio IV. Diaconus Cardinalis, deinde Presbyter renunciatur. An. MDLXV. Legatus à Latere dictus, mortuo Pio, munere excidit: verùm à Pio V. ad ſecreta conſilia in arduis Apoſtolicę ſedis negotiis, curiſque Pontificatûs ſummę prudentię illuſtria documenta dedit Urbi, & Orbi: tanti ex hac inter alias virtutes apud ſummos Principes habitus, ut illum coram, & literis de rebus agendis conſulerent; ejuſque reſponſa inſtar oraculorum reciperent. Prudentiam,

(1) Salom. Collect. ad Gym. Inſcr. in Matric. German. (2) ad an. 1551. (3) lib. I. Eleg. 7. (4) loc. cit.
(5) Tom. 3. p. 674. (6) Ad Annum 1548. (7) Vit. Juriſconſultorum. (8) Tom. 2. P. 2. ſect. 10. p. 909.
(9) Diar. Sanſ. An. 1555. (10) Oldoin. ad Ciaccon. Tom. 3. p. 939. 940.

tiam, ſapientiam, acumen ingenii, & innatum animo amorem juſtitię, religione, ar-
dore fidei, & pietatis acuratiſſimo ſtudio, preſerrim Deiparę Virginis cultu, & obſe-
quio erga D. Laurentium, immane quantum auxit, extulitque: ut non ſit mirum,
quòd ampliſſimas dignitates, dignitarumque titulos, atque opes fuerit conſecutus in
curia ſub Antiſtitibus maximis quatuor, Pio IV. Pio V. Gregorio XIII. Sixto V. quo
ſedente, Romę III. Nonas Maii an. MDLXXXVII. ętatis LIV. ad plures abiit. Cor-
pus depoſitum ad S. Marię de Populo translatum eſt ad ędes Deiparę Virginis de
Quercu ſuburbanas Viterbio, quas ipſe Viterbienſis Epiſcopus conſecraverat, in quibus
ſacellum extruxerat, & dotaverat. Ibi jacet ad gradus arę majoris.

CXLVII. Extra omnem dubitationis aleam eſt, STEPHANUM BATHOREUM 1588
Polonię Regem XXVI. aliquandiu fuiſſe Patavii, bonamque partem adoleſcentię, ali-
quam etiam juventutis hic bonis artibus impendiſſe pręceptoribus Robortello & Sigo-
nio. Tradunt Thuanus (1), Teiſſerus (2), Gerardus à Srochen (3), & alii, vacaſſe
eum etiam Juriſprudentię, certè inter ejus ſtudioſos fuiſſe cooptatum, probat Ungaro-
rum album & inſcriptio priſca gymnaſii apud Salomonium (4). Gente Panno, qua
parte Pannonia Tranſylvania dicitur, & Principis regionis illius filius natu major,
pari ſtudio ad utriuſque Palladis gloriam à puero exarſit. Annorum octodecim adole-
ſcens nobili peregrinatione prope totam Europam luſtravit, tandemque ad plenam eru-
ditionem ad annum uſque vigeſimum quintum ętatis alumnus gymnaſii noſtri fuit, in
quo ita bonis artibus & pacatę Palladi operam dedit, ut ſe non togę natum, ſed ſa-
go meminiſſet. Quamobrem literariis laboribus addidit equeſtres exercitationes, habuit-
que utriuſque ſtudii ſocium & ęmulum Andream Dudithium nobilem Pannonem, quo-
cum jam tum in eas ſimultates incurrit, quę tempore, occaſionibus, ac partium jur-
giis auctę Stephanum vix non à patrocinio fortunę dejecere. Nam cùm redux in pa-
triam, diuque ibi Palatinus provincię, Henrico Valeſio, qui clam Poloniâ relicta ad
avitam Gallici Regni ſucceſſionem transfugerat, ſucceſſor quęreretur, atque hi quidem
Maximilianum Auſtriacum, illi verò Bathoreum evocarent, Dudithius memor, ſe Pa-
tavii fuiſſe à Bathoreo ſępe contemptum, deriſum, ac male habitum, toto conatu con-
tra hunc ſtetit pro Maximiliano. Vicit attamen invicti Ducis nomen, & gloria; Ba-
thoreoque diadema Polonicum tradidit an. MDLXXVI., quo ſumma Polonorum Ordi-
num conſenſione ad ſereniſſimę Reipublicę illius evectus ſolium, Danzicanorum auda-
ciam, qui uni ſtabant pro Maximiliano contra omnium ſententiam, ad bellum pro-
greſſus cum exercitu Stephanus contudit; atque ad meliora conſilia compulſam pecuniâ
mulctavit. Inde adversùs Moſchos instructis copiis converſus, eorum fines populatus eſt,
urbes atque arces munitiſſimas expugnavit: mox traductis in Finlandiam & Livoniam
armis ereptas arces à Moſchis recuperavit; eòque hos compulit, ut ſupplices, interpo-
ſitis etiam Romani Pontificis Gregorii XIII. officiis, pacem peterent. Inducias ſexen-
nio duraturas conceſſit, reſtitutis, quę Moſchis eripuerat, receptis quę hi occupave-
rant: triumphaturus poſt datum tempus de iiſdem glorioſiùs, ni mors prępropera mili-
tari propoſito interceſſiſſet. Hac Stephanus Mortalium numero exemptus eſt nondum
planè ſenex an. MDLXXXVIII. Regni XII. Rex ſemper Polonis memorabilis, ac ve-
nerabilis, ſive religionem ſpectent planè orthodoxam, ſive juſtitiam & mores regię
Majeſtati conſentaneos, ſive denique virtutem bellicam, quâ priſcis regibus non minor
pręivit ſucceſſoribus exemplo & gloria.

CXLVIII. JOACHIMUS MYNSINGERUS clarum Juriſprudentię ſidus, & nomen 1588
victurum ęternùm apud tyrones militię noſtrę, familiâ nobiliſſima, de cujus origine mul-
ta Melchior Adamus (5), Sturgardę in Suevia dentatus natus eſt, quod ominoſum
viſum. Septennis elementa in patria didicit. Anno XIII. ętatis Dolam in Burgundiam
miſſus juri diſcendo initium fecit, ſimul Muſas non ſine profectu coluit: à quibus ab-
ſtractus ad archilycæum Patavinum venit, ut in eo ſtudiorum curriculum abſolveret.
Hic auditor fuit Viglii Zuichemi, ut idem Freherus tradit (6), ſed & aliorum, à
quibus, ut mos tunc habebat, poteſtatem recipiendæ alibi laureæ conſecutus in pa-
triam rediit, ſtatimque uxorem duxit. Mox deſiderio audiendi Uldricum Zaſium du-
ctus, Friburgum profectus, ei illo ipſo anno MDXXXV. fatis erepto ſuffectus eſt; ac
publicè Inſtitutiones Juſtiniani docuit, ſimul Doctoris inſignia ritu ſolemni data rece-
pit anno ætatis primo & vigeſimo. Variis deinde honeſtiſſimis apud plures Principes,
quibus & adſedit, & à Conſiliis fuit, ſanctiſſimè functus ætate jam in ſenium devexa,

(1) hiſt. lib. 39. (2) ad Elog. Thuani Tom. 2. p. 188. (3) In Thuan. enucleato. (4) in
Collect. ad Inſcr. Gymn. (5) Vit. Juriſconſultorum & ex eo Freher. T. 1. P. 2. ſect. 4. p. 909. 910. (6) ex
eod. Ibid. p. 909.

Helmſtadii vitæ teliquum otio literario vacans impendit. Obiit in arce ſua Aslebiana an. MDLXXXVIII. ætatis LXXIV. V. Nooas Maii. Poemata ejus edita hęc ſunt.

Neccarides. Naufragum Venetum Batrachomyomachia. — *Auſtriados libri II. Parameſis ad Bellum contra Turcas ſuſcipiendum.*

Hymni & Epigrammata.

In Jure edita.

Commentarii in Inſtitutiones, qui ſunt in manibus. — *Centuria Obſervationum Cameralium.*

Decades Reſponſorum.

Commentarii in Decretales. — *Ordinationes Dicaſterii Ducatus Bruſvicenſis.*

Apotelesmati quoque recenſendo inſudavit, quod opus inchoatum abſolvere minimè potuit. Arnaldus Reiger nobilis Belga, qui eum ad illud adiuverat, illo mortuo, feliciter opus abſolvit.

CAPUT XXVIII.

Andreas Dudithius. Urbanus VII. Pon. Max. Antonius Carafa Cardinalis. Fridericus Cornelius Cardinalis Senior.

1589 CXLIX. ANDREAS DUDITHIUS Panno nobilis ex illuſtri proavorum gloriâ, ſuâque tum virtute, tum impietate ſæculo XVI. notiſſimus literarum infantiam, ac doctam adoleſcentiam urbibus Italiæ debet, Veronæ, & Patavio; in quarum alterâ elementa doctrinæ didicit eò deductus à matre vidua Sbardellata Veneta, undè illi apud aliquos Sbardellati cognomen eſt; in altero tyrocinium ſcientiarum, bonarumque artium, alumnus gymnaſii noſtri, per annos aliquot poſuit. Ut non ſit mirum ſi utrumque colligas ex diverſis Auctoribus, eumque tyronem dicas Veronæ cum Ruſcellio in Tractatu de inſignibus (1), ſive Patavinum diſcipulum cum Thuano (2), cui adſtipulantur Ungarorum catalogi ex tabulario Quæſtorio (3), in quibus inter Conſiliarios Juriſconſultorum ſignatur *Andreas Dudithius Sbardellatus*; Quo jure inter claros Jureconſultos numeratur in hoc opere noſtro. Natus eſt Budæ an. MDXXXIII. Filius Jacobi ab aulicis conſiliis Ladislai Pannoniæ Regis; &, ut diximus, Veronæ primùm, deinde Patavii ſtuduit auditor Bonamici, Cagnoli, & Robortelli, familiatiſſimus autem Pauli Manutii, & Onuphrii Panvinii, aliorumque virorum ex fama nitidioris literaturæ apud Italos illuſtrium. Condiſcipulus hic Stephani Bathorei, de quo diximus, eas cum illo ſimultates concepit animo, quæ robuſta jam ætate in publicum erupere. Tunc in familiaritatem Cardinalis Poli ſenſim irrepſit, quem poſtea ſecutus in Angliam ſocius Aloyſii Prioli patricii Veneti, ibi fuit uſque ad obitum Reginaldi, cujus vitam à Ludovico Beccatello ſcriptam Italicè, latinè reddidit. Ex Anglia Lutetiam profectus ſub Angelo Cavinio Græcam & Hebraicam, aliaſque Orientales linguas profitente, hanc quoque partem eruditionis paravit Juventuti ſuæ, ac ſectator Tullianæ facundiæ, cujus opera ter dicitur manu ſua exſcripſiſſe, peritiſſimus verò linguarum, prudentia etiam in explicandis negotiis inſignis rediit in Pannoniam. Porro ex his ornamentis in flore ipſo juventutis clarus celebratuſque, & in aulam Cæſarum adſcitus, primùm quidem Tinninenſis Epiſcopus, deinde Quinqueccleſienſis, ſatis ex hoc titulo & ditior & notior ab hiſtoria communi poſterorum memoriæ commendatur. Hoc titulo deſignatus graviſſimas juſſu Ferdinandi, & Maximiliani II. ac Rodulfi Cæſarum legationes obivit, quarum una Maximilianum in Polonicis comitiis poſt obitum Sigiſmundi, mox etiam, poſt diſceſſum Henrici Valeſii, ad Sceptrum Sarmaticum provehere, incaſſum tamen conatus eſt adverſum Bathoreum: duabus verò nomine Eccleſiæ Pannonicæ interſuit Synodo Tridentinæ, atque ibi tum pro Euchariſtia ſub utraque ſpecie Pannonibus concedenda, tum pro Sacerdotum connubiis eloquentiſſimè peroravit, jam tum erga Sectas orthodoxæ Eccleſiæ inimicas, quas orationibus illis cane pejus & angue deteſtatur, odit, ac damnat, propenſior. Quippe eum amor obſcænus, quo uno maximè ſapientia traducitur in inſaniam, hoſtibus veritatis adjunxerat, nec Tridentum venit planè catholicus, ut hæretici ſomniant (4), ſed ut verior hiſtoria refert, ejus animum jam dudum corruperat blandiſſima ſpecies puellæ Polonæ, quam deperire cœpit in comitiis poſt obitum Sigiſmundi, cultor aſſiduus gynæcei, quod ancillis pulcherrimus Inſans inſtructum habebat. Scribit Thuanus (5); cui ſi placuerit,

(1) Teiſſer. ad Thuan. Tom. 2. p. 193. (2) In Elog. Andr. Dudith. (3) Salom. Collect. ad Inſc. Gymn. Tomaſ. in Characteriſ. (4) Vid. Teiſſer. loc. cit. (5) in Elog. in Dudith.

Digitized by Google

placuerit, te credulum dabis, puellam hujuſmodi, cùm primùm in gynæceum Dudithius venit, habitu, ut oportebat Epiſcopum eò ingredi, ornatum, erubuiſſe vehementiùs: ac Infantem ruborem illum notaſſe, multiſque poſtea egiſſe, ut inſolitæ verecundiæ cauſam ederet: illam verò tandem faſſam: ſibi dormienti oblatam in ſomnio ſpeciem illius Epiſcopi, cultu tamen profano exornatam, eamque illi ab utroque parente dudum extincto maritali nomine fuiſſe conceſſam. Erubuiſſe ſe illâ ſpecie ipſâ in Præſule viſâ repentè, mox ſomnii fidem damnaſſe. Sed ut damnaverit, ſi vera hæc ſunt, exitus veritatem oblati viſi ſancivit. Nam hanc ipſam puellam biennio poſt Dudithius clam in Pannonia duxit uxorem ſceleratus Epiſcopus. Quâ mortuâ, alteram ſibi copulavit Sbroviorum ſororem, Joannis Farnovii comitis viduam, ex qua pater fuit. Reus Romæ factus, evocatuſque non paruit, habuitque tutores aliquandiu Maximilianum, atque Rodulphum ſceleris ſui, donec ſpes de diademate Polono ſuperfuit. Ubi hæc penitus excidit, Dudithius datâ Cæſari pecuniâ, quam multam contulit ſub fænore in ærarium Principis, ſimul ejuratâ propalam religione catholica ſeceſſit apud Hæreticos in Moraviam, tandemque poſuit Uratislaviæ domicilium, vixitque tum orthodoxis deteſtabilis, utpote ſacrilegus, & Apoſtata, tum verò apud ipſos hæreticos ancipitis fidei, qui nimirum in dogmatibus emanſor haberetur; modo Lutheranus puriſſimus, modo rigidus Calvinianus, ſæpè Socini ſectator, qui de Triade diviniſſimâ impiè, de corporato Numine inconſtanter ac perfidè ſcripſerit, ut multi colligunt ex Epiſtolis ejus in ſylloge epiſtolarum bibliothecæ Fratrum Polonorum (1), & in operibus Fauſti Socini. Periit Vatislaviæ an. MDLXXXIX. ætatis LVI.

Edidit Adiaphora.

Comment. de Cometarum ſignificatione.
Diſſertationes de Cometis.
Epiſtolas & Orationes diverſi argumenti.
Verſionem Judicii Halicarnaſſei de Hiſtoria Thucydidis.
Ejuſdem de Arte Rhetoricâ.
Trium poſtremorum Diodori Siculi librorum.
Longini de ſublimi, & Demetrii περὶ ἑρμηνείας.
Appiani Alexandrini de Bello Punico.
Epiſtolas de Re Medica, quæ ſunt inter Epiſtolas Medicas apud Scholtzium editas 1598.

Edidit Orthodoxè.

Quæſtionem, ubi vera & Catholica Eccleſia Chriſti inveniatur, propoſitam Jo. Wolphio, & Theodoro Bezæ.
Epiſtolam ad Theodorum Bezam an Eccleſiæ nomen Reformatæ conveniat.
Epiſt. de Hæreticis gladio puniendis.
Vitam Reginaldi Poli,

Hæretica Scripta.

Pro libertate conjugii.
Orationes duæ habitæ in Synodo Tridentinâ ex petitione Epiſcoporum Hungariæ.
Apologia pro ſe ad Maximilianum II.

CL. URBANUS VII. Pon. Max. ante Pontificatum *Jo. Baptiſta Caſtanea* patriciâ 1590
gente oriunda Genuâ, & Romam tranſlata Romæ natus, non unum gymnaſium Italicum illuſtravit. Nam à puero morum formatores nactus Dominicum Jacobatium & Hieronymum Verallum Cardinales conſanguineos ex matre, Romæ humanioribus literis primam adoleſcentiam imbuit: validiorem cum patre Juriſprudentia & ſeverioribus diſciplinis Peruſiæ, Bononiæ, Patavii, ut annotat Oldoinus ex aliis (2). Apud Card. Verallum judicis officio functus eſt aliquandiu, ut ſtylum curiæ condiſceret, mox ad publica munia gerenda animum appulit, poſt quæ in ſacro conſiſtorio Advocatus cauſas diſertiſſimè egit, inde comes à libellis Card. Veralli luſtravit Galliam, undè reverſus metropolitanæ Roſſanenſi eccleſiæ præfuit, qua dignitate ornatus Hugoni Boncompagno Card. Legato à Latere in Hiſpania Internuncius additus, ibi deinceps officio Nuncii ordinario functus eſt, atque Iſabellam Philippi II. filiam nomine Pii IV. Pontificis è ſacro fonte ſuſcepit, ſimul ſub Pio V. fœdus adverſùs Turcas inter Hiſpanos ac Venetos ſanxit. Poſt hæc plures legationes, munera plura ſanctiſſimè obivit, ex quibus optimè de republica meritus numero Purpuratorum adjectus eſt à Gregorio XIII. an. MDLXXXIII. Card. Presbyter S. Marcelli: valuitque deinceps plurimùm auctoritate apud omnes, præſertimque apud Pontifices Gregorium, ejuſque ſucceſſorem Sixtum V. Hic ſemper ejus conſilio in gravibus quibuſque negotiis uſus eſt, eumque ſucceſſorem ſuum ſi minus optavit, futurum tamen prænoviſſe videtur. Nam Sixtus de illa via (3), quam à templo S. Crucis in Hieruſalem ad Eſquilias, inde ad montem Pincium ſtraverat, diſſerens cum Cardinalibus, quos inter erat Caſtanea, cum deducendam dixiſſet à Pincio ad Portam Flaminiam, ad Caſtaneam converſus, tu, inquit, id facies. Ferunt etiam, Sixtum eundem, cùm, antequàm in extremum morbum

(1) Vid. Sanctium in Biblioth. Anti-Trinitar. & oper. Socini. (2) Tom. 4. p. 70. (3) Ceccarell. in Vit. Urbani VII.

incideret, ſedetet in menſa, ae pro bellariis appoſita pyra tractaret: unoque atque altero ſecto, putrida deprehendiſſet, joco palam veridico dixiſſe: hi pyra faſtidiunt, dandæ ſunt ipſis caſtaneæ, ſe Pyretum familiâ ſignificans, & Cardinalis Caſtaneæ ſignans proximam ſucceſſionem, Dictum probavit eventus. Quippe an. MDXC. extincto Sixto, poſt dies quindecim XVII. Kal. Octobris ſuffectus eſt Pontifex Maximus Caſtanea Card., & Urbanum ſe VII. dixit, atque urbem urbanitate morum, ac nominis exhilaravit. Sedit dies dumtaxat duodecim, ſuoque obitu Romam funeſtavit multa ſperantem ab ejus clementia, ſuavitate, vitæque integerrimæ notis virtutibus. Corpus ejus plumbeo loculo incluſum è baſilica Vaticana poſt annos circiter ſexdecim ad ſacellum Virginis ab Angelo ſalutatæ in templo Deiparæ ſupra Minervam conditum eſt. Deceſſit an. MDXC. V. Kalend. Octobris, ætatis an. LXIX. dudum incœpto.

1590 CLI. ANTONIUS CARAFA Cardinalis vir ſanctimonia & doctrina ſæculo XVI. exeunte celeberrimus, & penè non templo & aris dignus, quem Hoſius Cardinalis ſummis laudibus effert, Cardinalis Baronius admiratur, ac ſæpiſſimè prædicat, celebrantque miris planè, ſed veris præconiis alii, quorum nomina & numerum exhibet Oldoinus (1), inter alumnos gymnaſii noſtri clariſſimos locum habet. Is enim natus nobiliſſimo genere Neapoli, & gentilis Pauli IV. à quo in cubicularium & pincernam adſcitus, atque Sacerdotio Canonico in Vaticana baſilica donatus etiam Purpuræ deſtinabatur, Græcis literis & Latinis à Guglielmo Card. Sirleto diligenter imbutus, poſt cataſtrophen Carafarum ſub Pio IV. eodem nomine, licet inſons dignitate multatus, vix habuit, quod amplius in aula Romana ſperaret. Quamobrem eò impenſiùs ad ſcientias incumbendum ratus, quas fortuna, aut hominum ſiniſteritas auferre non poteſt, Patavium ſeceſſit, aſſiduamque navavit operam Juriſprudentiæ, cujus curriculo confecto doctor ſe recepit ad Brutios (2), latuitque uſque ad obitum Pii IV., quo vivo à dignitatibus earumque ſpe prorsùs exciderat. Succeſſor ejus Pius V. eum ad ſacerdotium Vaticani Flaminii revocavit, mox annum agentem ætatis trigeſimum in Cardinalium ſenatum allegit, Diaconum S. Euſebii. Sub Gregorio XIII. Bibliothecarius Romanæ eccleſiæ fuit, mutavitque Romanos titulos plures. Sub Sixto V. emendationi celeberrimæ Bibliorum præpoſitus præfuit operi ſapienter & utiliter adeo, ut maximam ex eo laudem apud omnes ſit conſecutus ſed maxima major illi contigit ex morum integritate ac ſanctimonia, quam non eſt, ut pluribus deſcribamus, cùm proſtent funebres de illo Beneii, & Remundi orationes, ex quibus quanta in omni virtutis genere fuerit Antonii gloria, luculentius æſtimabitur. Obiit Romæ prid. Idus Septemb. an. MDXC.

1590 CLII. De FRIDERICO CORNELIO Cardinali Seniore, quæ dedimus, ubi eum magnis Gymnaſii noſtri Cancellariis annumeravimus (3), ad notitiam tanti viri poſteritati noſtræ faciendam ſuperſunt. Ea etiam ad titulum libri hujus pertinent, ac numerum clarorum noſtri gymnaſii alumnorum augent, cùm qui gymnaſio Purpuratus præfuit, is & adoleſcens & juvenis diu in hoc ſcientiarum emporio verſatus ſit, indeque doctor in utroque jure prodierit (4), ea daturus magnanimæ virtutis exempla, quæ & nos delibavimus, & latè Oldoinus (5) proſequitur poſt Ughellum (6).

CAPUT XXIX.

Georgius Pilumnus. Jo Vincentius Gonzaga Card Io. Hieronymus Albanus Card. Gregorius XIV. P. M. Hieronymus Card. Roboreus. Augerius Giſlenius Busbequius.

1590 CLIII. DEbet Bellunum multum admodum gloriæ ſuæ GEORGIO PILUMNO clariſſimo hiſtorico. Genere illuſtriſſimo natus Odorico patre & Laura de Comitibus à Trilogo matre nobilium ab ultima ſtirpe natalium originem & majorum decora ſua virtute confirmavit, atque auxit. Literis humanioribus excultus in patria ad graviores diſciplinas Patavium venit. Auditor ſedulus Bernardini Tomitani Philoſophorum & ſententias noſſe, & expedire ſe tricis, didicit: mox Juriſprudentiam reſpexit, emenſuſque grande legum curriculum Marco Mantica brabeuta lauream conſecutus eſt (7): ac redux in patriam ita quæſitarum Patavii ſcientiarum decus auctum voluit eruditionis omnifariam ornamentis, ut Alciati ac Tiraquelli exemplo, ſevera juris ſtudia

(1) Tom. 3. p. 1037. 1038. (2) ex Diar. Sanſ. An. 1563. (3) lib. 1. T. 1. Sect. 1. c. 21. n. 8.
(4) Diar. Sanſ. An. 1552. (5) Tom. 4. (6) Tom. 5. (7) Diar. Sanſ. ad An. 1549.

ſtudia humanioribus literis mitigaret. Antiquitatis ad hæc ſtudioſiſſimus, hujus pretioſa ſupellectili nummis nimirum, lychnis, ſignis, menſuriſque, & aliis id genus monumentis Muſæum inſtructiſſimum habuit, quod non minimâ ſui parte etiamnum apud nobiliſſimos poſteros dicitur perennare. Obiit Belluni an. MDXC. Edidit Hiſtoriarum Bellunenſium libros VII. quos jure dixeris, penum reconditæ eruditionis: ita res patrias cum rebus Europæ totius, civiumque ſuorum geſta geſtis aliarum gentium immiſcet, omnia conſtituens publicorum monumentorum fide, quâ unâ ſtat hiſtorica veritas. Huic operi præſtantiſſimo accenſere licet brevem nec dum editam hiſtoriam Caſtildardi clari in agro Bellunenſi oppidi. Ex ejus poſteris non ſalutare dumtaxat, ſed & venerari hic liceat mihi Pilumnum Bellunenſis Eccleſiæ Canonicum virum doctiſſimum, & ſi patitur ejus modeſtia, quod aſſerere poſſumus citra invidiam, & ſtudium amoris, quem illi ante annos pluſquam triginta profitemur, inter paucos hac ætate peritiſſimum ſacræ, profanæque vetuſtatis, quam ſcriptis illuſtrat, exemplo promovet, ornat egregio nitore candidiſſimæ latinitatis, quæ tamen calamo non imperet docti ſcriptoris, ſed ſerviat. Huic multa debemus in hoc opere noſtro, atque hæc ipſa, quæ dedimus de Georgio Pilumno, ſi illa excipias, quæ apud eum modeſtia ſupprimit, nobis autem & noſtratibus omnibus notiſſima ſunt.

CLIV. JO. VINCENTIUS GONZAGA Cardinalis, Ferrantis Molfettæ Principis filius, patre in Sicilia Pro-Rege, Hieroſolymitanorum Equitum Ordini puer adhuc adſcriptus eſt. Humaniores autem literas ac juris documenta didicit in gymnaſio noſtro, quod conſtat ex documentis gymnaſticis (1), & refert poſt alios Oldoinus (2). Prior deinde Baruli renunciatus, Melitenſem inſulam adiit, in eâque militaribus officiis optimè functus claſſi Ordinis præfectus eſt. Evocatus Mantuam à Duce Guglielmo conſobrino, conſilio, & auctoritate rempublicam procuravit egregiè. Quamobrem Duce petente, Franciſco Cardinali Gonzagæ fatis erepto ſucceſſor in Purpura datus eſt à Gregorio XIII. An. MDLXXVIII. Cardinalis Diaconus tum S. Georgii, tum S. Mariæ in Coſmedin, Presbyter. à Sixto V. lectus S. Alexii, in ejus templo jacet è vivis ereptus Romæ XI. Kal. Januarii an. MDXCI. ætatis LI. 1591

CLV. JO. HIERONYMUS ALBANUS Cardinalis, nobili Familia progenitus Bergomi an. MDIV. quo etiam natus eſt Michael Ghiſlerius, poſtea Sanctiſſimus Pontifex Pius V., Patavii legibus navavit operam, laurumque Juriſprudentiæ conſecutus ex hac maximè claruit (3), claretque, vir cæteroqui aliis quoque ſcientiis inſtructus. Uxorem duxit, qua è vivis ereptâ, vitam deinceps cælibem coluit. Venetæ reipublicæ, quam ſummâ fide ac religione veneratus eſt, juſſis obſecutus diu laborioſum obiit munus, quod vulgo Generalis Collateralis appellant; mox Infortunium paſſus ex homicidio à filiis perpetrato, exilium in Illyrico toleravit per triennium, ab eoque redux ſe recepit in patriam: in qua cùm in detegendis, oppugnandiſque, qui tunc fortè ſenſim ſe inſinuabant, hæreticis Michaeli Ghiſlerio tunc ibi Sacris Quæſtionibus præfecto operam utilem præſtitiſſet, eam cum illo amicitiam iniit, quæ ipſi utiliſſima fuit. Nam ubi Michael ad ſupremum Sacrorum imperium evectus eſt, raro in amicitia exemplo, quod nobis hactenus experiri non licuit, memor pietatis ac ſapientiæ, quam in Jo. Hieronymo fidei orthodoxæ ſtipendiariam experimento cognoverat, eum Romam accitum Protonotarii Apoſtolici primùm honore, deinde Præfecturâ Picenorum, qui Anconæ degunt, decoravit; nec diu poſt in Senatum Purpuratorum legit. Geſſit hanc dignitatem Card. S. Suſanæ ſummâ cum laude, clarus in dicendis ſententiis facundiâ, gravitate, doctrinâ ſingulari. Deceſſit Romæ annis ſeptem octogenario major an. MDXCI. Sepulcrum habet extructum à filio cum Elogio, inſculpto lapidi cinerum ejus cuſtodi, in templo Deiparæ ſacro ad Portam Flaminiam. Plura de eo, undè hæc pauca deſumpſimus, Oldoinus (4) & Calvus (5). 1591

CLVI. GREGORIUS XIV. Pont. Max. ante Pontificatum *Nicolaus* Cardinalis *Sfondratus*. Franciſci Juriſconſulti clariſſimi, ac publici apud nos Profeſſoris, mox autem Card. filius, Cremonæ, cæſo matris in puerperio mortuæ ventre, ad vitam prodiit, tenui adeo ac tam imbecillâ corporis valetudine (6), ut, opus fuerit, totâ pueritiâ eum in goſſipio ſervare, nequa infeſti aeris injuriâ ad morbum ſonticum afflaretur. Adoleſcens robuſtiore corpore præditus à patre jam Cardinali Florentiam miſſus, humaniore literaturâ imbutus eſt; jamque par gravioribus diſciplinis, has primùm & in his maximè Juriſprudentiam deguſtavit Peruſiæ, pleniùs hauſit Patavii, ubi etiam 1591

lauream

(1) Matric. Sicul. apud Collect. Salom. (2) Tom. 4. ad Ciaccon. p. 64. (3) Sanſ. Diar. An. 1525. (4) ad Ciaccon. Tom. 3. p. 1063. 1065. (5) In Scena liter. Bergom. (6) Ceccarell. in Vit. Greg. XIV.

lauream V. I. conſecutus eſt ex Diario Sanſoni (1). Is annus Nicolao fuit ætatis vigeſimus, poſt quem primò quidem Mediolani Senator, geſſit rempublicam, deinde ad ſacram deflexit militiam, id quod ita intellige, ut Sacris ſeſe ordinibus mancipaverit; nam etiam anno ætatis XX., quo lauro Patavii redimitus eſt, *Abbas illuſtriſſimus* appellatur. Sacros igitur ordines iniit poſt Senatoriam dignitatem ſub auſpiciis S. Caroli Borromæi, cujus familiaris, & pro virili fuit imitator eximius. Hinc à Pio IV. vocatus ad gubernacula Cremonenſis Eccleſiæ an. MDLX. explevit ſedulò ſacri Paſtoris officium, acerrimus cuſtos Decretorum Concilii Tridentini, cui per triennium interfuit. Ex his notus commendatuſque Gregorio XIII. ad Purpuram abſens adſumitur Presbyter Cardinalis S. Cæciliæ. Vix Romæ receptis dignitatis inſignibus ad ſedem regreſſus eſt ſuam, ne quod abſentiâ ſua damnum fieret gregi ſuo. Verùm inde à Sixto V. abſtractus, & legationem obivit ad Allobrogum Ducem, & Romæ vixit in variis magniſque muneribus occupatus ad obitum uſque Sixti; detentuſque mox breviſſimo Urbani VII. Pontificatu, poſt propè bimeſtrem ſuffragiorum fluctuationem in comitiis, communi conſenſione ad Petri ſedem aſcendit Nonis Decembris anni MDXC. Quid in ea egerit, dabunt Pontificum biographi, & ex his Oldoinus (2). Sedit menſes X. Dies X. Obiit Idibus Octobris an. MDXCI.

1592 CLVII. HIERONYMUS Cardinalis ROBOREUS Taurinenſis nobiliſſimo genere natus, Ticini primùm, deinde Patavii, demum Lutetiæ Pariſiorum Franciſci II. Regis auſpiciis humaniores ac ſeveriores diſciplinas, & in his Juriſprudentiam coluit, cujus inter prolytas numeratur à Sanſono (3) propoſitis etiam argumentis, quibus ad examinis trutinam fuit in gymnaſio revocatus. Inclaruit inter Oratores & Juriſconſultos ſua ætate præcipuos. Colmerienſis Epiſcopus deſignatus à Rege, ab Allobrogum Duce ad infulas Taurinenſes accitus eſt, quo poſtea commendante anno MDLXXXVI. eum Sixtus V. collegio Cardinalium adſcripſit S. Petri ad Vincula titulo conceſſo, multiſque in curia muneribus & honoribus auxit. Eos non ultra ſexennium adminiſtravit numero vivorum exemptus in comitiis Innocentii IX. VII. Kal. Februarii an. MDXCII. ætatis LXII. non integro. Scripſit latinas Orationes multas, Gallicas aliquot; Minutiora quædam alia ab eo geſta prædicat Oldoinus (4).

1592 CLVIII. AUGERII GISLENII BUSBEQUII nobilis Flandri celeberrimum apud Philologos nomen eſt ex Epiſtolis Turcicis ſex, ex Conſilio de Re militari contra Turcas inſtituenda, ex deſcriptione itinerum ſuorum Conſtantinopolim, & Amaſeam, & ex oratione de bello Turcico curioſiſſimis rationibus redundante. Is natus Cominii in Belgio adoleſcens primùm Venetiis ſub Ægnatio, aliquandiu verò Bononiæ, diu denique Patavii ſub aliis viris doctis eloquentiæ operam dedit, Melchiore Adamo teſte (5), conſtatque tum ex Diario Sanſoni (6) hic eum laureatum, tum ex ejus Epiſtolis, & epiſtolis Bonamici, hunc illius præceptorem fuiſſe, illum ejus diſcipulum. Ætate grandior à Ferdinando Imperatore Viennam Auſtriæ accitus, ipſi & Maximiliano II. fidelem ſe miniſtrum, atque utilem præbuit, cujus filiorum quatuor Matthiæ, Maximiliani, Alberti, ac Wenceslai Archiducum Auſtriæ cuſtos, ephorus, ac morum formator datus eſt. Inde Legatus Cæſareus ad Solymannum Turcarum Imp. miſſus, regiam Orientis urbem in Europa, & Amaſeam in Aſia bis venit, itineriſque, ac legationis hiſtoriam ſuæ contexuit, ſimul rebus multis exoticis annotatis egregiè locupletavit, iis nimirum, quæ etiamnum eruditioni publicæ utiliſſimè ſerviunt. Nam & Animantium Orientis & Herbarum naturas inveſtigavit, eaſque Petro Andreæ Matthiolo noſcendas propoſuit. Excepit qua potuit diligentiâ, inſcriptiones Græcas, quas Cluſius à Buſbequio acceptas ad Janum Gruterum miſit, ac per eum univerſali operi Inſcriptionum inſeruit. Multa, quæ avehere minimè potuit, per pictorem peritum deſcripta retulit ad ſuos; & quod magis laudandum, pluſquam centum, cum Græca, tum latina in membranis calamo conſcripta volumina, bono publico intulit in bibliothecam Vindobonenſem. Byzantio regreſſus an. MDLXII. Iſabellam Auſtriacam, quæ Carolo IX. Regi Gallorum nuptui data eſt, duxit in Galliam an. MDLXX. fuitque ibi poſt hæc Rodulfi II. Cæſaris Orator. Ubi rediit Viennam, præcipuis Imperii officiis procurandis adhibitus, in iiſdem planè conſenuit. Septuagenarius tandem ſemeſtre ſpatium, quo patriam reviſeret cùm à Cæſare impetraſſet, per Normanniam in Belgium iter ingreſſus eſt. Verùm in vico quodam, dum ex itinere hoſpitatur, ex arce vicina irrumpentes nocturno impetu Milites nihil tale merentem abducunt, ſpoliaturi certè, mox occiſuri: ſed cùm ille, ſibi Legato contra Jus Gentium vim fieri, clamaſſet, illi territi, jam di-

(1) ad An. 1555. 2. Mart. (2) Tom. 4. ad Ciaccon. p. 217. & 4. (3) Diar. ad An. 1550.
(4) Tom. 4. ad Ciaccon. p. 161. & ſeq. (5) Vit. Juriſconſultorum. (6) in Diar. 1547.

Digitized by Google

jam diluculo proximo aufugiunt. Ille æger, & ex equo lapſus, cùm ſibi mortem imminere, & ſeni, & miſerè dudum à prædonibus divexato præſenſiſſet, deferri ſe juſſit in ædes vicinas Toparchiæ Maillocenſis, & in ſano D. Germani deponi, ubi poſt novem dies vivere deſiit an. MDXCII. ætatis LXX.

CAPUT XXX.

Jo. Vincentius Laurus Card. Hieronymus Ragazzonus. Annibal de Capua. Auguſtinus Mutius.

CLIX. DE familia & natalibus JO. VINCENTII LAURI, vel *Laurei* variè biographi & Scriptores elogiorum: alii eum Tropeæ natum tradunt in Calabria 1592 modicis ſed honeſtis parentibus (1), educatumque intra parietes domeſticos Caraſarum Nuceriæ Ducum. Alii, quos congerit Coletus (2), cum Rugerio Tritonio, Petramollatio, & Sgambatello, multa prędicant de antiqua ejus & illuſtri Familiâ, eumque natum Amanteę in eadem Calabria ſcribunt, patre Antonello in ea civitate patricii ordinis, matre Raymunda Milliareſia nobili Coſentina. Utrisliber adſtipulere, certum eſt eum Neapoli primùm literarum tyrocinium poſuiſſe; veniſſe deinde Patavium; atque hic ante annum ętatis vigeſimum miri adoleſcentem ingenii, miręque memorię, in omnibus, quarum ſe inſtitutioni tradidit, ſcientiarum facultatibus ita paſſim ſcripſiſſe, dictaſſe, diſputaſſe, ut Doctor haberetur antequam laurum emeritis diſcipulis concedi ſolitam reportaret. Hanc in archilyceo noſtro conſecutus (3) Romam profectus eſt receptuſque in familiaritatem Petri Pauli Card. Pariſii: huic, quòd alumnus Patavini gymnaſii clariſſimus eſſet, cariſſimus fuit. Eodem tempore inſinuavit ſe in gratiam Nicolai Gaddii, mox Franciſci Turnonii Cardinalium, denique in aulam penetravit Hippolyti Card. Areſtini, quem in Galliam Legatum à Latere ſecutus, mira dexteritate, ſed quam ſingularis opinio doctrinę commendabat, non orthodoxis dumtaxat, verùm etiam hęreticis ipſis amabilis, ac venerabilis fuit; eorumque plurimos ab erroris via ad ſemitam veritatis traduxit. Hinc ad obſequium Antonii Borbonii Navarrę Regis inter anfractus utriuſque Religionis lapſantis, ab eo ſummoperè expetitus, hortatu multorum, ac præſertim Jacobi Lainii, & Joannis Polanci Soc. Jeſu, adduci ſe paſſus eſt; atque optimum Principem ita monitis, ac ſuaſionibus in catholicæ fidei confeſſione confirmavit, ut ſe ab hæreticorum conſortio diſiunxerit, & in orthodoxæ Eccleſiæ ſinu, ex vulnere, quod pugnans adverſùs Heterodoxos acceperat, morti proximus, adſtante Vincentio Sacramentis ritè munitus obierit, quidquid ex Thuano & Mezerço deblateret propenſus ad hæreticorum patrocinium Teiſſerus (4). His factis meruit ſancti Pontificis Pii V., qui eum aliunde norat in D. Thoma Aquinate peritiſſimum, amorem, ac beneficentiam, ejuſque auſpiciis dictus eſt Montis Regalis Antiſtes, proximuſque in ea eccleſiâ Pii ejuſdem ſucceſſor (5): ſimul miſſus eſt Legatus ad Mariam Scotorum Reginam: à cujus congreſſu cùm eum hæreticorum perfidia per nefas abſtinuiſſet, dum regreſſus ad Subalpinos Eccleſiæ ſuæ ordinandæ animum adiicit, iterum Nuncius ad Filibertum Sabaudiæ Ducem, Pio eodem jubente, delegatur tantâ cum Subalpinorum utilitate, ut ejus efficaci ſedulitati tribuendum ſit, quòd hæreticis omnibus, indicto exilio, Italiæ finibus interdictum fuerit. A Gregorio XIII. ad Sigiſmundum Poloniæ Regem miſſus, hoc extincto, Henricum Valeſium ad Sarmatici Regni poſſeſſionem capeſſendam deduxit. Quo ad hæreditarium Gallorum imperium evocato, in eadem dignitate Apoſtolici Nuncii fuit apud Stephanum Bathoreum, ſed auctoritate ac gratia majore; quâ factum, ut Synodi Tridentinæ decreta, integrâ omnium ordinum approbatione, reciperentur; ac Romani Pontificis auctoritas & majeſtas apud Sarmatas creſceret. Revocato Romam impeditiſſimum illi negotium demandatum eſt, ut correctioni Kalendarii præeſſet; ejuſque ſtudio & curæ debet Eccleſia, quod opus illud perdifficile utcunque finem habuerit. Vix eo ſeſe extricaverat, cùm ire iterum Nuncius jubetur ad Carolum Emmanuelem, Filiberti filium, Sabaudiæ Ducem: atque ibi eum illa, quam tot laboribus emerat, tandem Purpura Romana contexit adlectum cum publicâ commendatione à Gregorio XIII., qui eundem & Scotorum patronum dixit, & omnibus Cardinalium cœtibus præfecit. Vixit deinde Romæ ſpectabilis omnibus ex

magni-

(1) Thuan. in Elog. Vir. Doct. C. B. Gerard, à Stochen. in Thuan. enucleato. Oldoin. ad Ciacc. T. 4. p. 89.
(2) ad Ughell. T. 4. p. 1094. 1095. ſub n. 18. (3) Sanſ. Diar. An. 1545. (4) ad Elog. Thuan. T. 2. p. 256. 257.
(5) Ughell. Tom. 4. p. 1092. n. 17.

magnificentiâ erga amicos, hoſpites, ac domeſticos, ex munificentiâ & largitate in pauperes, ex intimâ cum ſanctiſſimis viris amicitiâ. Quippe fertur peramanter ac familiariſſimè uſus Pio V. Carolo Borromæo, Felice à Cantalicio, Philippo Nerio, Ignatio Loyola, cujus ſacerrimum ordinem ad tutelam fidei, & ſcientiarum omnifariam gloriam natum, unicè dilexit. Ex eo ſibi Sacerdotem ab exhomologeſi perpetuò habuit: ex eo ſibi conſiliarios delegit, quorum prudentiâ in arduis catholicæ religionis negotiis uteretur. Hunc juvit reſignatis pinguibus ſacerdotiis, legatâque collegio Romano bibliothecâ, quam non mediocri ſumptu congeſſerat. Hujus denique Præpoſito generali Claudio Aquaviva adſtante, deſiit eſſe mortalis, cùm ante, moribundo jam corpore, fruſtra obſiſtentibus medicis, è lectulo ſurrexiſſet, adſumptâque ſenatoriâ Eccleſiæ purpurâ, flexis ad aram genibus, Divinum Euchariſtiæ ferculum ore tremulo recepiſſet. Obiit XII. Kal. Januarii prope ſeptuagenarius an. MDXCII. Sepultus eſt ad S. Clementis, cujus titulum gerebat, in breviſſimo Epitaphio, commendatus ſatis ex nomine. Conſtat, eum fuiſſe peritiſſimum linguæ Græcæ & Latinæ, nec Juriſconſultiſſimum ſolùm, ſed ut ſcribit Toppius (1) inſignem Theologum, Philoſophum, Rhetorem, atque Poetam. Scripſit Franciſci Card. Turnonii vitam elegantiſſimè,

1592 CLX. HIERONYMUS RAGAZZONUS Venetus, ſed, ſi credendum Guerrino apud Coletum (2), origine Bergomas, Patavinæ, ſcribit Ughellus (3), Academiæ alumnus, juvenis indole atque ingenio, literarumque præſidiis inſtructus, nondum exacto duodetrigeſimo ætatis anno, ab honorario cubiculo fuit Paulo IV. & Pio IV. Initiatus deinde tituloteuus Nazianzenus Epiſcopus, datus adjutor eſt Antiſtiti Famaguſtano in inſulâ Cypro: inde paulo poſt evocatus interfuit Synodo Tridentinæ, in qua inter viros eximiæ eruditionis inclaruit; eique propterea demandata eſt oratio habenda in Synodi fine, quæ ſummam pietatis, & eloquentiæ laudem apud omnes retulit, editaque eſt à Labbeo (4). Poſt peractum Concilium rediit in Cyprum & Famaguſtano Antiſtiti, quem adjuvabat, extincto ſuffectus eſt. Jamque ad leges Tridentinas cœperat Miniſtros Eccleſiæ ſuæ componere, cùm Selimus duxit in Cyprios. Quantâ virtute ac fortitudine obſeſſos Famaguſtæ cives ac milites in fide ac laborum patientiâ continuerit: quàm ſtrenuè in eo periculo, extremoque diſcrimine ſe geſſerit, leges in omnibus rerum Venetarum & belli Cyprii Scriptoribus, in primiſque in iis, quæ ſcripſit elegantiſſimè Gratianus. In ſumma ſuppetiarum neceſſitate, eùm nemo Venetias ire, eaſque deproperare auderet, Ragazzonus ingentis animi vir per mediam Turcarum claſſem viam invenit, ſeque incolumem patriæ reſtituit, quam dum urget ad opportunum auxilium, interim expugnatâ Famaguſtâ, totâque Cypro armis Selimi ſubactâ, ipſe aliquandiu hæſit Venetiis, ut mœrorem ex rerum publicarum ac ſuarum ærumna decoqueret. Profectus deinde Romam, ac titulo Chiſamenſis Eccleſiæ in Creta per Gregorium XIII. ornatus, Inviſendis Archiepiſcopatibus Ravennati, Urbinati, ac Mediolanenſi præfectus eſt, munuſque illud invidioſum atque difficile tam ſanctè, tam prudenter obivit, ut S. Caroli Borromæi & laudes & amorem meruerit. Hujus peculiaribus officiis commendatus ab eodem Gregorio ad Novarienſem Eccleſiam tranſlatus eſt, cujus tamen adminiſtrationem non obtinuit, Hiſpanis poſſeſſionem inficiatis Homini Veneto: quamobrem datus eſt Paſtor Bergomenſi Eccleſiæ anno MDLXXVII., ad quam profectus, conceptam de ſe omnium expectationem opere ac ſermone complevit; morum cenſor acerrimus, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ cuſtos diligentiſſimus, quam ad normam legum à Synodo Tridentinâ latarum exigendam eſſe aſſerebat; nec in aliis legibus ferendis laborandum eſſe: ſolitus Platonicum illud, quod etiam Tacito placuit, repetere: *in corruptiſſima Republica plurima leges*. Volumen, quod *Caſus Conſcientiæ* inſcribitur, ejuſque nomen oſtentat, vel ipſe conſcripſit, vel conſcriptum ab aliis ipſe edendum curavit pro Eccleſiæ Rectoribus. Pavit gregem ſuum verbo ſæpiſſimè, ſemper exemplo, præſertim peſtilentiâ graſſante an. MDLXXX. quo neque opibus, neque ſecuritati ſuæ pepercit, donec Gregorio jubente, Nuncius in Galliam profectus, difficillimis temporibus tum Pontificis, tum Regis Henrici III. gratiam promeruit: atque interim Lotharingiam Apoſtolicâ auctoritate inviſit, ordinavitque: inde regreſſus ſummis laboribus conflictatus eſt in illa tumultuantium armorum procella, quam hinc Guiſium fœdus, inde Regis auctoritas excitabat. Revocatus à Sixto V. quòd vera diceret, & hypocriſim ſpecie religionis juri Regio inſidiantem argueret, perfunctoriè honoratus, remiſſus eſt Bergomum; undè poſtquam per annos aliquot Eccleſiam adminiſtravit,

(1) in Biblioth. Neapol. (2) ad Ughell. T. 4. p. 507. ſub n. 66. (3) d Tom. 4. p. 505. n. 66.
(4) Concil. Tom. 14. p. 1659.

ſtravit, vir Deo carus, carus hominibus ab Innocentio IV. iterum Romam venire juſ-
ſus, corrigendis, emendandiſque, atque in primævam inſtitutorum ſuorum formam re-
vocandis Monachorum cœnobiis præpoſitus eſt; quo munere functus etiam ſub Cle-
mente VIII. dum ſe meritis admoveret emptæ tot laboribus purpuræ, immaturâ morte
deceſſit Romæ anno ætatis LVI. æræ communis MDXCII. Sepultus eſt ad D. Marci
cum elogio, quod inſcribendum Amici tumulo curavit Auguſtinus Card. Valerius.

CLXI. ANNIBAL DE CAPUA, Archiepiſcopus Neapolitanus, Vincentii Thermu- 1595
larum Ducis filius, ex eâ Neapoli familia nobiliſſima natus eſt, quæ uni ex cœtibus
patriciæ nobilitatis dat nomen ac titulum. Diu bonis artibus operam dedit Patavii,
condiſcipulus Torquati Taſſi, perpetuus mirator Speronii; ut ex ejus & horum Epiſto-
lis manifeſtum eſt. Jam candidatus titulorum Juriſprudentiæ, tumultuantium diſcipulo-
rum repentinas rixas exoſus, adoleſcens ingenuæ indolis & pacatiſſimi ingenii Patavio
diſceſſit, brevique Ticini moratus, ibi laurum doctoris, quam hìc meruerat, retulit.
Romam profectus apud Patres Societ. Jeſu Theologica penitus arcana pervaſit, evaſit-
que celeberrimus æquè Theologus ac Jureconſultus. Receptus inter eos, quos utriuſ-
que Signaturæ Referendarios vocant, & adſcriptus honorario aulicorum ordini ab ob-
ſequiis familiaribus fuit Gregorio XIII., cujus juſſu Apoſtolicus Nuncius primùm ad
Rodulphum Imperatorem, deinde ad Rempublicam Venetam, cùm parem ſibi apud
Principes & apud Pontificem gratiam comparaſſet, ne cogitans quidem ad Metropoli-
tanas patriæ inſulas provectus eſt an. MDLXXVIII. A Sixto V. imperatam Legationem
Polonicam ad Stephanum Bathoreum Regem ſuſcepit, quam ſummo ſplendore, ſum-
ptuque vel viribus majore, integro triennio adminiſtravit; jamque evocandus erat ad
Purpuram, cum hæc ei obitu Gregorii XIV. erepta eſt. Contulit ergo ſe ad Eccleſiam
ſuam, eamque beneficiis cumulavit, gubernavitque ſanctè adeo, ac ſapienter, ut mira
ſint, quæ de eo ad hoc ipſum & Ughellus narrat (1), & aliunde collecta lectori ex-
hibet induſtria laborioſa Coleti (2). Vir fuit ſapientiſſimus, facundiſſimus, & inter
clariſſimos Jureconſultos, ac Theologos numerandus. Apparent hæc ejus decora in
duabus ejus Orationibus editis, gratulatoria altera ad Rodulphum Cæſarem, altera
Parænetica ad comitia procerum Polonorum. Vidimus alia ejus doctiſſima ſcripta in
collectaneis Andreæ Eudæmonioannis, quo Theologo maximo Annibal familiariſſimè
utebatur: nempe Hiſtoricum de Converſione Anglorum octoginta, qui ſtudio PP. So-
cietatis è Calvini caſtris ad Eccleſiam orthodoxam transfugerant, ac Neapoli coram
ipſo hæreſim ſolemniter ejuraverant. Scriptum quoque Theologicum de Auxiliis Divi-
næ Gratiæ, quo, ſi quis alius, invictiſſimè pro ea, quam Mediam appellant, Scien-
tia pugnat, & dogma catholicum gratiæ ſufficientis ita tuetur, ut ſimul oſtendat,
nulla alia ſententia certiùs faciliùſve, ac ſine erroris diſcrimine defendi, conſtituive
poſſe. Obiit Neapoli IV. Nonas Septembris an. MDXCV. Plura de eo relati Scripto-
res, & apud illos Marcianus (3), Torquatus Taſſus (4), Stanislaus Reſcius (5),
Chioccarellus (6), Sanſovinus (7), Baptiſta Rinaldus (8).

CLXII. AUGUSTINUS MUTIUS Bergomas clari generis (9), Patavii Philoſophiæ
primùm ſe ſtudioſiſſimum præſtitit, quam cùm parumper deſtituiſſet, ut Juriſprudentię 1595
operam daret, hanc ſtatim deſeruit, ut ſe Philoſophię iterum reſtitueret, cujus partes
ac dogmata cùm curioſiſſimè percurriſſet, ſcrutatus placita Triſmegiſti, Pythagorę,
Platonis, Arabum quoque, atque Italorum Lulli, ac Mirandulani, horum doctrinam
propoſitis theſibus nongentis publicè propugnavit in templo principe Patavino: inde
ad Juriſprudentiam rediit, gymnaſticis ordinibus venerabilis, tantique habitus, ut om-
nium ſuffragio Juriſconſultorum Rector an. MDLVIII. lycęo noſtro prefuerit (10). Ro-
mam profectus ſuę virtutis famâ curiam implevit, ex eo quoque, quod linguarum
Gręcę, Latinę, & Hebraicę peritiſſimus, ſeveriores diſciplinas, quas doctor profiteba-
tur, eruditionis exoticę deliciis miteſcere, & vel delicatis ingeniis placere, docuiſſet.
Obiit circa finem ſęculi XVI. Annus emortualis ignoratur. Edidit Axiomatum librum,
quo Encyclopędiam complexus eſt.

(1) Tom. 6. p. 163. n. 53. (2) ad Ughell. ibid. p. 164. 167. (3) Tom. 2. lib. 1. c. 4. p. 16.
(4) in Rinaldo Cant. 8. ſtr. 10. & in Epiſt. (5) Ep. 49. p. 467. (6) pag. 349. 352. (7) in Famil. Capua p. 34.
(8) in Academicis P. 1. (9) Calvus Scen. liter. P. 1. p. 9. (10) Catal. Rect. Operis P. 1. lib. 2.

CAPUT XXXI.

Torquatus Taſſus.

1595 CLXIII. TORQUATUM TASSUM, quo clariſſimo inter omnes alumnos ſuos Patavinum gymnaſium ex merito gloriatur, vix eſt in literato, & illiterato populo quiſquam, qui non norit. Ejus acta ſcripſere multi, Manſus, Tomaſinus, Barbatus, Teiſſerus, ii omnes, quos congerit nova operum ejus editio Venetiis: ornaverunt illum elogiis, Thuanus, Imperialis, Craſſus, Menagius, Balzacus, Tollius: in illum, aut pro illo ſcripſere poſt Balzacum atque Menagium, Rapinus, Dempſterus & Boccalinus, ut ipſi coævos prætercam, & in his Benium. Hinc ſupervacaneum ſit de eo multa proponere, qui vel de nomine notiſſimus eſt, præſertim cum hoc ipſo tempore ejus Opera cum vita, & ſcriptis apologeticis recudantur, iiſque lectis, quiſque, undè virum tantum agnoſcat, atque ſuſpiciat, præſto ſit habiturus. Pauca proinde, quæ ad hiſtoriam pertineant, delibabimus, non quò notitiam notiſſimi faciamus, ſed nè propoſito deſit, quod illi ſpopondimus. Ut de Taſſi patriâ multæ olim urbes certaverint, jampridem conſtat (1), eum, origine nobili Bergomatem, natum Surrenti in urbe Picentinorum maritimâ patre Bernardo, & ipſo alumno gymnaſii noſtri, & ſcriptore nec ſuâ ætate ignobili, & adhuc noto. Exul à patria Salernitani Principis à ſectetis ex Porciâ Rubea nobili Neapolitana uxore hunc filium habuit an. MDXLIV. V. Idus Martias. Ferunt illum ſexto ab exortu menſe infantem eſſe deſiiſſe, claréque cœpiſſe fari, atque intra tempus infantiæ ploraſſe raró, riſiſſe nunquam: trimulum ad ludum elementarium iiſſe, quadrimum frequentaſſe Scholas Societatis Jeſu Neapoli: ſeptimo ætatis anno feciſſe verſus, ac publicè pro roſtris gymnaſticis declamaſſe: annorum novem puerum idoneum viſum ſacris Synaxibus, magiſtrorumque permiſſu animum ritè expiatum cœleſti dape refeciſſe; ac præcocis adeo & rapidi in addiſcendis, quæ docebatur, ingenii fuiſſe, ut intra duodecimum ætatis annum humanioris literaturæ fines egreſſus logicas tricas inierit, & explicarit. Cùm poſt hæc patri Salernitani Principis fortunam ſecuto regnô Neapolitano fuiſſet interdictum, cum patre Torquatus Romam venit, ubi aliquandiu moratus ſub Mauricii Cattanei Bergomatis auſpiciis ultrò in mollioribus literis excolendis perrexit, dilexitque præ reliquis Muſas, & quidem Italicas, quibus nondum legitimę ętatis adoleſcens litare cępit. Nam patre ad Mantuani Ducis arcana participanda evocato, Mantua Patavium miſſus eſt, ut in gymnaſio noſtro daret operam Juriſprudentię. Hac, quam averſabatur ex animo, ne paterno deeſſet obſequio, incurioſè tractata, totum ſe humanioribus diſciplinis permiſit Speronio, Sigonioque Doctoribus, quos audiebat aſſiduè, colebat impensè, ſtudiorum ſuorum duces decreverat. Quantum ex his ad eruditionem, facundiam, elegantiam, dicendique ac ſcribendi nitorem profecerit, dicent ejus, quę nota ſunt omnibus, ſcripta. De ſuo vim acuminis addidit, majeſtatem ſtyli, vigorem ac ſpiritum, & alacritatem illam planè mirabilem, quam pręceptores, ut procaciſſimi pędagogi ſint, ſignare fortaſſis diſcipulis ſuis poſſunt, inſpirare non poſſunt. Fertur Patavii conſcripſiſſe, atque edidiſſe Rinaldum Poema Heroicum, quod, ingenti cum plauſu exceptum, nomen illi fecit inter poetas ſuę ętatis egregios; notaruntque non pauci, ea ibi ſemina ſublimis ingenii eſſe, quę ad faſtigium Poetices adoleſcerent. Certè ſi Longinus aſſeruit (2), Odyſſeam opus eſſe ſenis, ſed ſenis, qui eſſet Homerus; jure Menagio ſcribere licuit (3), Rinaldum opuſculum eſſe adoleſcentis, ſed adoleſcentis, qui Torquato Taſſo pręluderet. Patavii quoque cępiſſe eum in Gottifredo, ſeu Hieruſalem Liberata laborare, tradit Tomaſinus (4), idipſumque confirmare videtur Laurentius Craſſus (5), cùm refert à Taſſo cogitatum de celeberrimo illo carmine Vitę anno vigeſimo, quo exacto diſceſſit Patavio. Obierat enim tunc mater, quam pater non longo intervallo ſecutus eſt. Horum interitu, ſui juris filius effectus, vindicias ſibi pro libertate dixit adversùs Juriſprudentiam; jamque ſatis imbutus inſtitutionibus Legalibus, Philoſophicis, Rhetoricis, cęteriſque ad eruditionem pleniſſimam pertinentibus, Bononiam profectus eſt, non quò diſceret, ſed ut patrocinio Donati Antonii Cęſii, qui deinde in ordinem Purpuratorum adlectus eſt, rebus conſuleret ſuis. Ab hoc traductus Romam, jamque ex Rinaldo, aliiſque carminibus clarus venit in clientelam, tum Scipionis Gonzagę, tum Aloyſii Aeſtini Card., cui Rinaldum dicaverat, & quo munificen-

tiſſimo

(1) Vid Ghil. Theatr. Vol. I. p. 31. 32. (2) lib. de Sublimi. (3) Præfat. in Amyntam.
(4) Vit. Torq. Taſſi. (5) in Elog

tiſſimo Mecænate uſus, in aulam Ferrarienſem irrepſit. Hanc adiit dudum annum vigeſimum ſecundum egreſsus, evocante Alfonſo II. nunciis literiſque crebterrimis: atque in ipſo Ferrariæ ingreſſu, quaſi jam laureatus Poeta ſpectaculo omnibus fuit, quorum occurſu, plauſuque, & laudibus in aulam deductus eſt. Ibi primam partem carminum edidit, & libros aliquot Liberatæ Hieruſalem concinnavit, quos mox, Aloyſium Cardinalem Legatum in Galliam comitatus, pluribus legit, tanti ab auditoribus factus, ut eum Carolus IX. famæ plaudentis rumoribus excitus, honoribus ac beneficiis minimè vulgaribus cumularit. Quamobrem falſum eſt quod Tollius narrat (1), Taſsum Pariſiis mendicaſse, ac in Italiam poſt annum moræ, quam Galliis impenderat, eâdem, quam Pariſios attulerat, cum veſte rediiſse. Regreſsum Ferrariam melancholicus ex humorum vaporibus morbus invaſit (2), cui cùm parandum eſset ex Medicinâ remedium, cauſas propiores addidit aſſiduus lucubrationum, tum proſâ, tum verſu labor. Nam intra trigeſimum ætatis annum, quæ diſſeruit, ſcripſitve, pleraque ad umbilicum deduxit, in primiſque Liberatam Hieruſalem, cui jam per decennium inſudaverat. Hanc tunc ille typographis tradidit, excepitque opus illud eximium tantâ omnium approbatione doctorum natio, ut non defuerint, qui certo judicio cenſerent (3), eo poemate factum, ut quemadmodùm Taſſo præripuerat Virgilius, ne primus eſſet; ita Taſſus Virgilio objecerit aliquid, quo ſolus non eſſet. Et tamen prima carminis illius editio tam deformis, trunca, perturbata fuiſſe dicitur, ut Equiti Baptiſtæ Guarino operæ pretium ſuæ viſum ſit, partem in illud Cenſoris aſſumere, non ut additis, detractiſve plurimis emendaret; id, quod falsò putarunt quidam; ſed ut recenſitis ad authographum, quod habebat, verſibus, opus illud ex re & Auctore prorsùs heroicum nativo nitori, & integritati, quam nunc habet, reſtitueret; quemadmodum datâ ad hoc ipſum Epiſtolâ planè comprobat Patavini collegii doctor Theologus (4), in Patavino ſeminario ſtudiorum præfectus, clariſſimus Orator, & de latinâ facundiâ optimè meritus, noviſſimè ad Logicæ publicam exedram evectus, & ad majora, ex quibus gymnaſium noſtrum illuſtret, provehendus Jacobus Facciolatus. Quo tempore Liberatam Hieruſalem cudebat, ni dicas ante, quod autumant alii, Amyntam fabulam paſtoralem Torquatus edidit. Quanti eam fecerit ejus ætas, atque etiam num noſtra faciat, notum eſt; noſque inferiùs id explicabimus, quod ſentimus. Hic illud notandum venit, ex plurimorum ſententiâ, in eâ tabulâ poetam ſuos amores expreſſiſſe, quos ſuâ fortuna majores conceperat erga Sororem Alfonſi Ducis Eleonoram. Hinc illi malorum omnium origo, & quædam intemperies mentis, quæ degeneraverit in amentiam. Nam cùm amores hos, quos occultabat, proditos ab aulico quodam fuiſſet ſuſpicatus, hominem provocavit ad ſingulare certamen (5), ſtrictoque gladio depugnantem Poeta ex furore ſtrenuus vulneravit. Statim ex eo crimine reus in carcerem raptus eſt, atque ibi furere manifeſtiùs cœpit, nullo tamen cum damno poetici ſpiritus, ut non deſint, qui ſcribant, exiſtimatum à multis, lemure familiari dictante plura ſcripſiſſe furioſum, quàm compotem ſui. Poſt annos carceris aliquot, fugâ opportunè initâ eluſit cuſtodes, mentituſque veſtis, linguæ, & oris ſpeciem, miſer, inops, & vagus penè totam Italiam peragravit, ſolitus pernoctare ſub dio, horrere ſodales, cavere ab hoſpitibus, ne in Divorum quidem verendis ædibus ſe tutum putare, donec tandem apud Subalpinos agnitus eſt, & Auguſtam Taurinorum deductus aliquantiſper reſipuit, calamumque in Ateſtinos Principes clam palam armavit. Multa ibi ſcripſit, & edidit; &, ſi Calvo credendum eſt (6), apud Allobrogas dialogos illos conſcripſerit, quos jure dixeris eſſe opulentiſſima Ethicæ Philoſophiæ promptuaria. Sed ut per aliquod tempus ab amentiâ quadantenus liber Taurini vixerit, in eundem morbum recidit iterum circa annum ætatis ſextum atque trigeſimum, erravitque fugitivus iterum aliquandiu, donec Alfonſi curâ captus, reductuſque Ferrariam in S. Annæ noſocomium conjectus eſt, ut efficacioribus remediis ſanitati certiùs reſtitueretur. Decennium impenſum curationi, quæ felicem exitum habuit. Nam perſanatus ex toto eſt, precibuſque Vincentii Gonzagæ Mantuani Ducis datum, quod aliis plurimis efflagitantibus denegatum erat, ut liber Ferrariâ diſcederet. Poſtliminio receptæ & ſanitatis, & libertatis Mantuam venit, inſtructuſque munificentiſſimi Principis liberali ſubſidio, inde Neapolim profectus, cùm rem domeſticam, quæ fiſco ceſſerat, recuperaſſet, ibi pacatiſſimè vixit, ſed & laborioſiſſimè: dum pluribus apologiis adversùs Academicos

(1) Append. ad Pier. Valer. de infelic. literat. (2) Vid. Auguſt. Fauſtin. in App. ad hiſt. Ferrar. Gaſp. Sardi. Menagium in Amynt. p. 163. & ſeq. 202. & Balzac. in Colloq. (3) Vid. Balzac. in Oper. diverſ. (4) in Edit. Taſſi noviſſim. Venet. Tom. 1. p. 397. (5) Vid. Menag. in Amyn. p. 263. (6) Scen. liter. deſcript. Bergom.

Florentinos tuetur Poema ſuum, de quo Critici ſequiores multa ſcripſere (1); vera quandoque, plerumque falſa, iniqua ſemper, & ex indole livoris inepta. Nam tametſi aliquando luxuriet, & morem deſerat, ut indulgeat ingenio; utque delectet molle quid ſapiat, &, ut videtur, laſciviat, tamen ſi totum expendas, & opus ex integro judices, unitatem, aptamque partium compagem in fabulâ, opportunas in Epiſodiis delicias, gravitatem orationum in concionibus, vim in deſcriptionibus præliorum, ſublimem ſpiritum carminis ac ſtyli conſideres, næ tu, ſi ſapis, nec te pædagogorum natio iners cæcutire in luce meridiana cogat, dices Torquatum ex hoc admirando poemate, ut fortè ſit latinis & Græcis minor, inter Epicos Italos maximum eſſe. Nec de illo aliter ſenſit ætas ejus, cùm, quam uni Petrarchæ Roma olim ſerið decrevit, poeticam laurum, huic quoque decreverit. Eam relaturus à Cynthio Aldobrandino accitus in Urbem venit; ne illam reportaret, interceſſit mors invida, quæ vatem victurum æternùm terris abſtulit an. MDXCV. ætatis LII. Ejus exuvias habet D. Onuphrii templum in Urbe, quà Vaticani colles incipiunt. Addita eſt brevi tumulo brevis epigraphe.

D. O. M.
Torquati Taſſi
Oſſa hìc jacent.
Hoc ne neſcias Hoſpes,
Fratres hujus Eccleſiæ
Poſuerunt.
Anno MDCI.
Obiit Anno MDXCV.

Adjecit luculentiorem aliam Bonifacius Card. Bevilaqua, aliam appoſitam nuperrimè, dicunt juſſu Clementis XI. P. M., qui dudum abiit ad plures. Scriptorum Torquati Taſſi prolixus eſt index. Eum leges apud Tomaſinum ex parte (2), uberiorem apud Teiſſerum (3), uberrimum apud Calvum (4). His plura dabunt typographi Veneti, apud quos lectorem delegamus. Ea tantùm recenſuiſſe ſupererit, quæ legimus. Legimus autem,

Rinaldum Poema Heroicum.

Hieruſalem Liberatam ſeu Goffredum.

Partam armis Hieruſalem, ſeu recuſum Opus ad Furfuraceorum, obtrectatorumque placandam invidiam. Quod tamen ne ipſe quidem uſquequaque probavit, nec ſanè probare poterat, aut probari poſse, docuit poſteritas. Ferunt autem, cùm adoleſcens quidam à bibliopola petiiſset, ut ſibi Taſſi Hieruſalem venderet, atque ille interrogaſſet utram vellet, liberatam ne, an armis partam? reſpondiſſetque Emptor, à ſe utique eam peti, quam Author emendatam edidiſset; præſentem tunc fortè in officina libraria Torquatum, auctorem juveni ſuiſse, ut primævam, & liberatam præ recuſa præſtinaretur; cùmque ille altercaretur, quippe qui de facie Taſsum non noverat, ſiſiſse hunc, ac dixiſse: næ tu, bone, pervicax es, qui neque judicio plurium acquieſcas, neque Auctori ipſi Liberatæ Hieruſalem, qui hęc tibi coram ſuadet, fidem pręſtas. Agnitum ex his à juvene Taſsum miris ſuiſse officiis & laudibus cultum, rogatumque, ut quod dabat conſilium ſua manu in fronte libri ſignaret, annuiſse. Teſtaturque Tomaſinus (5), ex quo hęc ſcribimus, vidiſse ſe ipſam ſubſcriptionem manu Taſſi in eo libro exaratam, quam inſtar gemmę, nullo redimendę pretio, in ſua bibliotheca ſervabat V. Clar. Felix Oſius.

Hexahemeron carmine expoſitum.

Torriſmundum Tragœdiam, quod opus inter ſua deterrimum fatebatur ipſe Taſsus.

Amyntam Paſtoralem Fabulam, de qua Critici mira. Ajunt, hanc Fabulam omnium hujus generis abſolutiſſimam eſse, imò & omnium Taſſi Poematum principem, vel ipſius Taſſi judicio. Ex eâ, ſi quid ſapit, in ſimiles fabulas editas à Baptiſta Guarino, & Guidone Ubaldo Bonarello defluxiſse, quos plagii quoque Boccalinus arguit (6), cùm Satyricè fabulatur, Italos Poetas, effractis Taſſi ſcriniis, hoc illi Poema præſtantiſſimum ſuffuratos, inter ſe diviſiſse; & ne furto ſe teneri quis diceret, in ædibus imitationis perfugium ſibi & aſylum quęſiviſse. Sed hęc aut dicuntur gratis, aut Critices dicacioris

(1) Vid. Teiſſ. in addit. ad Elog. Thuan. T. 2. p. 284. (2) Vit. Taſſi in fin. (3) ibid. p. 187. 188.
(4) ibid. in fin. (5) Vit. Taſſi. (6) in Nunciis Parnaſſi cent. 1.

Digitized by Google

dicacioris apinæ tricæque ſunt, habendæ teruncii. Conſtat, ut Amyntas pulcherrimum Taſſi opuſculum ſit, ut ſilveſtrium fabularum ſpecimen primum Italis ſcenis præbuerit, ut elegantiſſimè fluat, ac nitidiſſimè amores ingenuos inſinuet, quæ omnia nemo, niſi planè rudis, & imperitus, inficias ibit: Taſſum attamen non ex hoc, ſed ex Goffredo Poetarum Principem Italorum cenſeri, quo uno, omnium univerſim judicio, quæ hìc pro Amyntâ jactantur, Critici emunctæ naris excutiunt, quibus fidejuſſorem ſe dat Taſſus ipſe, ſi vera ſunt, à biographis ejus propoſita. Nam Tomaſinus refert (1), lectum à Taſſo Paſtorem Fidum, abjectum conculcatumque, atque unà exclamatum: eò quæſitam Amyntæ ſuo gloriam ereptam: ſed hoc ſibi ſolatio eſſe, quod opus à ſe intra menſem decimum concinnatum ab opere, cui conſcribendo decennium Guarinus inſumpſerat, vinceretur. At Barbatus (2), & Manſus (3), his planè diſſimularis, narrant, affirmaſſe Taſſum, lecto Paſtore Fido, ſe mirificè delectari, nec tamen delectationis iſtiuſmodi cauſas ſatis intelligere: cui cùm quidam repoſuiſſet, id prorsùs ex eo ipſi contingere, quòd ibi multa ex Amynta deſumpta videret: Reſpondiſſe Taſſum: At nemo gaudeat, ſuâ ſi alieni juris facta cognoſcat. Quo utroque effato, utrunque, ſi ſapimus, conſtituitur: nec præcipuum Poetæ decus ex Amynta eſſe, nec Amyntâ quicquam gloriæ Paſtoris Fidi Fabulæ detrahi: in quâ ſicubi furtum malignitas vidit, ea ſanè quid ſit inter furtum, imitationem, & æmulationem diſcriminis minimè viderit. De hoc Firmi nos olim intra Rhetorum ſcholam, poſt Cardinalem Pallavicinum in Arte Styli, uberrimè diſceptavimus: illud hìc annotaſſe ſuperèrit, quo certiùs clariorum Taſſi Poematum pretium habeatur.

Præter hæc legimus *Odas*, *Rhythmos*, *Lyrica Carmina* multa, *Diſſertationes*, *Orationes*, *Dialogos*, *Tractatus*, *& Epiſtolas*, quas referre longum ſit, & dum hæc omnia Venetiis recuduntur, ſupervacaneum.

C A P U T XXXII.

Jo. Franciſcus Maurocenus Card. Franciſcus Cornelius Card. Gregorius Tradelius. Paulus Paruta. Paulus Ramuſius. Laurentius Priolus Card.

CLXIV. JO. FRANCISCUS MAUROCENUS Cardinalis, ſenatoriæ, atque inter 1596
Senatorias ſereniſſimæ familiæ, ac Venetæ Reipublicæ decus, Petro patre natus, eodem Præturam gerente Patavii an. MDLIII. & ſequenti bonarum artium ſtudia in hoc gymnaſio adoleſcens iniit, fuitque deinceps Joannis Cagnoli auditor, & M. Mantuæ diſcipulus, à quo laurum doctoris accepit (4). Redux in patriam, cum ob nobilium diſciplinatum ſcientiam, tum ob animi dotes miras, atque ſummas Veneti Senatûs delicium fuit. Crebris pro patriâ legationibus apud ſummos Principes functus, nondum exactâ virilitate, dum Orator erat Conſtantinopoli, à Gregorio XIII. deſignatus Brixienſis Epiſcopus eſt. Eam illi regreſſo Conſtantinopoli dignitatem Sixtus V. decreto ſuo ſancivit anno MDLXXXV., & ad Gallorum Regem Henricum III. Legatum extra ordinem ire juſſit. Re ex voluntate Pontificis apud Gallos tranſactâ, tanti apud Sixtum fuit, ut abſens ad Purpuram Romanam provectus fuerit anno MDLXXXVIII. Auctus hoc honore aliquandiu legationis munus retinuit, mox ad curiam regreſſus graviora negotia unus expedienda ſuſcepit, explicavitque, inde ad Eccleſiam ſibi creditam profectus, dum ibi collapſam diſciplinam Sacrorum reſtituere ſatagit, pertinaci febris æſtu tentatus, cunctis mœrentibus, nondum plane ſexagenarius occubuit an. MDXCVI. Plura de eximio Præſule, & viro graviſſimis comparando dabit poſt Ughellum (5) Oldoinus (6), quæ compendio ſignantur Epigraphe exuviis ejus impoſita Brixiæ, in templo primario, undè illam idem Ughellus exſcripſit.

CLXV. FRANCISCUS Card. CORNELIUS junior apud nos, & in gymnaſio no- 1598
ſtro plurium ſcientiarum ornamentis enituit, Philoſophus, Theologus, ac I. V. Doctor (7). Abbas primùm S. Bonæ reſignanti Georgio patruo inſulas Tarviſinas ſuffectus eſt. Has geſſit ſummâ cum utilitate gregis à Deo ipſi commiſſi. Romam deinde profectus, & à Clemente VIII. Clericus in Quæſtura Apoſtolicâ lectus, adlectus mox eſt ab eodem, adſcriptuſque Purpuratorum Collegio an. MDXCV. Presbyter Cardinalis S. Martini in Montibus. In eâ dignitate vix biennio vixit, deceſſitque Romæ VII.

(1) Vit. Taſſi. (2) Vit. Taſſi. (3) Vit. Taſſi. (4) Diar. Sanſ. An. 1557.
(5) Tom. 4. p. 264. n. 102. (6) ad Ciaccon. Tom. 4. p. 196. (7) Sanſ. Diar. An. 1571.

Kal. Maii Anno MDXCVIII. ætatis LI. Sepultuſque eſt ad S. Silveſtri cum Epitaphio. Laudes optimi Principis delibat Oldoinus (1). Elogium illi poſuerunt in marmore non ſine publico luctu Tarviſini.

Franciſco Cornelio Patricio Veneto
S. R. E Cardinali Ampliſſ.
De Tarviſina Diœceſi ab illo
Veluti à Patruo Georgio Epiſc. ſuis recta
Atque adjecta longe opt. merit.
Can. Collegium, tota Presby. Famil Univer.
Denique Civitas, animis lugent.
Religioſiùs erexere
An. Salutis noſtræ MDLXXXXVIII.

1598 CLXVI. De GEORGIO TRADELIO Auguſtano, qui magni nominis & ſingularis eloquentiæ Juriſconſultus exeunte ſæculo XVI. claruit in Germaniâ, fuitque alumnus noſtri gymnaſii, auctore Melchiore Adamo (2), hic idem hæc tradit. Natus eſt Dilingæ Senatore oppidi patre, fortunæ tamen mediocris. Educatus à patruo adhuc pupillus, rerum, quæ ad forum pertinent, in illâ ætatulâ admodum peritus viſus eſt evaſiſſe vi miræ memoriæ, quâ quicquid legerat, audierat, viderat, retinebat. Nec dum Ephebis exemptus patrui liberalitate & Auguſtanæ civitatis pio, ac civibus pauperibus deſtinato ſtipendio fultus, Patavium miſſus eſt, ut in gymnaſio florentiſſimo Juriſprudentiam addiſceret. Hic ille pertinaci ſtudio, brevi tempore in tantum profecit, ut acclamatione publicâ commendatus lauream fuerit glorioſiſſimè conſecutus (3). Addit Adamus (4), eum à celeberrimæ noſtræ Academiæ primariis Anteceſſoribus, æquiſſimis alienæ virtutis æſtimatoribus, ad enarrandas Inſtitutiones Imperiales *Cathedrali* dignitate fuiſse vocatum, eoque munere ultra biennium functum: id quod non auſim recipere, cùm nullus in monumentis noſtris adſit idoneus teſtis, quo Tomaſini negligentia, Riccoboni ſilentium reprehendatur. Fortaſſis ex iis fuerit aliquis, qui more vetito ſemper, at & uſurpato ſemper, privato lucro diſcipulos exercendos à Profeſſoribus publicis recipiunt. Natali ſolo reſtitutus, ac ductâ uxore Ingolſtadii, clarere cœpit mirum in modum, atque adeo, ut adſcriptus omnibus Germaniæ tribunalibus, & de omnibus cauſis undequaque conſultus, denique à nobiliſſimis Ordinibus expetitus certatim, vix haberet in medio, quod eligeret. Prætulit attamen reliquis amorem patriæ, ſeque obſequiis & officiis Auguſtanæ reipublicæ libens addixit. In hac rei publicę advocatus, & ejuſdem à conſiliis, qui tituli magnifici ſunt in eâ gente, cauſis civitatis ſummâ cum laude ſapientiæ, & integritatis gloriâ præfuit. In eâdem Senator fuit, miſſuſque ad ſolemnes Ordinum Imperii conventus Legatus, feliciter ſemper patriæ utilitati conſuluit: ſæpe adhibitus ad graviſſima negotia expedienda à Senatu Suevico, penè ſemper in tuendis comitum rebus occupatus, & fori miles invictus. Denique prope ſeptuagenarius cùm collega Senatorum Auguſtanorum legationem obiret in comitiis Imperii an. MDXCVIII. Ratiſbonæ ex doloribus calculi vivere deſiit. Corpus ejus, proſequentibus Principum Imperii Legatis, ſolemni comitatû ad Portam Ratiſbonæ Auguſtam delatum in ædem primariam Deiparæ Virginis illatum Epitaphio decoratum eſt, quod prolixum leges apud Freherum (5), à quo multa ejus recenſentur ſcripta, ac duo præſertim denſiſſima Reſponſorum in Jure volumina.

1598 CLXVII. PAULUS PARUTA Venetâ gente patriciâ ſed Lucâ oriundâ, ut multis probat Apoſtolus Zenus in ejus vita (6); patre Joanne Venetiis natus eſt pridie Idus Majas an. MDXL. Liberalibus literis inſtitutus in patria, cùm per ætatem licuit ad graviores Patavium venit, ubi Moralem Philoſophiam & hiſtoriam audivit à Sigonio (7), & Robortello (8), Naturalem à Marco Ant. Genua, Theologiam ab Adriano Valentico. Juriſprudentiæ quoque operam dedit Marci Mantuæ diſcipulus, ut hic habet in catalogo diſcipulorum ſuorum è gente patricia. Redux Venetias quietis, & docti receſſus amans Rempublicam non attigit uſque ad annum ætatis circiter quadrageſimum; id quod contra Craſſum (9) probat laudatus Zenus (10). Hoc ſui receſſus tempore

(1) Tom. 4. ad Ciaccon. p. 294. (2) Vit. Juriſconſultorum German. (3) Diar. Sanſ. An. 1553.
(4) loc. cit. (5) Tom. 2. P. 2. Sect. 4. p. 944. (6) Præfixa T. 3 edit. Venet. Hiſtor. p. 2. n. 3. 5.
(7) Salom. Inſcrip. Gym. (8) Zenus ibid. p. 6. n. 7. (9) in Elog. c. 59. (10) ibid. p. 10. n. 13.

tempore Paulus domi Academiam nobilium virorum aperuit, atque unà ſubſecivis temporibus ad mores exterarum gentium aulæque Cæſareæ pernoſcendos ſe comitem dedit Legatis Venetis ad Cæſarem Ferdinandum, & Maximilianum II. Romanorum Regem, ex itinere autem Tridentum inviſit, ubi tunc OEcumenica Synodus habebatur. Inde regreſſus Venetias uxorem duxit, ex qua filios quatuor habuit, Senatores ampliſſimos Joannem, Marcum, Laurentium, & Franciſcum, in cujus filio Paulo avi clariſſimi poſteritas deſiit. Jam is annum ætatis attigerat quadrageſimum, cùm primùm ad gerendam rempublicam acceſſit, dudum clarus ex doctrinæ ac facundiæ famâ, quam orationibus editis, bello Cyprio deſcripto, Politicis inſtitutionibus ad vitæ perfectionem expoſitis comprobaverat, merueratque, ut XVirali decreto Reipublicæ Venetæ hiſtoricus Aloyſio Contareno Equiti ſufficeretur. Ergo honorum iter ingreſſus an. MDLXXX. emenſuſque curriculo præcipuos, rebus ubique ſapienter ac feliciter geſtis, ad ſummos plenis patriæ ſuffragiis evectus eſt. Nam & in Sapientiæ majoris collegium cooptatus, & in Senatum lectus, & literarius Triumvir, & ad negotia publicæ quieti ac utilitati perneceſſaria Cadubrium delegatus, ſubjectis quoque populis, peculiari poteſtate jus dixit Brixiæ Præfectus: undè Romam Orator miſſus ad Clementem VIII. ſui nominis gloriâ aulam, mirari non niſi maxima ſolitam, compulit ad Venetæ virtutis atque prudentiæ admirationem. Ex hac Pontifici Max. charus, & ad conſilia in rebus difficillimis adhibitus, decori patriæ, chriſtianæ paci, religionis commodo, gravitate, integritate, facundiâ Romæ militavit; retulitque Equeſtria ornamenta, quæ Senatus auxit purpurâ Marcianâ. Hac latè conſpicuus tribus eodem anno legationibus honorariis obeundis Senatuſconſulto addictus eſt: quarum alteram ad Clementem VIII. in recuperatâ Ferrariâ degentem geſſit, alteram ad Albertum Archiducem Auſtriæ per ſubjectam Veneto imperio ditionem in Hiſpaniam proficiſcentem. At ne tertiam ad Philippum III. Regem Hiſpaniarum, cui gratulandum erat ob initum recens imperium, obiret, obſtitit mors præmatura. Eodem enim anno MDXCVIII., quem vitæ quinquageſimum nonum numerabat, exceſſit è vivis VIII. Idus Decembris ad D. Pantaleonis conditus cum Elogio, quod enucleatius complexum hæc ipſa, quæ compendio, ex inſtituti noſtri propoſito dedimus, reperies in vita ejus (1), ſimul viri tanti, Senatoris maximi, ſcriptoris eximii laudes undequaque collectas; atque inde jure conſtitues, inter Hiſtoricos Venetos hunc principem eſſe, ſive fidem narrationum conſideres, ſive majeſtatem & elegantiam ſtyli, nec putidi, nec inertis, prudentem, ſobriam, & in rebus Politicis paſſim inſinuandis, docendiſque utiliter occupatam. Ex hac maximè præſtat noſtri Parutæ labor egregius, perennatque inter laudes literatorum hominum omnium, quos ex parte Zenus idem enumerat (2). Hæc Hiſtoria in partes diſpeſcitur duas, quarum prima libris duodecim geſta per Europam, cogitata, tentata officiis, conſiliis & artibus Principum maximorum complectitur ab Anno MDXIII. ad MDLII. Quatuor hujus partis libros latinè primùm à Paruta fuiſſe ſcriptos, eorumque aliquos Decemviris oblatos, conſtat ex Craſſo (3), qui eos ſummoperè laudat ex gravitate Senatoriâ, & ſtylo Saluſtiano: id quod ut demus fidei ejus, non ſatis probatur apocope illa præfationis librorum hujuſmodi, quam oportunè Zenus edidit noſter (4). Quamobrem conſilio ſanè meliore, vir prudentiſſimus, eâ, quâ maximè pollebat, Italicâ linguâ tum hos, tum reliquos, quæque alia ſcripſit, poſteritati habenda, fruenda reliquit. Secunda pars hiſtoriarum Parutæ, quæ ad exitum belli Cyprii, finemque fœderis chriſtiani adversùs Selimum Imperatorem Turcarum initi, peracta ſunt, excurrit libris tribus. Præter hiſtorias, Paruta celeberrimus eſt ex aliis Italicè ſcriptis & editis, quorum hoc pretium, hi tituli ſunt.

Oratio funebris eorum, qui ad Echinadas fortiter pugnantes occubuerunt Non. Octob. an. MDLXXI.

Libri III. de Perfectione vitæ Politicæ.

Libri duo diſſertationum XXV. Politicarum, quarum præſtantia, fama, & inſigni doctrina, in iis, quæ pertinent ad civilem Prudentiam, apud virtutis iſtiuſmodi Profeſſores ſummo in pretio Paruta eſt, teſte Thuano (5). Flos Venetæ nobilitatis, & ſubactæ decus eruditionis, ac Deus in hoc genere ſcribendi Summanus dicitur à Naudæo (6): unus inter Italos admirationi eſt Ignatio Hunnielo apud Crenium (7): laudari ſatis minimè poteſt, & præcipuus eſt in Politicis Inſtitutionibus BoeKlero (8): denique Trajano Boccalino (9) Magiſter ac Doctor Prudentiæ Civilis, Moraliumque

(1) in ead. edit. Tom. 3. p. 34. (2) ibid. p. 36. n. 38. (3) Elog. Venet. c. 97. (4) ibid. p. 18. n. 20.
(5) Hiſt. lib. 122. (6) Bibliogr. Polit. p. 124. (7) In Syllog. Auctor. de Emendat. compar. p. 463.
(8) Biblioth. Polit. contro. & Diſſert. ad Lipſii Polit. p. 73. (9) Nunc. Parnas Cent. 1. p. 167.

Virtutum ad publicas Parnaſſi Exedras has explanaturus evehitur.

In calce Diſſertationum harum editum eſt *Soliloquium* ejuſdem Parutæ Romæ ſcriptum, cùm ibi Veneti Legati munus obibat, eoque piè, doctè, accuratè, ac breviter vitæ ſuæ momenta ad trutinam revocat.

Epiſtola, qua prudenter ac permodeſtè Senatori Anonymo rationem reddit conſilii, quod inierat, ac ſecum ipſe deliberaverat, tum quos latinè libros hiſtoriæ ſuæ conſcripſerat Italice reddere, tum reliquos eodem ſermone continuare: edita eſt ac publici juris facta ab eodem clar. Zeno (1), apud quem Scriptoris hujus MSS., quæ ex multis aliqua deprehendere potuit, agnoſces.

1600 CLXVIII. PAULUS RAMUSIUS vel *Rannuſius* junior civis Venetus, nobilis Patavinus, Arimino oriundâ familiâ nobili, Patavii natus eſſe videtur, ut ex monumentis claræ hujus gentis comprobat Salomonius (2). Juris prudentiam in hoc noſtro lycæo didicit, ex eoque doctor laureatus Venetias rediit (3), ac variis muneribus publicis functus, atque unà inſignis ex eloquentiâ cauſidicus, tandem inter participes Decemviralium arcanorum adlectus eſt. Claruit præcipuè facundiâ Itali ſermonis & elegantiâ ſcribendi latinè, qua factum, ut ex XVirali decreto juſſus ſit latinè reddere Conſtantinopolitanam Hiſtoriam Gottofredi Villarduini. Eam Franciſcus Contareno D. Marci Procurator Zachariæ Eq. filius legatus apud Carolum V. Bruxellis repererat, ac reſtitutus in patriam collegio XVirorum obtulerat, quòd in ea curioſiùs ageretur de Venetorum geſtis Conſtantinopoli, cùm horum & Gallorum armis Conſtantinopolitanum imperium ſubactum eſt. Hinc data cura Ramuſio, ut hiſtoriam hujuſmodi ab auctore ſynchrono rerum, quæ narrabantur, conſcriptam Gallicè latinam faceret. Quod ille præſtitit egregiè, ac expuncto Villarduini nomine, ſuam fecit hoc titulo. *Hiſtoria Pauli Ramuſii libri VI. de Bello Conſtantinopolitano, & Imperatoribus Comnenis per Gallos, & Venetos reſtitutis*. Scripſiſſe eum multa tradit in appendice Tomaſinus (4), quæ nos non vidimus. Obiit Venetiis XIII. Kal. Januarii MDC. jacet in Sepulcro Majorum ad S. Mariæ in Horto.

1600 CLXIX. LAURENTIUS PRIOLUS Cardinalis, Joannis filius divinarum humanarumque literarum ſcientiam ſibi abunde paravit, diu in gymnaſio noſtro verſatus, in quo D. V. I. renunciatus eſt (5), cuique jampridem præfuerat ab an. MDLXXXVI. Senator in patria Oratoris partes egit ſæpiſſimè, ad Franciſcum Magnum Etruriæ Ducem, Philippum II. Hiſpaniarum, Henricum III. Galliæ Reges, & apud Pontifices Gregorium XIII. & Sixtum V. mox in Sacra Militia meruit (6), evectus ad ſedem Venetam Patriarchii patrii, anno MDXCI. In ea dignitate ſedulus rerum Sacrarum curator, cuſtos vigilantiſſimus Canonum, Clericorum formator accuratiſſimus, clarusque ex integritate vitæ, doctrina, & animarum ardentiſſimo ſtudio Clementi VIII. adeo placuit, ut abſentem ad Purpuram evocaverit an. MDXCVI. Hanc geſſit Preſbyter Card. S. Mariæ Tranſtyberim ad an. MDC., quo IV. Nonas Januarii è vivis exceſſit, Venetiis in æde primaria S. Petro ſacra ſepultus.

CAPUT XXXIII.

Jo. Vincentius Pinellus. Fabius Nicheſola. Vidus Coquillius: Jo. Adamus Septemvir Moguntinus. Alexander de Liſca.

1601 CLXX. CUm certum ſit ex Thuano (7), Paulo Gualdo (8), Gaſſendo (9), & aliis, JO. VINCENTIUM PINELLUM ab anno ætatis vigeſimo ſeptimo uſque ad obitum per annos circiter unum & quadraginta vixiſſe Patavii gymnaſticis privilegiis uſum (10), aſſiduum fuiſſe præcipuorum Profeſſorum auditorem, amicum, patronumque munificentiſſimum, tanti viri, tantique nominis gloria gymnaſium noſtrum fraudare non poſſumus. De ejus actis & vita ſcripſit copioſè & eleganter Paulus Gualdus Patricius Vicentinus, Canonicus Patavinus, & Archipresbyter, cujus laudes brevi elogio Tomaſinus complexus eſt (11). Ex hoc petenda erit notitia plenior Pinelli, quem hic per ſumma capita notabilem ac memorandum poſteris noſtris proponimus. Origine Genuenſis, patriâ Neapolitanus Juriſprudentiæ ſtudiis, humanioribus literis & rei Antiquariæ totâ, qua defunctus eſt, vitâ deditus Patavium delegit biennio major

(1) in Vit. Parutæ ibid. p. 19.25. (2) collect. ad Inſcrip. Gymn. (3) Diar. Sanſ. An. 1558. (4) lib. 2. (5) Sanſ. Diar. An. 1590. (6) Oldoin. Tom. 4. (7) in Elog. ubi Theiſſer. Tom. 2. p. 273. 476. (8) Vit. Pinell. (9) Vit. Peireſchi. (10) ex Tabul. Quæſt. in Collect. Salom. (11) Elog. Tom. 1. p. 326. & ſeqq.

major ætate, ubi ævum pacatè & ſplendidè degeret, ſeque totum bonis artibus, tum ſibi, tum reliquæ literatæ familiæ parandis, promovendiſque doctorum virorum ſtudiis ac laboribus conſecraret. Patavii bibliothecam inſtructiſſimam habuit, domumque ſuam Patavii verbo factoque conſtituit rerum omnium promptuarium, undè ſuæ ætatis eruditis omnibus, cum procul, tum propè, ſi nummis, vel libris, aliove opus haberent, præſto eſſet locupletiſſimè. Ipſe ſcientiarum artiumque propè omnium peritiſſimus, & ad has excitabat omnium animos, ac lares ſuos colloquiis, conſuetudini, conſortio, ac penè non fœderi ſapientum virorum, tam advenarum, quàm indigenarum patentes perpetuò ac paratos & profitebatur, & dabat. Virtuti, liberalitati, & ad nativam vocis ſignificationem deductæ veræ Philoſophiæ ac Philologiæ ejus teſtimonium dixerunt ampliſſimum quotquot extrema ſæculi XVI. parte, & prima XVII. Sapientiæ majoris gloria floruere, Manucii, Signnii, Mercutiales, Riccoboni, Pancitoli, Pithœi, Lipſii, Caſauboni, Scaligeri. Ætate in ſenium devexâ morbis gravioribus ac diuturnis conflictatus Patavii mortalitatem explevit ſeptuagenarius an. MDCI. Ditiſſimam ejus bibliothecam repetentes ex hæreditate conſanguinei, nec totam habuere, & ſi quas ejus nacti particulas ſunt, has infortunium maritimum perdidit; eritque pretium operæ noſſe miſeram tanti theſauri cataſtrophem apud Teiſſerum (1). Pinellus vel nihil ſcripſit, vel ſi quid ſcripſit anecdoton eſt (2). Nam Michael Juſtinianus Chius ejus quoddam MS. latere in bibliothecâ Ambroſiana Mediolani nos monet.

CLXXI. FABII NICHESOLÆ Veronenſis patricii familiam ex Eubæâ inſulâ Vero- 1601
nam deducit, & Scaligerorum, Gonzagarum, comitumque Carpenſium, & S. Bonifacii claram cognationibus & affinitatibus aſſerit Julius à Puteo (3). Ex hac Fabius adoleſcens ſacro Eremitarum S. Auguſtini cœtui nomen dedit: mox deterritus rigidiore tunc inſtituto, vindicias ſibi dixit ad libertatem, conceſſitque Patavium, ac juris Diſciplinæ ſe tradidit. Hujus reportatam labore aſſiduo laurum intulit in collegium Juriſconſultorum Veronenſium an. MDLXXXIV. clarusque deinceps fuit ex eruditâ nec barbarâ legum ſcientiâ. Functus omnibus honoribus patriæ eò maximè poſteritati memorabilis eſt, quòd Reſponſa Juris edidit multa, quibus Fideicommiſſa Comitum S. Bonifacii tutatus acriter, eam partem Juriſprudentiæ tricis involutam, & forenſibus ambagibus aſperam eruditiſſimè pertractavit. Præmaturâ morte interceptus abiit ad plures an. MDCI.

CLXXII. Jure à Thuano (4), ex quo Gerardus à Stochen (5), atque Freherus 1602
(6), VIDUS COQUILLIUS Romerius ex iis, quæ vivus non edidit, laudatur, & inter Juriſconſultos clariſſimos ſæculi XVII. ineuntis numerandus aſſeritur. Re enim verâ vir fuit maximis Gallorum Juriſconſultis par, ni etiam major, atque adeo illuſtre noſtri gymnaſii decus. In lucem editus eſt non ſanè Noviomagi Æduorum, quod nunc Nivernium, Clivienſium olim, deinde caput Principatus Gonzagarum Ducum, qui reduces in Italiam Mantuani fuere Principes, & hac noſtra ætate in Ferdinando Patavii exule deſiere. Notat Teiſſerus ex vitâ Coquillii (7), eum natum Decizii, quod oppidulum eſt oræ Nivernenſis, nobili genere Dominorum de Romerei, undè illi Romerii agnomen additum. Juris Civilis tyrocinium poſuit in Galliâ, & aliquandiu verſatus in foro Pariſienſi, Patavium venit famâ evocatus Mariani Socini junioris, cujus eâ ætate celeberrimum nomen, Jus Cæſareum apud nos profitentis. Huic ſe recoquendum dedit; nec dubito, quin is, quem Vidum Romerei Gallum ad laurum provectum ſcribit Sanſonus (8), Coquillius hic noſter ſit. Regreſſus in patriam non ibi moras trahere decrevit, ut Gerardus à Stochen exiſtimat, ſed Pariſios rediit, atque ibi apud procuratorem litium, & patruum, fori Pariſienſis Conſiliarium, forenſi ſe praxi exercendum dedit tanta ſedulitate, ut illi quaſi famulus miniſtraret, & officio bajuli Codices deferens fungeretur. Inviſit deinde Aurelianenſem Academiam, ut, quam alibi Juriſprudentiam didicerat, ad Gallorum ſententias formaret. Poſt hæc aliquandiu cauſas egit Pariſiis, mox remeavit in patriam, indeque profectus Noviodunum, ibi poſuit domicilium; ibique brevi in eam nominis famam inclaruit, ut quaſi oraculum haberetur ſuæ Gentis. Ab hac Ordinum ſuorum Legatus venit ad generalem conventum Aurelianenſem an. MDLX. Anno verò MDLXXVI. ad Bleſenſem, iterumque ad alium in eadem urbe habitum an. MDLXXXVIII. Cùm per legationes has vacare licebat, Fiſcalis Procuratoris officio fungebatur Novioduni, cauſarumque patronum agebat tanta ſapientiæ cum gloria, ut quamvis in angulo Galliarum viveret,

(1) ad Elog. Thuan. Tom. 2. p. 375. (2) de Script. Ligur. (3) Elog. p. 237.
(4) in Elog. Vir. Doct. (5) in Thuan. Enucleat. (6) T. 2. P. 2. Sect. 4. p. 961.
(7) Addit. ad Elog. Thuan. T. 2 p. 409. (8) in Diar. An. 1555.

ret; à tota tamen Gallia in rebus difficillimis, quaſi auſpex certus componendarum controverſiarum, conſuleretur. Hinc emphaticè Claudius Jolius affirmare non dubitat (1), Coquillium, Pariſiis deſertis, coegiſſe ad ſe venire Pariſios. Vir ex doctrina tanti nominis, traditur non minoris fuiſſe virtutis ac probitatis, ex abſtinentia præſertim, liberalitate, & modeſtia. Nam & ab avaritia continuit ſe ſemper, partemque mercedis pro Reſponſis oblatæ conſulentibus remittebat, & annalis lucri, quod illi obveniebat ex re quacunque, partem decumam erogabat in pauperes; de ſe autem ſcriptiſque ſuis modeſtè ſenſit uſque adeo, ut eorum, quæ multa conſcripſit, nihil paſſus ſit edi ſe vivo. Horum præcipuè laudatur, quod agebat de libertate Gallicana, quodque Thuanus refert furto ſublatum adhuc viventi (2), Teiſſerus autem narrat poſt ejus abitum ab agnatis commodatum fuiſſe Patribus Societ. Jeſu (3), ab his autem datum Eſtampio Antiſtiti Auſciorum, in ejus bibliotheca latuiſſe per annos ſexaginta, tandemque repertum à Conſiliario Toloſano publici juris fuiſſe factum an. MDCLXVI. Obiit Coquillius poſt initium ſæculi XVII. anno II. major octogenario. Ejus opera poſthuma ſunt, typiſque edita leguntur his titulis,

Latina.

Poemata Sacra & Moralia.
Pſalmi Davidis CL. Paraphraſticè tranſlati Carmine Heroico.
Annotationes & varia lectiones in Pſalmos.
Collectiones Juris Canonici & Civilis.
Hiſtoria Epiſcopatuum Italia.

Gallica.

Comment. de Reformatione Status Eccleſiaſtici.
Tractat. de Libertatibus Eccleſia Gallicana duplex, quorum alter eſt, quem diximus furto ſublatum.
De Concilio Tridentino: an ſit recipiendum.
Diſſertatio de Jure Eccleſiaſtico, & libertatibus Eccleſia Gallicana, & rationibus, ob quas recipienda non ſint Diplomata Gregorii XIV. contra Gallos edita an. 1591.
De Beneficiis Eccleſiaſticis.
Dialogus de calamitatibus Gallia.
Diſſertatio de Ærumnis Reipublica ſtante fœdere.
Mala Gallia ſtante fœdere inde eſſe, quòd Eccleſia non emendatur.
Comment. de proponendis Rom. Pont. circa ea, quæ contingere poſſunt, ſi ſe nimis præſtet ſeverum in reconciliatione Regiâ.
De Attentatis Summor. Pontif. & Legati, qui apud Gallos ſtabat pro fœdere.
Proteſtatio Card. Placentini ad Card. Pelleveum publicorum Gallia Conventuum Præſidem miſſa, ut eam ipſis Conventibus ſignificaret.
Diſcrimen inter Noviodunenſem & Civem Pariſinum.
Diſſert. de Publicis Galliæ Conventibus, & Jure Ducatus Nivernenſis in his.
Quod & quale Jus habeant in his Conventibus minores Magiſtratus.
Diſſert. de agendis ad utilitatem Ditionis Nivernenſis.
Inſtitutio Juris Gallici, & Annotationes in conſuetudines Nivernienſes.
Quæſtiones, Reſponſa, & Meditata in conſuetudines Gallicas. Item Annot. in edicta Henrici III. & Querelas Conventuum Bleſenſium. An. MDLXXVI. MDLXXXI.

1604 CLXXIII. JO. ADAMUS Archiepiſcopus Moguntinus, ac Septemvir S. R. I., patre natus eſt Philippo à Biehen è nobili Bichiorum apud Suevos familia, matre Anna Brendelia ex qua nepos fuit Danielis Septemviri Moguntini, de quo diximus. Ut à puero vera pietate, moribus optimis, orthodoxa religione, & humanioribus literis imbueretur, ſedulam bonus avunculus operam dedit. Herbipoli Rhetoricæ ſtuduit, & in eloquentiam totus incubuit, dein Canonicus Moguntinus peregrinationes nobilibus Germanis conſuetas aggreſſus, pervagatus eſt Galliam, inde in Italiam venit, eumque Patavii, Philoſophiæ ac Juriſprudentiæ, quorum jam titulos gerebat, accuratius addiſcendis vacaſſe, manifeſtum eſt ex Germanorum catalogis in tabulario quæſtorio, in quibus an. MDLXXXVIII. I. N. G. Conſiliarius inter Studioſos juris notatur *Joannes Adamus à Bichen* Canonicus Moguntinus. Hinc redit ad Eccleſiam ſuam, atque ita collegis ampliſſimis ſe probavit, ut an. MDXCV. ad Scholaſtici Dignitatem evectus ſit. Hanc geſſit prudenter adeo, atque tam ſplendidè adminiſtravit, ut maximi habitus ab Archiepiſcopo Moguntino Wolfgango, omnibus ejus conſiliis & arcanis intereſſet, & ad expedienda graviora negotia Legatus ab eo cum poteſtate pleniſſima mitteretur. Volfgango è vivis erepto, datus ſucceſſor eſt primis ſtatim comitiis, dictuſque Archiepiſcopus Moguntinus S. R. Imp. Septemvir, ac Princeps an. MDCI. Sedit annos non integros tres, quibus, & ſagas multas incendio addixit, & hæreticos inſectatus accerrimè ſuo gregi vigilantiſſimè proſpexit; Morbis crebro tentatus, iiſdemque fractus

(1) in Opuſc. Loiſel. p. 618. (2) in Elog. (3) ibid. p. 481.

fractus vivere deſiit nondum quadragenarius anno MDCIV. Corpus Aſchaffenburgo delatum Moguntiam jacet in templo principe cum epigraphe, de qua conſule ſi vacat, Nicolaum Serrarium (1), ex quo hæc pauca decerpſimus.

CLXXIV. ALEXANDER DE LISCA patricius Veronenſis Comes & Eques ex an- 1605
tiquiſſima & nobiliſſima Florentiæ familia Veronam traducta, ut refert Matthæus Tortus (2), & ex eo Julius à Puteo (3), Patavii Juriſprudentiæ operam dedit, ſimul tum politioribus literis, tum Philoſophiæ. I. V. D. apud nos renunciato patuit in patria Juriſconſultorum collegium, quod ab eo virtute, ingenio, doctrina, morumque gravitate auctum, teſtatur Lucas Reſius apud Puteum eundem (4). Dignitatibus ac titulis, tum ab Exteris Principibus, tum ab auguſto Venetæ Reipublicæ Senatu cultus, eruditorum numerum auxit editis, Vita Veſpaſiani Gonzagæ Sablonetæ Ducis: Oratione in obitu Zenobiæ Principis de Auria, Gratiarum actione ad Sereniſſimum Leonardum Donato Venetorum Ducem, à quo Formighedi Comes dictus eſt. Hoc poſtremum Alexandri fuiſſe videtur opuſculum ex iis, quæ extant; nam quæ ab eo ſcripta adversùs Interdictionem Sacrorum à Paulo V. latam in Venetos, tradit ex Torto Puteus (5), & unà refert ab eo, imminente obitu, comburi fuiſſe mandatum, non vidimus: ex illis tamen, & his, quæ recenſuimus ex ipſo falſum ſe comprobat Puteus in eo, quod ſcribit, Alexandrum Venetiis deceſſiſſe an. MDLXX. Nam qui is, cujus extat Gratiarum actio ad Leonardum Donato Principem ab an. MDCV. cujus notantur Scripta pro Venetis adversùs Interdictionem illam, quæ non ante annum eundem MDCV. lata eſt, obierit an. MDLXX.? Deceſſerit ergo non ante an. MDCV. quo illum ſignamus. Paulus de Merciariis Medicus ſic in eum luſit frigidè ſatis Epitaphio Tetraſticho,

Liſca decus Patriæ, ſtudiis & ſtemmate clarum
Hoc jacet in tumulo: ſpiritus aſtra tenet.
Ut tibi ſint hæc certa magis Monumenta, Viator,
Quæ doctus ſcripſit Reſius, ipſe leges.

Ex Reſio conſtat, Alexandrum fuiſſe doctiſſimum, nec minus Græcæ, quam latinæ linguæ peritum: ſtudioſiſſimum Iſocratis, & Ciceronis, quos ſibi dicendi ſcribendique præceptores elegiſſet: tanta verò præditum fuiſſe memoriâ, ut celeberrimos Poetas Comicos, & Scriptores hiſtoriarum, præſertimque Plautum & Plinium conterraneum ſuum, ferè totum memoriter recitaret, eorumque ſermonibus ac dicendi diverſiſſimo genere feliciter, pro varietate rerum ac temporum, uteretur.

C A P U T XXXIV.

Clemens VIII. Pontifex Maximus. Alexander Valſignanus. Horatius Spinola Card. Auguſtinus Valerius Card.

CLXXV. CLEMENS VIII. PONT. MAX. ante inſulas Vaticanas *Hippolytus* Card. 1605
Aldobrandinus, Silveſtri Juriſconſulti filius, Joannis Cardinalis frater, ab aliis Florentiæ natus aſſeritur, ab aliis Fani Fortunæ, undè illum Fanenſem Cabrera nuncupat (6). A puero mitioribus literis innutritus, cum patre Romam venit ſub Paulo IV. qui fertur illi vaticinium Pontificatûs feciſſe. Nam adductum ad pedum oſcula Pontifex contemplatus, converſus ad patrem: *Tu*, inquit, *cura, ut ſtrenuam hic filius tuus literis operam navet: futurum quippe eſt, ut aliquando ſedem hanc impleat.* Cum Fratre miſſus Patavium Juriſprudentiæ notitiam & Juriſconſulti nomen ac titulos retulit. Id quod, ut biographi Pontificum prorſus diſſimulent, mii eum Bononiæ tantùm, atque Ferrariæ legum ſtudia profeſſum, conſtituitur attamen ſynchroni ſcriptoris teſtimonio Guidi Panciroli (7) qui eum in Patavino gymnaſio in jura ſcribit incubuiſſe. Conſert publica in actis gymnaſticis auctoritas, præſertim cum in diario Sanſoni notetur dies X. Februarii anni MDLVI., quo ſubiit aleam examinis & lauream doctoris accepit. Nec tamen abnuerim etiam Ferrariæ, & in aliis gymnaſiis fuiſſe verſatum,

cùm

(1) de Reb. Mogunt. in Jo. Adamo. (2) Elog. Famil. de Liſca. (3) Elog. Juriſconſult. Veron. p. 203. 204. (4) ibid. p. 206. (5) ibid. p. 207. (6) in Additio. ad Ciaccon. Victorelli. (7) de Clar. Interpr. lib. 2. c. 192. p. 307.

cùm palam ſit, eum pervagatum multas Italiæ urbes, imò & Hiſpaniæ, ubique & fructus decerpſiſſe ſtudiorum ubertimos, & multos magiſtratus ſcholaſticos glorioſè geſſiſſe. Romam ſe deinde recepit ac munus advocati, quod antea in Conſiſtorio pater obiverat, gerendum ſuſcepit. Pius eum Quintus inter Judices XIIViros Rotæ Romanæ cooptavit, comitemque dedit, & adminiſtrum Alexandrino Cardinali Legato a Latere in Hiſpaniam, Luſitaniam, & Galliam miſſo, mox functum gnaviter officio ſummis laudibus celebravit. A Sixto V. primùm Datarius, ut vulgò dicitur, ad Beneficiorum ſacrorum expedienda diplomata datus eſt, ex qua dignitate, cum brevi ad Purpuram perveniſſet Presbyter Card. S. Pancratii, ab eodem Pontifice miſſus eſt Legatus à Latere ad Sarmatas, qui Maximilianum Archiducem Auſtriæ detinebant, captum in eo prælio, quo Regnum Bathoreo conceſſum repetebat. Ita porro diſſidium illud compoſuit, ut partium utrarumque gratiam ſibi conciliarit, hinc quidem Maximiliano in libertatem reſtituto, inde autem & confirmato jure regni, quod in Bathoreo nutabat, & pacatâ Sarmatiâ. His rebus bene & ex publicâ utilitate geſtis clarior, cùm Romam rediiſſet, III. Kal. Februarii an. MDXCII. Purpuratorum omnium ſuffragiis ad ſedem toti Eccleſiæ præfectam ſucceſſor Innocentii IX. ſubvectus eſt. Quæ geſſit in ſummâ dignitate non capit, quam polliciti ſumus in hoc opere, brevitas. Ea petantur ex Victorello, Ciacconio, & aliis apud Oldoinum (1). Eorum tamen guſtulum dabit epigraphe ipſi poſita in arcu Anconæ erecto.

Clementi VIII. Pont. Max.
Reſtituto Eccleſiæ Romanæ Henrico Borbonio Rege,
Fugatis de Pannonia Turcis,
Sublevatis bono regimine Populis,
Profligatis Sicariis,
Ferraria interdicto exercitu ſine ſanguine recuperata,
Neptunio S. Joanne Macianoque Montibus,
Aliiſque propagatis Eccleſiæ Finibus
Rerum geſtarum Magnitudine
S. P. Q. Anc. erexit.

Deceſſit Romæ V. Nonas Martii an. MDCV. Corpus diu in Vaticana baſilica temporario tumulo conditum translatum eſt in locum ſacelli baſilicæ Liberianæ, quem illi munificè decoratum Paulus V. extruxit grati animi monumentum.

1606 CLXXVI. ALEXANDER VALSIGNANUS nobili genere Theate natus dedit operam Juriſprudentiæ Patavii Marco Mantua, & Tiberio Deciano doctoribus: nam & in catalogis tabularii quæſtoru (2), & in albis Siculæ nationis hoc nomen habetur, eique in utroque jure laurus data ſignatur VII. Martii an. MDLVIII. in Diario Sanſoni. Ipſe hoc profiteri videtur palam in ſententia, quam tulit ut judex apud Cronium in Collectaneis criminalibus (3), cum Decianum & Mantuam laudat, eoſque dominos & magiſtros appellat ſuos. Emenſus legale ſtadium Romam venit, & in aulam Cardinalis Altempſii jam clarus inter cauſidicos receptus eſt. Apud hunc judicis, quem Auditorem vocant officio functus, cœpit affici tædio rerum caducarum & aulæ, atque ad Societatem Jeſu votis omnibus aſpirare. In hujus ordinem magnis precibus egit ut admitteretur, admiſſuſque eſt à S. Franciſco Borgia Præpoſito Generali tricennario major. In eo cœtu doctiſſimo Theologicis inſtitutionibus imbutus tantus brevì fuit, ut eum Everardus Mercurianus, qui Borgiæ ſuffectus eſt, ad Indos miſerit Viſorem rerum Indicarum, ac in vaſtiſſimis illis Provinciis Sociorum Præſidem dixerit. Quanta ibi, quàm laborioſa & rei chriſtianæ utilia geſſerit, leges latè propoſita in hiſtoriis ejuſdem Societatis, delibata breviùs ab Allegambe (4), &, ni ex livore hæreas, ſubſcribes Elogio, quo in Luſitanica verſione literarum Japponicarum, clariſſimum hunc alumnum gymnaſii noſtri Theotonius (5), Brigantini Ducis filius, & Archiepiſcopus Eborenſis, Apoſtolum Orientis appellat. Obiit XIII. Kal. Februarii anno ſupra ſæcularem MDC. ſexto, ætatis LXIX. Quæ ſcripſit nobis nota hæc ſunt, atque edita.

Comment, ad Japponios cæteraſque Indiarum Nationes Chriſtianæ fidei Myſteriis imbuendas.

Extat

(1) Tom. 4. p. 249. 277. (2) Salom. in Collect. Gymn. (3) Tom. 5. n. 69. (4) Biblioth. Societ. p. 13. 1. 2. (5) Præf. Verſionis.

Extat in Calce Tomi I. Bibliothecæ Poſſevini.

Apologia pro Societate Jeſu.

Literæ plurium Annorum de ſtatu Japponię atque Sinarum. Has vertit Luſitanicè, atque edidit laudatus proximè Theotonius.

Martyrium Rodulfi Aquavivę Soc. Jeſu Italicè impreſſum Romę, latinè Pragę.

Curioſa Hiſtoria de admirandis Sinenſium, ex qua citatur à Petro Jarrico (1).

CLXXVII. HORATIUS SPINULA Cardinalis, Joanne patre, matre Hieronyma de Auria, quæ ſoror fuit Joannis Andreæ ſtrenuiſſimi Ducis, natus Genuæ à puero humaniorum literarum inſtitutionem accepit à Patribus Societ. Jeſu in ſeminario Romano: aliquandiu moratus Ticini, Patavium venit, atque hìc Juriſprudentiam perdidicit, ejuſque lauream aſſecutus eſt (2). Profectus deinde Neapolim, ut conſanguineos ſuos regni Dynaſtas inviſeret, & apud eos feſſum ex labore diſcendi animum recrearet, pietati arctiùs ſe adſtrinxit in SS. Triadis Sodalitio celebri, hortatu Franciſci Araldi Societ. Jeſu Sacerdotis, quem ſibi conſcientiæ moderatorem elegerat. Ejuſdem uſus conſilio Romam ſe contulit, ut iiſdem erga peregrinos officiis ſe ipſum impenderet in archiſodalitio ejuſdem nominis, quod Romæ omnium celeberrimum eſt. Ibi dum ſe pedibus pauperum ſubiicit ad auſpicium Maximorum adſumitur à Sixto V., relatuſque in claſſem Referendariorum utriuſque ſignaturæ, noſocomio S. Jacobi, quod appellant Incurabilium, patronus ægrotantium, præficitur. Clemens eum VIII. Bononiam pro Legato miſit, eaque Urbe ac Provincia ex omnium voto ſanctè ac prudenter adminiſtrata ad Genuenſes infulas Archiepiſcopum provexit. Poſt obitum Clementis ſacrorum comitiorum cuſtos à Cardinalibus dictus, unà Romano Suburbio, *Burgum* vocant, parti Urbis ſuſpectæ præfuit; à Paulo V. deinde pro Legato ſe gerere in ditione Ferrarienſi difficili tempore juſſus, Urbem egregiè munivit, arcemque ejus, adjectis propugnaculis, propè non expugnabilem fecit. His meritis par maximis dignitatibus ab eodem Paulo in ordinem Purpuratorum Patrum ſublectus an. MDCVI. Romam venit, ac purpureo galero in Cœtu Senatûs Apoſtolici non ſine inſigni laude Pontificis exornatus Genuam contendit, Eccleſiamque ſibi commiſſam, quam abſens per Subſtitutos diligentiſſimè curaverat, præſens adminiſtravit eo rigore diſciplinæ Eccleſiaſticæ, quem privatus in ſodalitiis ſuperiùs nominatis conceperat, mox in magiſtratibus Sacris exercuerat. Verùm contracto morbo, non ſine lacrimis omnium bonorum ævo dignus diuturniore, brevì, eo ſcilicet ipſo anno MDCVI. ad ſuperos evolavit, laudatus in funere Genuæ quidem à Hieronymo Geſſio, Neapoli verò à Gregorio Maſtrillio clariſſimis oratoribus Societ. Jeſu; è quorum epicediis vulgatis hæc pauca deſumpſimus, ſuffectura gloriæ gymnaſii noſtri, cui ſupereſt, ſi vel perlevi poſſit tanti Alumni ſui memoria ſuperbire. Sepultus eſt in Sacello S. Joannis, quod Cinerum appellatur, nec cuiquam ad ſepulturam conceditur, niſi ex ſingulari Genuenſis Reipublicæ paucique ac rarò conceſſo privilegio. De hoc præſtantiſſimo Cardinali Ughellus pauca (3), plura Coletus (4), & ante hunc Oldoinus (5), ad quos Lectorem delegamus. 1606

CLXXVIII. AUGUSTINUS Cardinalis VALERIUS patricia gente Venetiis natus, nepos ex Lucia ſorore Bernardi Card. Naugerii, admodum adoleſcens fertur veniſſe Patavium, ubi literis Græcis, atque Latinis excultus à Lazaro Bonamico, audivit in re Philoſophica Baſſianum Landum, & Marcum Ant. Genuam, claros in gymnaſio noſtro Philoſophos. Anno ętatis undevigeſimo jam clarus ex oratione, qua Bonamicum fato functum laudavit in funere, ſcientiam attigit juris, cujus lauro diſciplinas, quas ſibi comparaverat, plurimas exacto ſtudiorum triennio coronavit (6). Redux Venetias Dialecticam & Philoſophiam ex Senatuſconſulto profeſſus eſt publicè, mox receptus in ordinem ampliſſimum Sapientûm, cùm de ſe maximam expectationem doctiſſimis orationibus apud omnes excitaſſet, à Naugerio avunculo, cui unicè cariſſimus fuit, tunc cùm Purpuram Romanam accepit, Romam deductus eſt, ubi miraculo omnibus fuit, quod annorum triginta juvenis eruditionis omnis profanæ, & ſacræ arcana omnia pervaſiſſet. Vertit tunc animum ad majora, utque ſibi ad Sacrarum Paginarum notitiam inſtrumenta pararet, ad linguam Hebraicam ingenium appulit; receptuſque in collegium academiæ Vaticanæ, quam Carolus Borromæus aperuerat, unus Academicorum fuit dictus *Obediens*. Profecutus poſt hæc avunculum ad Synodum Tridentinam, hac peractâ, cùm comes avunculi veniſſet Veronam, eidem Adjutor datus eſt cum certâ ſpe futuræ ſucceſſionis, quam ſibi brevi obtigiſſe doluit ex obitu Bernardi. 1606

Veronenſis

(1) Tom. 2. Theſau. Rer. Indicar. lib. 2. c. 17. (2) Diar. Sanſon. An. 1579.
(3) Tom. 4. p. 903. 904. n. 34. (4) ad Ughell. not. in eum locum, & addit.
(5) Tom. 4. ad Ciaccon. p. 406. 407. (6) Diar. Sanſon. An. 1553.

Digitized by Google

Veronenſis igitur Antiſtes veri ſanctique in ſe ſpeciem expreſſit Epiſcopi, miram equidem, & quæ pleriſque viſa ſit priſcis illis non impar, quos templis ariſque veneratur Eccleſia (1). Hinc illi mandatum an. MDLXXIX. jubente Gregorio XIII. ut Eccleſias Iſtricas & Dalmaticas inviſeret, ac ſumma cum poteſtate à laxiore diſciplinâ ad formam priſtinam legum ſacrarum revocaret: nec diu poſt in eodem & munere & juriſdictione luſtravit Patavinam, Vicentinam, & Clodienſem Eccleſiam, & Venetum Patriarchatum; quibus ejus laboribus idem Pontifex contulit Purpuram an. MDLXXXIII. Tunc ſibi Auguſtinus adiutorem adſcivit Albertum nepotem Epiſcopum Famaguſtanum, vixitque deinceps in curiâ ſpectabilis omnibus, morum ac ſacræ prudentiæ numeris omnibus abſolutum exemplar. Ex hac ſummoperè laudatur à Cardinali Paleotto, aſſeriturque Sacri Senatûs Conſiliarius præcipuus, virtutibus omnibus exornatus. Pluribus illum Baronius extollit, & ut confert cum antiquis Epiſcopis, ita recentioribus præfert. Obiit Romæ Præneſtinus Epiſcopus an. MDCVI. ætatis LXXV. Veronenſis Epiſcopatus XLI. Corpus translatum Veronam in templo majore conditum eſt cum epitaphio, ipſi & Bernardo Naugerio communi. Scripſit plurima ſtylo non admodum nitido ſubactove, docta tamen & utilia. Eorum catalogum exhibent Ughellus (2) & Oldoinus (3): Sed perturbatè ſatis & obiter: quippe ſparſim edita ſunt, vel anecdota perleguntur. Nos olim illa ad qualem qualem ordinem revocavimus, quem damus.

Rhetorica. *Orationes in funere plures. Lazari Bonamici. Petri Landi, Marci Antonii Triviſani, Franciſci Donati Ducum Venetorum. Hortatoria ad Nicolaum Barbadico contra barbariem in diſceptando. De ſtudiis & moribus Juventuti Veneta conſentaneis. De ſcribendis Epiſtolis ad Juſtinianum Contarenum. De Ratione Studiorum, eorumdemque tempore & loco. Exhortatio ad Nicolaum Barbadico, ut more majorum Cauſas Venetiis agat. Oratio, qua probat, ſtudium Juriſprudentia praferendum Philoſophia. Epiſtola plures, tum Conſolatoria ad Carolum & Federicum Card. Borromaos, tum ad alios. Paſtorales quoque multa, & varia ad Cardinales, & Epiſcopos, & alios.*

Moralia, & Sacra. *Libellus de Ambitione. Obſervationes in librum Hieronymi Oſorii de Juſtitia. Conſolatorius liber ad Nicolaum Barbadico in morte Fratris. De fugiendis Honoribus. De fructu percipiendo à Degentibus Roma. De Conſolatione Eccleſia libri II. De Diſciplina Acolytorum. De Legatione, quomodo agendum ſit cum Hareticis. De Statu cuſtodientium Virginitatem ad Sororem. de Viduis. De ſtatu Monialium libellus, quo probat Vitam religioſam Senatorię pręferendam. De honore Cardinalatus. Homilię plures Italicę, & Latinę, atque in his XLIV. de Paſſione C. D. N. De Officiis Cardinali Diacono dignis. Libri VI. de Conſolatione Eccleſię ad Aſcanium Card. Columnam. Quatenus honores fugiendi. De utilitate capienda ex ęgritudine Corporis. De cautione adhibenda in edendis libris. De Inveſtigandis remediis Paſtoralium tentationum. Inſtitutio ad Albertum Veronę Coadiutorem. De Benedictione Agnorum Dei. De utilitate capienda in Comitiis Pontificalibus. De Conſolatione ad Gregorium XIV. De lętitia Chriſtiana. De Senectute recreanda. Quod ſemper orandum ſit. De Mundi Senectute. De utilitate ex dono lacrimarum. De comparanda & tuenda boni Principis exiſtimatione. De occultis Dei beneficiis. De cautione à Clericis adhibenda in diſputando. Cavendum, ne quis ſibi nimis credat. De cautâ imitatione Sanctorum Epiſcoporum. Manendum unicuique in vocatione ſuâ cum animi tranquillitate. De Reverentia & obedientia erga Chriſti Vicarium. Apologia ad Veronenſes.*

Hiſtorica. *Vita Petri Franciſci Contareni. Card. Navagerii. Card. S. Praxedis. De auſu nefario in Carolum Card. Borromaum. De Nicoſia amiſſa. Quę Veronę acciderunt Peſtilentiâ furente An. 1575. Memoria agendorum Byzantii ab Oratoribus Venetis ad Nicolaum Barbadico. Hiſtoria de rebus geſtis Venetorum. De Epiſcopis Veronenſibus. Comment. Actorum in Viſitatione Clementis VIII. De Libris Card. Paleotti. De Sacris Conſultationibus in Conſiſtorio. De Die memorabili XVII. Septembr. An. 1595. De Caritate Clementis VIII. erga Regem Gallię. Hiſtoria Jubilai An. 1600. De eximia Caritate Clementis VIII. erga Rempub. Venetam. Dialogi XIX. Dierum Canicularium habiti in Aula D. Marci Romę.* His addi poſſunt. *Varia titulo Somniorum inſcripta,* quæ reipſa Hiſtoriam continent.

Scripſit & Philoſophica quædam. *Libros duos de recta Philoſophandi ratione. De Commentariis conficiendis. Libellum, quo docet, quomodo verſandum ſit in Ariſtotele. Alterum, quo probat argumenta Ariſtotelis pro Mundi ęternitate refelli poſſe. Libellum de Immortalitate Anima. Alterum ad Jacobum Foſcarenum Prafectum Creta de Politica Prudentia cum Pietate conjungenda.*

Vertit etiam ex Græco latinè Baſilii M. de Virginitate, & alia.

CAPUT

(1) Oldoin. ad Ciacc. Tom. 4. p. 84. 89. (2) ibid. (3) ibid. p. 86. 88.

C A P U T XXXV.

Sempronius Suardus. Cynthius Card. Aldobrandinus. Antonius Maria Gratianus. Baptiſta Guarinus Eques.

CLXXIX. SEMPRONIUS SUARDUS nobiliſſimâ gente Bergomi natus Patavii juris 1607
utriuſque lauream conſecutus eſt (1); ſed Muſis magis, quam Aſtrææ,
cui nomen dederat, amicus, his mancipavit literarios labores in patria. Uxorem (2),
ex qua filios habuit, præcoci fato ſublatam Elegiaco carmine deflevit elegantiſſimè,
ſeque deinceps Sacris addixit, ne amores mutaret. Obiit in patriâ circa an. MDCVII.
Extant ab eo edita.

Poematum ad excitandam ad Deum mentem lib. II.

De Divitiis.

De Morte.

Carmen in Pamphilam à Raptore Scelpo interfectam, quod circumfertur ſub ficto Camilli Orobii nomine editum.

Vinea Domini N. I. C. Libellus pius.

Carmina in Jo. Andream Venerium Bergomi Præfectum.

CLXXX. CYNTHIUS Cardinalis ALDOBRANDINUS ex eo dictus, quòd ex ſo- 1610
rore nepos Clementis VIII. fuerit, familia tamen Paſſerâ, patre Aurelio in urbe, quæ
à Gallia Senonum nomen habet, natus eſt. Romæ humanioris literaturæ cœpit initia, quibus in collegio Germanico à Patribus Societ. Jeſu probè inſtitutus, addidit Logicorum non perfunctoriam notitiam. Inde ad Juriſprudentiam Patavium venit, cujus emenſus curriculum Juriſconſultorum inſulis decoratus eſt hic, ut habet Sanſonus (3), auſpice Pancirolo (4), ut ipſe gloriatur. Aldobrandinum Hippolytum Card. Avunculum ſecutus in Legatione Sarmatica, mox ab eodem è Sarmatia Romam miſſus rerum ibi optimè geſtarum Nuncius, cùm aulam lætitiâ compleſſet, ſibi gloriam & famam prudentiſſimi juvenis conciliavit. Eum non diu poſt avunculus Pontifex ex utriuſque, ut vocant, ſignaturæ Referendario Diaconum S. Georgii Cardinalem dixit, & in Aldobrandinæ familiæ agnomen adoptavit an. MDXCIII. Præfectus variis Purpuratorum patrum cœtibus ingens ubique præſtantis ingenii ſpecimem præſetulit gravitate, prudentiâ, & ſingulari ſententiarum doctrinâ, quas mentis dotes ampliſſimas condiebat virtutibus animi, juſtitiâ, honeſtate, innocentiâ, & flagrantiſſimo religionis ardore. Avunculum Pontificem comitatus Ferrariam venit, undè tamen repentè inconſulto Pontifice diſcedens antiquas ſtudiorum ſuorum ſedes Patavium reviſit, progreſſuſque Vicentiam, ac Mediolanum, dum hæc & alia loca luſtrat, gravibus Pontificis literis revocatus Romam rediit, ornatuſque honoribus & muneribus plurimis, in ſummo aulæ ſplendore vixit bono publico, ac præſertim patrocinio Literatorum hominum omnium. Hos beneficiis auxit, aluit domi, & ad eruditas exercitationes detentos apud ſe provocavit: ab his viciſſim celebratus ſummis laudibus, quas unà cum nominibus Auctorum delibat Oldoinus (5). E vivis abiit ſub Paulo V. an. MDCX.

CLXXXI. ANTONIUS MARIA GRATIANUS Etruſcus in oppido, quod à S. Se- 1611
pulcro nomen habet, quodque nos, olim ibi Rhetoricam profeſſi, Biturgiam appellandum eſſe putavimus, natus, humanioribus literis leviter imbutus in patria, adoleſcens admodum conceſſit Romam, atque inter aulicos Commendoni Cardinalis receptus, brevi graviſſimi ac perſpicaciſſimi patroni animum ſuavitate morum, atque indolis in illa ætate ad omnia verſatilis præſtantia ita ſibi conciliavit, ut prope filii loco illum Commendonus habuerit: cùmque de ejus ingenio non immeritò ſpem maximam concepiſſet, curavit, ut ibi nobilioribus diſciplinis operam locaret, ubi olim ipſe ſapientiæ tyrocinium poſuerat. Ergo juvenem Româ Patavium dimiſit, conceſſiſque prædiorum ſuorum in agro Patavino fructibus aliquot, ut ſuis ſumptibus bonis artibus militaret, imperavit. Narrat hæc ipſe Gratianus in epiſtola, qua rerum ſuarum rationem reddit amico & condiſcipulo Antonio Riccobono. Ex ea deprehendimus ſtuduiſſe illum Rhetoricæ ſub Lazaro Bonamico, audiſſe inter Philoſophos M. Antonium Genuam, Mariano Socino juniore, Anſuino Mediceo, & Hieronymo Torniello doctoribus uſum ad juris utriuſque notitiam. His præceptoribus excultus tum in amœniore literatura, tum in ſubactiore ſcientiarum diſciplina brevi adeo profecit, ut & laurum Juriſprudentiæ conſecutus hìc ſit (6),

(1) Diar. Sanſ. An. 1562. (2) Calvus Scen. liter. P. 1. p. 462. 464. (3) Diar. An. 1583.
(4) De Clar. Interp. lib. 2. c. 192. p. 307. (5) Tom. 4 ad Ciaccon. p. 286. (6) Sanſ. Diar. An. 1556.

& ad patronum regreſſus, illi deinceps, & à ſanctioribus arcanis, & à graviſſimis conſiliis fuerit ſemper, comeſque & auditor in legationibus omnibus, quas multas ac difficillimas in Germaniâ, Sarmatiâ, aliiſque provinciis utiliter & feliciter geſſit; ſolitus tam propensè Gratiani judicio duci, ut nihil unquam, niſi eo auctore aut expedierit, aut egerit. Commendono defuncto pertæſus aulæ (1), excluſuſque væcordes illecebras fallaciſſimæ ambitionis de reditu in patriam cogitavit, jamque iter adornaverat, cum Sixtus V. jam jam abiturum retinuit in aulâ, præfectoque latinis Pontificum Epiſtolis curam atque inſtitutionem nepotis Montalti, quem adoleſcentulum ad Purpuram Romanam provexerat, demandavit. Hunc ille ita ad omnem virtutem ſacro Senatore dignam veluti manû duxit, ut Sixto mortuo, quam in tribus deinde comitiis Pontificalibus dexteritatem, prudentiam, ac pietatem aulæ ſuſpiciendam propoſuit, à ſe uni Gratiano deberi fateretur. Hinc factum ut Clemens VIII. vix inito Pontificatu, ratus non eſſe præmium differendum tantis meritis Gratiani, eum infulis Amerinis, aliiſque ditibus Sacerdotiis auxit an. MDXCII.. Quin & rebus chriſtianæ reipublicæ per ea tempora perturbatis ob illatum à Turcis Auſtriæ bellum, Legatum in Germaniam hunc miſit, ut deſides animos ad propulſandum communem hoſtem armaret. Ad idipſum Gratianus diu Venetiis in eodem munere fuit. Rediit deinde ad Eccleſiam ſuam, atque ibi, quæ extant ab illo ſcripta per otium vel exaravit, vel recenſuit, emendavitque, ac poſteritati laudanda, miranda reliquit. Nam vivens edidit, quæ libris IV. complexus eſt, geſta Commendoni Cardinalis, & volumen ingens Epiſtolarum.. Commentarium de bello Cyprio, quo nihil abſolutius, latinius, politius recens habet hiſtoria, ipſe non edidit: illud Carolo ejus nepoti debemus, qui viris eruditiſſimis probatum ac probandum opuſculum typis excudendum curavit, eoque propè dixerim omen fecit quaſi hæreditariæ facundiæ Gratiano nomini, quo nunc apud nos claret ejuſdem cognominis Joannes, vir ſapientiſſimus, princeps in gymnaſio noſtro Philoſophus, ex nitidâ & robuſtâ dicendi ſcribendique elegantia poſteritati noſtræ memorandus. Exacto paſtoralis officii anno undevigeſimo Antonius Maria obiit Ameriæ an. MDCXI. eùm ſibi ipſi, adhuc ſuperſtes ante annos undecim, ſuæ mortalitatis memor, ſepulcrum conſtruxiſſet cum epitaphio, in quo, quòd ſe eo anno ſex & ſeptuaginta annorum ſenem affirmat, anno eum ſexto & octogeſimo vitæ deceſſiſſe dicendum eſt.

1613 CLXXXII. BAPTISTAM GUARINUM Equitem Ferrarienſem alumnis Patavini gymnaſii clariſſimis accenſendum, quod alii diſſimulant, clarè probant monumenta ſcholaſtica nobis, cùm hoc opus aggreſſi ſumus, exhibita (2). Nam in albis Juriſconſultorum gymnaſticis an. MDLVI. ac duorum ſequentium conſtanter nomen Baptiſtæ Guarini Ferrarienſis proponitur; quo tempore vir nobiliſſimus, & inter doctos ſui temporis præcipua cum laude numerandus annos circiter duodevigeſimum, undevigeſimum, & vigeſimum agebat; confirmaturque idipſum iis, quæ Tomaſinus tradit (3), nempe, Bernardinum Paternum, primæ ſedis Theoricæ Medicinæ Profeſſorem, (eùm anno MDLXXXIV. Rectorum Urbis juſſu Gymnaſio præeſſet pro Rectore Alfonſo Tanghetino Brixienſi, qui ſe abdicaverat magiſtratu) à Prætore Montis Silicis cymbam petiiſſe, *cum avena, & Panico indico pro Equite Baptiſta Guarini Scholaris Ferrarienſis*. Eo anno erat Guarinus annorum circiter ſex & quadraginta; gaudebat attamen privilegiis ſcholaſticis, & immunitatibus, quæ cùm non niſi receptis in eas, quas matriculas dicunt, concedantur, concederenturque olim ſemel receptis, donec ad magiſterii lauream in hoc gymnaſio perveniſſent, manifeſtè conſtituunt Baptiſtam Guarinum, qui vir his gymnaſticis privilegiis, maturà jam ætate fruebatur Patavii, nec Patavii doctoris inſignia conſecutum, & Patavii fuiſſe diſcipulum. Alumno igitur tanto inter alios clariſſimos gymnaſio noſtro gloriari licet. Eum Ferraria genuit patriciâ familiâ nobilem, quæ oriunda Veronâ eò traducta eſt à Guarino Veronenſi viro inſigni, de quo videndus eſt Jovius (4), & Imperialis (5). Hoc teſte, Guarini Baptiſta pronepos fuit, verius abnepos, &, ut diximus Patavii per annos adoleſcentiæ aliquos bonis artibus, & ſelectioris literaturæ ornamentis inſtructus in patriam rediit, in qua cùm adhuc juvenis aliquandiu Moralem è ſuggeſtu publico Philoſophiam docuiſſet, ex hac, aliiſque animi corporiſque dotibus commendatus in aulam Ateſtinorum Principum, quorum imperio ſuberat, venit jam notus literariæ reipublicæ, & Equeſtri ordine S. Stephani, ut creditur, clarus. Quid in ea egerit, quot legationes obierit, quanta cum laude orator eloquentiſſimus apud Germaniæ, Italiæque Principes, apud Romanos Pontifices rerum agendarum uſum, & in negotiis pertractandis dexteritatem, qua maximè præſtabat, probaverit;

(1) Ughell. T. 1. p. 303. 304. n. 48. (2) à Salom. in Collect. ad Inſcrip. Gymn. (3) Gym. lib. 4. p. 427.
(4) Elog. p. 197. (5) Muſæi p. 129.

probaverit; quàmque inde charus Alfonſo Ferrariæ Duci, arcanis hujus ac publicis conſiliis præfuerit, qui nunc, ut audio, in ejus actis illuſtrandis eruditiſſimum, totique Europæ notum calamum collocare dicitur, Cl. Muratorius dabit. Hoc monſtrante diſces, quanto ſemper cum plauſu auditus dixerit, quanta morum integritate vixerit, quanta prudentiâ difficultatibus ex re, quam gerebat, natis occurrerit, quanto denique vitæ ſplendore, nulla habita ſumptuum ratione, vel cum rei domeſticæ diſpendio ac damno poſteritatis ſuæ, publicis muneribus functus ſit. Hæc ſanè grandia, conſpicua, memoranda præclariſſimis viris & ſua ætate præcipuis Baptiſtam annumerabunt. Quid ſi doctrinam, eruditionem, ſcribendique ac diſſerendi elegantiam expendas, ac poſtremò Poetices laudem ſpectes, quam ſpectabilem omnibus ille unus deſpexit adeo, ut ſe Poetam haberi, nominarive, quaſi ea nomenclatione iniuriam paſſus, iraſceretur. Ex illa tamen, quamquam invitus, & vivens claruit, ab omnibus Italorum academiis expetitus, in cœtum celebriorum cooptatus, & poſt obitum tanti habitus eſt ob Thuſcæ, tum rhythmicæ, tum ſolutæ rhythmo Muſæ leporem, ut plurimis veterum palmam abſtuliſſe, Italos lyricis præſertim modulis ferè omnes ſuperaſſe videatur. Notarunt hoc docti viri, probatique non pauci, nec ſanus aliter quiſpiam judicaverit de immortali illa Fabula Paſtoris Fidi, cui, vivo adhuc auctore ſuæque gloriæ ſuperſtite, plauſere Theatra omnia: quam legit, legetque poſteritas, & ſi ſapit ac ſapiet, fabulis ejuſdem generis omnibus præfert, ac præferet. Ut ea minor Amynta Taſſi aliquibus viſa ſit, ut ex illa Guarinus plagiarius dicatur ab aliis, ea tamen famæ ſtrepitus Amyntæ plaudentis oppreſſit, illa ſciolos obtrectatores ineptulos jubet in ædem Muſarum à limine ſaltem inſpicere, atque interim noſcere, quid inter plagium, imitationem, & æmulationem interſit, ex qua Virgilius cum Homero, ex qua Taſſus cum utrolibet, ex qua contendit Guarinus in hoc fabularum genere cùm Comicis omnibus, eoſque manifeſtiſſimè vincit ac ſuperat. Olim, ut diximus alibi, nos Firmi Rhetoricam profitentes de his ipſis diſcipulos noſtros admonebamus, eademque ante nos doctiùs & uberiùs explicavit edito libello de Arte Styli Sfortia Card. Pallavicinus: hunc, ſi qui plura volunt, conſulant, diſcentque, qua quis laude veſtigiis priſcorum inſiſtat, qua illos æquet imitatione, quave fretus æmulatione vincat eoſdem ac ſuperet. Sed Guarino quamvis his animi dotibus, his ingenii fœtibus glorioſo neque domi quies, neque felicitas foris ſuperfuit. Cum altero filiorum rixas ac lites habuit, quas vix tandem utcunque compoſuit; nec propitio ſemper Alfonſo Duce uſus in patria eſt. Quare ſponte Ferraria diſcedens per annos fermè ſexdecim diverſiſſimas Principum aulas excoluit, Vincentii Gonzagæ Ducis Mantuæ, Ferdinandi Magni Ducis Hetruriæ, Franciſci Mariæ Feltrii Urbinatium Dynaſtæ: tandemque aularum pertæſus, quietis ac ſtudiorum cauſa, Patavium, ubi primùm ad ſapientiæ gloriam adoleverat, rediit. Hìc quoque illi pugnandum fuit cum Jaſone De Nores, qui ſannas adversùs Paſtorem Fidum diſſimulato nomine expedierat. Hunc Guarinus ultus eſt libello edito, cui Verati titulum inſcripſit; cùmque ille Apologiâ in Veratum inſurrexiſſet, hic tam acriter, tam acerbè in Cenſorem hac in parte delirum invectus eſt, ut ſint qui putent, optimè conſultum Denorio morte prærepto, ne ſcriptum hujuſmodi legeret, quo ad lycambeam reſtim fuiſſet adactus. Rediit poſt hæc Guarinus in patriam, iterumque ſui Principis gratia potitus Rhodigium ad ſua prædia ſeceſſit jam ſenex effectus. Eo in loco, ut Tomaſinus refert (1), fuit illi cùm Joanne Bonifacio pro translatione lipſanorum S. Bellini controverſia inſignis, quæ ipſius morte finita eſt. Nam cùm pro re domeſtica Venetias veniſſet, ibi lethali morbo correptus interiit anno MDCXIII. ętatis LXXV. ſepultus ibidem, ut res tulit alieno tumulo. Supereſt Equitis celeberrimi, Poetę immortalis etiamnum Patavii generoſa familia in uno Alexandro viro clariſſimo, Patavinę nobilitatis, affinitatibus, vitę ſplendore, doctrinâ, prudentiâ, comitate, religione, virtutum omnium ornamentis atque opibus inſtructiſſimo: in quo Baptiſtę memorandum poſteris genus vel feliciter perennabit, vel deſinet glorioſè.

Lingua Italica ſcripſit & edidit.

Epiſtolarum librum.
Polyſtrophos & Monoſtrophos & Rhythmos Italicos.
Paſtorem Fidum Fabulam Paſtoralem.
Secretarium, ſive de Officiis Secretarii.
Comœdiam titulo Hydropicam.
Veratum Primum & Secundum.

(1) Elog. lib. 2. p. 327.

CAPUT XXXVI.

Galeotus Ferrus. Nicolaus Genua de Paſſeribus. Franciſcus Barbarus Junior. Pompejus Card. Arigonius. Andreas Maurocenus. Carolus Belegno.

1614 CLXXXIII. AUget numerum illuſtrium alumnorum gymnaſii noſtri GALEOTUS FERRUS nob. Patavinus, recenſitus à Tomaſino (1) inter clariſſimos Juriſconſultos. Is adoleſcens Juriſprudentiæ in patriâ ſtudiis apprimè imbutus, vir excelluit in forenſibus cauſis, edendiſque ad conſulentes Reſponſis. An. MDXCII. ad Salernitanam Academiam vocatus, in eâ per ſexennium è primâ ſede jus Civile profeſſus eſt, Inde accitus Meſſanam in eo gymnaſio Jacobi Galli collega fuit, Verùm cùm ætas laboribus impar quietem ſuaderet, in patriam rediit, ut illi quod vitæ ſupererat, conſecraret. Itaque à Meſſanenſibus invitatus, ut Gallo ſuccederet, ſpreta magni ſtipendii mercede, patriâ pedem efferre recuſavit, in qua ſtudiis pacatiſſimè vacans honeſtum tranquillumque vitæ finem impoſuit Anno MDCXIV. Scripſit

Volumen Reſponſorum, quod prælo ſubjectum eſt poſt obitum ejus,

Prælectiones & Scholia in Lecturas Matutinas,

1615 CLXXXIV. Ferro nobili Patavinum æqualem, ſed natalium ſequiore fortuna imparem addimus NICOLAUM GENUAM *de Paſſeribus*; ſi tamen doctrinæ famam expendas, majorem. Is Bartholomæo Equite patre ortus ex non legitimo toro in ipſo flore adoleſcentiæ ſciendi cupiditate miro modo flagravit; ac primùm Philoſophiæ, mox Juriſprudentiæ capacem animum, infractumque laboribus corpus addixit; profecitque in utraque tam celeri ſtudio, ut nondum ætate major earundem ſcientiarum theoremata, propoſita publicè in Antoniana baſilica triduo tutatus ſit libera unicuique congrediendi facultate conceſſa. Exinde Doctor conſcribendis Reſponſis, ac patrocinio forenſium cauſarum ſedulitate ſumma vacavit, brevique patronorum, & cauſidicorum Patavii princeps habitus eſt, tantæque apud omnes exiſtimationis & gratiæ, ut excuſſa labe natalium civitatis decreto ad publica civium comitia, & Juriſconſultorum collegia fuerit receptus. Deſcribit liberale ejus ingenium Tomaſinus (2), ex quo hæc damus, facetum, voluptuoſum, & conſuetudinibus amicorum addictiſſimum: Bibliothecam quoque, quam ſtudioſis patere voluit. Verùm ex adagio, brevi aucta, brevi evaneſcunt. Tantæ ſpei juvenis in ipſo juventutis ſtatu vivere deſiit immatura morte ſublatus an. MDCXV. ætatis uno & trigeſimo, Bibliothecam, quam æternam teſtamento voluit, hæredes diſſolvendi æris alieni prætextu diſtrahentes intra menſem perdidere. Edidit

Comment. in libros Inſtitutionum.

Tractatus duos de Scriptura privata & verbis enunciativis,

Tractatum ſingularem de Teſtamentorum Cedula.

Librum, qui inſcribitur, Conciliatio Legum, ubi quas vocant Antinomias in concordiam revocat.

1615 CLXXXV. FRANCISCUS BARBARUS Danielis nepos alumnus gymnaſii noſtri, in quo poſt habitas publicè theſes, non ut mos habet ad pompam, ſed ex gymnaſtica ſeveritate tutatus Philoſophiæ atque Juriſprudentiæ dogmata, illius primùm, hujus deinde lauream conſecutus eſt (3). Grimano poſt obitum Danielis patrui ad Patriarchatum regredienti datus adjutor an. MDLXXXV., eidem ſucceſſit mortuo XC. Patriarcha an. MDXCII., ſtatimque qua erat & morum ſanctitate & ſapientia, diſciplinæ Eccleſiaſticæ ad nitorem priſtinum revocandæ ſe dedidit, crebris concionibus ex Antiſtitis præcipuo munere ſubjectum ſibi populum docens, quarum multas & doctas, & utiliſſimas editas vidimus. Ex Tridentinis canonibus habita Synodo Provinciali, cujus acta vulgata ſunt, vitiorum, quibus ager Eccleſiæ Aquilejenſis inhorruerat, maleſanam ſegetem extirpavit. Inde provinciam ſuam, quam per annos plus quam ducentos Preſulum incuria neque viderat, & planè neglexerat, inviſit labore ſummo, ſumma Eccleſię utilitate: vir certè memorandus inter paucos Antiſtites, doctrina maximus, pietate & integritate, atque ardore religionis eximius, & poſteritati ad exemplum objiciendus ex iis virtutibus multis & raris, quas latè proſequitur Ughellus (4), breviſſimèque ſignat Epigraphe, quam lapidi ſepulcrali, tum ipſi, tum Hermolao ejus fratri Antonius Barbarus utriuſque frater imponendam curavit ad D. Antonii Utini, ubi Franciſcus deceſſit an. MDCXV.

CLXXXVI.

(1) Elog.lib.1.p.163.165. (2) Elog.lib.1.p.257.260. (3) Sanſ.Diar.An.1579. (4) Tom.5.p.136.137.

CLXXXVI. POMPEJUS Card. ARIGONIUS Mediolano oriundus, vel potiùs Novocomo, Romæ auſpicatus eſt vivendi primordia. Præſtantis ingenii & altæ mentis adoleſcens Peruſiæ primùm, tum Bononiæ, demum Patavii diu verſatus Juriſprudentiæ ſtuduit, atque hinc Juriſconſultorum inſulis redimitus remeavit in patriam (1). In locum fratris conſiſtorii ſacri advocatus dictus eſt à Gregorio XIII. petente Philippo II. Hiſpaniarum Rege, quo tempore apud Card. Aldobrandinum paternam prorſus benevolentiam invenit. Eo curante idem Gregorius audiendis ſacri Palatii cauſis Pompejum præfecit, quam dignitatem uſque ad Clementis VIII. Pontificatum geſſit egregiè, atque ex eâ in Senatum Apoſtolicum lectus eſt ab eodem Clemente anno MDXCVI Diaconus Card. S. Mariæ in Aquiro, deinde S. Balbinæ, cujus ædes Pompejus reſtauravit, exornavitque magnificè. Poſt hæc pluribus Cardinalium cœtibus collega datus, & ſub Leone XI. Datarius, magnis negotiis expediendis, obeundiſque muneribus adhibitus eſt. Cauſarum quoque Hiſpanicarum patronus fuit juſſu Philippi Regis, à quo S. Bartholomæi apud Beneventum ſacerdotium dives accepit, nec diu poſt à Paulo V. Archiepiſcopus Beneventanus renunciatus ſanctè & utiliter præfuit, Eccleſiamque ſuam iis inſtitutis inſtruxit, ac ſacris ornamentis, quorum Oldoinus texit hiſtoriam (2). Mortalitatem explevit in Suburbio Neapolitano, quò aëris mutandi cauſâ ſeceſſerat, Prid. Non. April. an. MDCXVI. ætatis LXIV. Corpus Beneventum relatum conditum eſt in templo primario cum inſcriptione prolixâ. Vir fuiſſe traditur procero corpore, & oris venerabili majeſtate, propoſiti tenax, & debiti ſententiis ſuis obſequii exactor acerrimus; cæterum perhumanus erga cives, & erga Societatem Jeſu munificus, ut refert Ughellus (3), cujus collegium beneficiis maximis cumulavit; in magnates ferocientis fuit ſemper ingenii, quos creditur in ordinem redacturus fuiſſe, ſi Pontificatûs faſtigium attigiſſet. 1616

CLXXXVII. ANDREÆ MAUROCENI, quem gymnaſii noſtri meritò præcipuum dicimus decus, vitam, acta, geſta deſcripſerunt elegantiſſimè Nicolaus Craſſus junior, & Aloyſius Lollinus optimi Senatoris familiariſſimus. Hæc nuper Venetiis recuſa, variiſque notis illuſtrata & aucta per Petrum Catherinum Zenum (4), fratrem Apoſtoli, noſtrum nepotem eruditiſſimum, legat ſi quis plura de tanto viro deſiderat: nos enim, quæ ratio inſtituti noſtri poſcit, pauca ex plurimis damus. Natus eſt Andreas Venetiis an. MDLVII. patricia gente Ducum, ac Principum paludamentis & trabeis in Republicâ Venetâ olim atque etiamnum memorabili, atque inpoſterum apud poſteros memorandâ. Patrem habuit Jacobum Senatorem ampliſſimum, matrem Cæciliam Corneliam Pauli D. M. Procurat. filiam. Tyrocinium literaturæ minoris poſuit ſub doctore Bernardino Parthenio, ut Craſſus tradit, Lollinus præceptorem ejus Antonium Ponnam nominat, & fortè utriuſque fuerit auditor. Severiorum diſciplinarum initia cœpit inſtitutore Aloyſio Piſauro patricio Philoſopho: mox venit Patavium ad plenam bonarum artium inſtitutionem. Teſtantur hoc ejus biographi, atque in primis Lollinus, qui vitæ cum illo Patavii exactæ meminit ſæpe in opuſculis & carminibus. Quare abroganda minimè eſt fides optimo ſeni Salomonio ex monumentis gymnaſticis aſſerenti (5), Andream hìc diu verſatum addictumque diverſiſſimis diſciplinis ita in omnibus excelluiſſe, ut miraculo fuerit publicè profitentibus, literas quidem humaniores Faſeolo & Riccobono, pugnacem verò Philoſophiam Franciſco Piccolomineo, & Zabarellæ, Juris autem arcana Cephalo & Pancirolo. Exacto ſtudiorum curriculo, urgente peſtilentiâ an. MDLXXVI. cùm in patriam remeaſſet, ex tot opibus ſapientiæ clarus, maximèque ex eloquentia Rempublicam ſanctiſſimè ac ſapientiſſimè geſſit, ac Senator eximius nondum exacto anno ætatis XL. Paulo Parutæ Venero Hiſtorico ſuffectus eſt Senatuſconſulto an. MDXCVIII. ut Venetam hiſtoriam ſcriberet. Nono deinde anno iniit Triumvirale collegium gymnaſio noſtro præfectum; fuitque Moderator ejuſdem an. MDCVII. MDCXII. MDCXVI. Nec dum eo Magiſtratu abierat cum vivere deſiit an. MDCXVIII. ſexagenarius. Notiſſima eſt ejus Hiſtoria liviano ſtylo rem Venetam complexa libris XVIII. ab an. MDXXI. ad an. MDCXV. Edita eſt poſt ejus obitum à Paulo fratre, ex eaque tanti Andreas eſt apud eruditiſſimos Viros, ut non immeritò percrebuerit, quod de Saluſtio dictum eſt olim in hiſtoria Romana, primum habendum eſſe Maurocenum in Venetâ hiſtoriâ. Præter hanc alia quoque auctoris ejuſdem in publicum prodiit, curâ ejuſdem Pauli fratris, hiſtoria Mauroceni de rebus geſtis à Venetis in Expeditione Hieroſolymitanâ, & de parto ab iiſdem Imperio Byzantino. Epiſtolæ etiam ejus, & quæ vocantur opuſcula opus egregium, de quo 1618

(1) Sanſon, Diar. An. 1576. (2) Tom. 4. p. 309. (3) Tom. 8. p. 175. n. 105.
(4) Tom. 4. Hiſtor. Venet. (5) in Collect. ad Inſcr. Gymn.

conſulendus eſt Zenus laudatus in Elencho Scriptorum ejus (1), ex quo Andreas horum, quæ anecdota ſunt, Auctor eſt. Titulos eorum ſubjicimus.

Vita Leonardi Donati Veneti Principis.

Epiſtolarum Volumina duo; quæ memorantur à Lollino (2), qui inter has illam elegantiſſimam cenſet, quæ ad Ericium ſcripta, Villam Fabricii ab Aquapendente deſcribit.

Libri duo de iis quæ Veneta Reſpublica ad oras Iſtriæ geſſit adverſus Othonem Friderici Cæſaris Filium.

Elogium Pompeii Juſtiniani, quod commemorat idem Lollinus & laudat (3).

1620 CLXXXVIII. CAROLUS BELEGNO in lucem prodiit Venetiis, ex ea familiâ, quæ olim Selva, vel Silvia, à Stirpe ultimâ patriciâ in Dominico Selvo, vel Silvio Duce Venetorum XXXI. Principatum tenuit ab an. MLXVIII. ad an. MLXXXIV. (4) in imperatore non uno Venetorum claſſibus & exercitibus feliciſſimè præfuit: in pluribus D. Marci Procuratoribus publicè Majeſtatis Purpuram geſſit, qua etiamnum glorioſiſſimè ſplendet Paulus Antonius D. M. P. generis Sereniſſimi ſurculus, vir integerrimus, Senator ampliſſimus, doctorumque virorum, ſi quis alius, patronus eximius, ſtudiorum noſtrorum auſpex, tutor fortunæ noſtræ, hujus autem laboris noſtri blandus adjutor atque munificus. Nempe à prima ætate ex inſtitutione Patrum Societ. Jeſu in Brixienſi collegio bonis artibus ac literis innutritus, harum gloriæ favet ac nomini, avitumque ſibi vindicat ſapientiæ decus, quod claris alumnis Patavini gymnaſii Carolum Belegnum annumerat. Is natus circa an. MDLXII. ut ex dicendis conjicimus, cùm primùm literis minoribus operam dediſſet in patria, ſeverioribus diſciplinis idoneus Patavium venit, ubi quod reliquum adoleſcentiæ fuit Philoſophiæ ac Juriſprudentiæ dedit, Franciſci Piccolominei, Bartholomæi Silvatici, Guidi Panciroli auditor aſſiduus. Quantum in utraque ſcientia profecerit ex theſibus conſtat, quas triduo Patavii, triduoque Venetiis propugnavit an. MDLXXXVI. ſumma cum laude (5), ingentique doctorum virorum frequentia. Inde rediit Patavium ad laurum Juriſprudentiæ, quam anno eodem eſt plena ſuffragatione conſecutus, anno verò ſequenti III. Nonas Aprilis in Patavinum collegium receptus, inter præcipuos ſui temporis Jureconſultos enituit. In patria pleroſque Reipublicæ honores geſſit, majores rei domeſticæ ac literis privatim addictus contempſiſſe videtur. Annum ejus emortualem ignoramus, ſed qui an. MDLXXXVII. vigeſimum quintum exceſſerat, quippe in collegium Patavinorum Juriſconſultorum admiſſus intra an. MDCXX. mortalitatem expleverit. Edidit, quas tutatus eſt de jure Dei, Naturæ, & Hominis, Theſes in librum unum redactas, quibus addidit ampliſſimum commentarium, ſtylo quidem Philoſophico conſcriptum, ſed rationibus ingenioſiſſimis ex Ariſtotelica & Platonica philoſophia, ex Jure Canonico, & Civili deductis refertum.

CAPUT XXXVII.

Dominicus Tuſchus Cardinalis. Joſeph Bonfadius. Paulus V. Pont. Max. Benedictus Juſtinianus Card. Paulus Gualdus. Jo. Baptiſta Bonſius Card.

1620 CLXXXIX. IN catalogis ſtudioſæ juventutis è quæſtorio tabulario depromptis à Salomonio (6), & in albis Mediolanenſium gymnaſticis nomen DOMINICI TUSCHI legitur quater inſcriptum an. MDLXIII., & tribus ſequentibus, quorum poſtremis duobus is, qui ſignificatur hoc nomine, modò Lombardæ, modò Mediolanenſis eſt Nationis Conſiliarius. Hinc eidem Salomonio ſubſcribimus, rato, non alium ibi ſignari, quàm ſæculo ſuperiore celeberrimum hujus cognominis Cardinalem. Nam ut hoc diſſimulent, qui de illo ſcribunt, atque ante alios Ghilinus (7), hi tamen cum varia pervagatum Italiam luſtraſſe gymnaſia, tradunt: is autem, qui ad illum ſcribit, eique opuſculum ſuum dicat Maſtajus, palàm eum Patavini gymnaſii vocat alumnum, indeque peculiariùs laudat, quod hic clariſſimorum Doctorum auditor tam ſedulus fuerit, ut prælectiones eorundem, ac præſertim Deciani, qui omnium celerrimè diſſerebat, calamo exciperet, mente retineret, adjectis aliorum teſtimoniis confir-

(1) d. Tom. 4. p. 45. 58. (2) Vita Mauroceni. (3) in Epiſt. Miſcell. p. 13.
(4) V. ad hos annos Petr. Juſtin. Sabellic. Petr. Marcell. Contaren. Sanſov. & alios.
(5) Sanſ. Diar. An. 1586. An. 1587. (6) in Collect. ad Inſcrip. Gymn. (7) Theatr. Vol. 1. p. 45.

confirmaret. Fit adeo ut in cenſum gymnaſii noſtri veniat hic quoque ſcriptor Purpuratus, quem Juriſconſultorum jure πολυγραφώτατον dixeris. Humillimis ortus parentibus in Caſtro Arano, agri Regini pago pertenui, patrem ſcribam habuit, à quo miſſus ad patruum agentem Romæ, ibi minores literas didicit, ac majores quadantenus attigit. Patruo è vivis erepto redux in patriam, cùm etiam parentes morte ſublatos deprehendiſſet, inopiâ coactus dedidit ſe in familiam Sigiſmundi Areſtini, qui patriæ ipſius Marchio præerat, ſub quo militavit, ac centurio ſtrenuè ſub ſignis Caroli V. Cæſaris meruit. Ferunt cùm die quadam in libros Inſtitutionum Juſtiniani per otium incidiſſet, harum lectione ita delectatum fuiſſe, ut ad Juriſprudentiam addiſcendam animo totus exarſerit. Id quod ubi Dominus comperit, evocatum ad ſe, atque à militia dimiſſum, certo ſumptu conſtituto juſſerit ſcientiis, quas deperibat, operam dare. Ergo varia gymnaſia pervagatus hæſit in noſtro, in quo, ut diximus, legum curriculum emenſus, cùm pecunia deeſſet, ad reportandam lauream neceſſaria, hanc per literas à Domino flagitavit, qui quòd tunc Ticino præeſſet, evocatum ad ſe gratis in illo gymnaſio coronandum curavit. Jam Doctor Romam venit, verſatuſque diu inter cauſidicos, ita in ea forenſis ordinis militiâ præſtitit, ut princeps patronorum haberetur in curia. Hinc in album judicum Apoſtolicorum Magiſtratûs XIIViralis adſcitus à Gregorio XIV. Auditor Rotæ Romanæ fuit ad annum MDCXVIII., quo eum Clemens VIII. in collegium Cardinalium cooptavit. In hac dignitate à dicendo lucubrandoque vir laboris pertinaciſſimi ad ultimam uſque ætatem non deſtitit, jureque dicitur à Maſtajo indefeſſi calami Cardinalis, penuque legum ad omnes uſus locupletiſſimum. Extant vulgata typis prægrandia volumina VIII., quibus Practicas Juris Concluſiones in omni foro frequentiores complexus eſt. Edidit etiam ingentem Rerum farraginem, quam inſcripſit, *de Jure Statuum in Imperio Romano, ſive de Regum, Principum, tam Eccleſiaſticorum, quàm Sæcularium, nec non Comitum, & Civitatum Prfvilegiis, Juribus & Conſuetudinibus*. Utrobique ſe probat immenſæ in jure eruditionis doctorem, ex qua tanti Romæ habitus eſt, ut penè non ad ſupremum Sacrorum imperium in comitiis Pauli V. pervenerit. Obfuit homini verborum, queis paſſim utebatur, obſcœnitas, quam illi palam Cæſar Card. Baronius, tunc cùm Pontifex conclamabatur à multis, objecit, eique tiaram eripuit, pacatè adeo hanc ſiniſteritatem Baronii, impactamque accuſationem ferenti, ut nullum animi perturbati ſignum, quippe coram arguebatur, ediderit (1). Senex decrepitus annorum LXXXVI. ſibi domum Romæ ſumptuoſiùs ædificare cœpit, quam ex Evangelico dicto, conſummare non potuit, deceſſitque an. MDCXX. ætatis XC., atque adeo natus MDXXX. non verò MDXXXIV. ut Oldoinus (2), ex quo decerpſimus hæc pauca, ſcribit. Sepultus eſt ad S. Petri in Janiculo, quem Aureum appellant, ſignaturque breviſſima epigraphe.

CXC. JOSEPHUM BONFADIUM Salodienſibus diſcipulis gymnaſii noſtri annumeratum lego in albis gymnaſticis an. MDXCII. & ſequentibus (3): nec aliter ſignatur in illis inſcriptionibus priſcis, quas mihi tradidit Salomonius (4): ibi bis Conſiliarius, appoſito Salodienſis agnomine ſcribitur. Videtur tamen Venetus natus; fueritque Salodio oriundus, & fortè ex poſteris Jacobi illius, quem diximus Genuæ combuſtum. Jureconſultus fuit, memoraturque ejus ad laurum referendam examen an. MDXCIII. ut Veneti (5). Floruit reipſa Venetiis, claruitque maximè ſub initium ſæculi XVII., 1621
non ſolùm legum Sacrarum profanarumque ſcientiâ, verùm etiam, ut refert Craſſus, cùm Philoſophiæ ſtudiis (6), tum humaniorum literarum egregiis ornamentis. Præfuit ex Senatuſconſulto illi ordini civium, qui Reipublicæ adhuc adoleſcentes aptantur Secretis, erudiunturque interim, quò tutiùs ſe ſe committant ſuffragationibus ac decretis XViralibus. Cariſſimum eum fuiſſe conſtat Andreæ Mauroceno Senatori, Hiſtorico, ac Triumviro literario, qui ei Jacobum & Andream nepotes magni ſpiritus & admirabilis ingenii (7), quos non minus, quàm filios diligebat, inſtituendos tradidit, eundemque ſtudiorum omnium non rarò nomenclatorem adhibere conſueverat. Vixiſſe videtur poſt ipſum Andream, atque adeo ultra an. MDCXX. Edidit.

Diſputationem doctiſſimam, & elegantiſſimam *de Civilis adminiſtrationis optima forma*, adverſus oppugnantes Ariſtocratiam Jo. Bodinum, Gulielmum Barclajum, Juſtum Lipſium.

Orationem de ſtudiis rectè inſtituendis Venetorum Civium, quicunque ad arcana Reipublicæ ſunt adſciſcendi.

CXCI.

(1) Tomaſ. in Characteriſmo. (2) Tom. 4. p. 319. (3) in Collect. ad Gym. Inſcript. Salom. (4) Inſcript. Gymn. ejuſd. (5) Diar. Sabl. ad eum Annum in fin. (6) Vit. And. Maur. Hiſt. Venet. Tom. 4. p. 21. (7) Craſſus ibid.

1621 CXCI. PAULUS V. Pont. Max. ante Pontificatum *Camillus Borgheſius* Romæ natus eſt genere nobiliſſimo Senis oriundo. In ipſo ſplendidiſſimæ adoleſcentiæ flore Peruſiæ primùm, deinde Patavii ſcientiarum, ac præſertim Juriſprudentiæ alumnus fuit (1), atque in hac multum admodum profeciſſe dicitur, cui dum vixit addictiſſimum ſe ſemper profeſſus eſt. Literis æquè ac pietati adhuc diſcipulus ſtudium impendit omne, Virginis Deiparę jam tum cultor eximius, quem Salomonius ex monumentis cœnobii Carmelitarum Patavii ſcribit (2), ſolitum diebus ſingulis coram icone thaumaturgâ Virginis ejuſdem (quæ tunc erat propè aulam præfecti, translataque eſt ad ædes Carmelitarum an. MDLXXVI.) inter preces integras horas impendere (3), quemque Oldoinus palam aſſerit (4), ſanctiſſimæ Dei Genetricis amore flagrantem totâ vitâ candorem virgineum peramaſſe. Romam Patavio regreſſus, properatis munerum aulicorum inſignibus auctus, Abbreviator, ut ajunt, Apoſtolicarum literarum ſub Gregorio XIII. Signaturæ utriuſque Referendarius, Vicarius in Liberianâ baſilicâ, ac Pro-Legatus Boloniæ ſub Sixto V. mox Gregorio XIV. ſedente, Quæſturæ, & Ærario curiæ præpoſitus, religioſè, integrè prudenterque demandatas ſibi provincias procuravit. Quamobrem Nuncius extra ordinem in Hiſpaniam ad Philippum II. miſſus pro rebus graviſſimis, quas benè ſapienterque compoſuit, poſt reditum à Clemente VIII. Presbyter Card. S. Chryſogoni renunciatus eſt an. MDXCVI. Geſſit præcipuos magiſtratus in ampliſſimâ curiâ, quam ſimul & Urbem totam piis largitionibus, beneficiis, humanitate, comitate, oris & corporis majeſtate prope dixerim perculit, ac ſibi devinxit uſque adeo, ut votis & vaticiniis illi deferendum Pontificatum optarent, delatum gratularentur. Creatus eſt XVII. Kal. Junii an. MDCV. ſucceſſor Leonis XI. annum agens quinquageſimum tertium, vel quartum. Quæ ab eo magnificè geſta ſunt in ſummâ Dignitate ſingillatim & laborioſè collegit, ac legenda propoſuit Oldoinus (5). Inde illa pete. Obiit cum ſediſſet an. XV. M. VIII. D. XII. anno æræ communis MDCXXI. ætatis LXIX. vel LXX.

1621 CXCII. BENEDICTUS JUSTINIANUS Chio inſula oriundus, patriâ Genuenſis, nepos Vincentii Cardinalis Pio V. Pontifice Purpuram Romanam adepti, non ſolùm Peruſiæ, verùm etiam Patavii, & Patavii diutius bonis artibus ac Juriſprudentiæ ſtuduit, atque hìc honorificè doctoris inſignia recepit (6). Nobiliſſimâ ortus progenie, laureatus Romam venit ſedente Gregorio XIII. functuſque ſacris in aula muneribus (7), Quæſturæ, atque Ærarii Apoſtolici ſupremam præfecturam iniit, ex qua ad Purpuram evocatus eſt à Sixto V. an. MDLXXXV. Subiit ſub eodem ac deinceps onus Camerarii Apoſtolici pro Henrico Card. Cajetano diuturnas ac difficiles legationes obeunte ſub Clemente VIII. Sub Paulo autem V. maximi habitus in toto Purpuratorum patrum collegio, negotiis omnibus Apoſtolicæ ſedis adfuit ſummâ prudentia, conſtantiâ, dexteritate: quamobrem Bononiam, quæ tunc rixis & jurgiis acrioribus æſtuabat, miſſus Legatus à Latere populum fluctuantem ac tumultibus implicatum legibus latis ita compeſcuit, ut eam, quæ deſperâbatur, quietem amare coegerit. Regreſſus Romam & Portuenſis Epiſcopus creatus, ſub initium ſuſcepti per Gregorium XV. Pontificatus ex morbo in ejus comitiis contracto exceſſit è vivis an. MDCXXI. ætatis LXVII. De eo plura Oldoinus (8). Jacet cum Epigraphe ad S. Mariæ ſupra Minervam in ſacello Vincentii Cardinalis patrui.

1621 CXCIII. PAULUM GUALDUM patricio apud Vicentinos genere (9), ac pervetuſto natum aluerunt literæ humaniores in patria, profectum Patavium Philoſophia erudiendum ſuſcepit, tum in ſcholis tunc ſtantibus Societatis Jeſu, tum in gymnaſio Franciſci Piccolominei, & Jacobi Zabarellæ diſcipulum. Hac ad Juriſprudentiam factus idoneus ad leges Civiles & Sacras Juriſperitorum ſedulus auditor incubuit; atque ex his doctor laureatus, cùm ſe Sacris dicaſſet, Romam ſe contulit. Ibi cariſſimus aulæ curiæque ita feliciter ludum luſit, ut Sacerdotiis ditatus Patavium Archipresbyter Eccleſiæ remeaverit. Eum Marcus Cornelius Epiſcopus ſibi Vicarium Generalem dixit: functuſque eſt egregiè illo munere, ſpectabilis omnibus ex gravitate morum, & admirabili vitæ probitate, quam ſingularis humanitas erga omnes benigna, & ad morem gerendum omnibus habilis mirificè condiebat. Vincentio Pinello viro doctiſſimo, doctorumque virorum Mecænati munificentiſſimo conjunctiſſimus fuit, quod ſcripto quoque teſtatus eſt. Senex robuſtâ adhuc valetudine, ut piè doctèque otiaretur, dignitatem Archipresbyteri tranſtulit in Joſephum nepotem Gualdum Juriſconſultum, de quo viden-

[1] Oldoin. ad Ciacc. T. 4. p. 399. (2) Collect. ad Inſcrip. Gymn. (3) Vid. Riccob. de Gymn. lib. 5. c. 6. à p. 1. 4.
(4) loc. cit. (5) Tom. 4. p. 376. 398. [6] Diar. Sanſon. An. 1576. [7] Ughell. T. 1. p. 150. n. 101.
(8) ad Ciaccon. T. 4. p. 168. 170. (9) Tomaſ. Elog. lib. 1. p. 326. 327.

Digitized by Google

videndus eſt Tomaſinus (1): ipſe in ſeceſſu liberali diem clauſit an. MDCXXI. ætatis
LXXIII. Scripſit ediditque ſtylo gravi & eleganti luculentiſſimam Vitam Vincentii Pi-
nelli V. Clar. & amiciſſimi, ex qua ipſum inter claros alumnos gymnaſii noſtri meri-
tò numeramus.
CXCIV. JOANNES BAPTISTA BONSIUS nob. Florentinus (2) Dominici Sena- 1621
toris primique inter Miniſtros Magni Ducis Etruriæ filius, Patavii optimis diſciplinis
excultus Juriſprudentiæ quoque laurum promeruit, poſtquam ſtadium ſtudiorum legitimè
decucurrit. Egit deinde cauſas Romæ tantâ cum exiſtimatione, cum ſapientiæ, tum etiam
incorruptæ juſtitiæ, ut in conttoverſiâ inter Magnum Ducem Etruriæ & Clementem
VIII. electus arbiter ex voto partis utriuſque diſſidium compoſuerit. Hinc à Duce in
Senatum lectus geſſit rempublicam optimè, à Rege verò Gallorum Henrico IV. Biter-
renſis Epiſcopus renunciatus illam Eccleſiam recuperatis, quas amiſerat, ditionibus au-
xit, optimiſque inſtitutis ac legibus ordinavit, ut latè deſcribit Oldoinus (3). Preci-
bus Galliarum Regis eum Paulus V. abſentem provexit ad Purpuram, dixitque Cardi-
nalem S. Clementis, ac biennio poſt Romam reverſo eas dignitates ac munera gereu-
da dedit, ex quibus ob inſignem juris utriuſque notitiam magnâ apud omnes auctori-
tate vixit ad an. MDCXXI. quo vitæ LXVII. Romæ vivere deſiit. Corpus Floren-
tiam delatum apud Theatinos tumulum habet cum prolixo epitaphio, quod leges apud
Oldoinum eundem.

C A P U T XXXVIII.

Joannes Delphinus Card. Senior. Jo. Marius Avantius. S. Franciſcus Saleſius Antonius Saulius Card. Alexander Ateſtinus Cardinalis.

CXCV. JOANNES DELPHINUS ſenior Cardinalis ſtudiis exactis in Patavino gy- 1622
mnaſio inde I. V. D. in patriam redut (4), & more majorum, quos in
republicâ Veneta ſummis ſemper honoribus functos notum eſt, publico bono ſe addi-
xit, ac Senatorias dignitates geſſit Delphinâ comitate, gravitate, ſolertiâ (5). Plures
obiit legationes, ac præ cæteris nobilem Romæ ſub Clemente VIII., ubi ſenſim cœpit
eò ſpectare, ut profanam togam mutaret in Sacram. Quamobrem omnibus officiis co-
natus eſt ſibi gratiam Aldobrandinæ familiæ conciliare; votique compos, poſtquam re-
diit Venetias, & biduo in Senatu de legatione ſuâ dixit eloquentiſſimè, delatamque
ſuis meritis Marcianam Purpuram induit; hanc ſtatim depoſuit, ac Sacram accepit, ut
Eccleſiæ nomen daret. Nec diu poſt Michaeli Priolo in ſede Viceutina ſuffectus Anti-
ſtes, continuata dignitatum ſacrarum ſerie Romanam Purpuram meruit ſub eodem Cle-
mente VIII. an. MDCIV. Vir fuit ex hæreditaria prope dixerim virtute gentis, pru-
dentiâ & dexteritate maximi habitus, utque patriæ pro vi ili ſuppetias tulit ſub Paulo
V., ita pro partibus Gallicanis ſtetit ſempet in cœtibus Cardinalium. Ajunt, eum,
quod æger ſe proximè moriturum crediđiſſet, penſiones Eccleſiaſticas, quas multas &
opulentas poſſidebat, in familiares tranſtuliſſe: quo factum, ut cùm ex inſperato con-
valuiſſet, deinceps inops ex divite fuerit. Perſenex Venetias rediit, ut animam ſolo
natali reſtitueret: inde abiit ad plures VII. Kal. Decembris anno MDCXXII. ætatis
LXXVII.
CXCVI. JO. MARIAM AVANTIUM, Tomaſinus (6), ex quo nobis viri hujus 1622
notitia eſt, ab Avanticis deducit more genealogis permiſſo, atque ejus familiam Ve-
ronæ nobilem ac Ferrariæ, ex Ferrarienſi traduce locat Rhodigii, ubi Marius natus
eſt an. MDXLIX. Ibidem literis Græcis & latinis excultus à Riccobono, tanti apud
Magiſtrum fuit, ut eum unum aſſereret, quod ſciret, Poetam ac Rhetorem natum.
Philoſophiæ ac Theologiæ dare operam cœpit Ferrariæ, ubi Baptiſtæ Guarini Equitis,
Torquati Taſſi, Cæſaris Cremonini, aliorumque virorum, quos XVI. & XVII. ſæcula
ex eruditione fecêre maximi & familiaritate, & contubernio uſus dicitur. Profectus
deinde Bononiam, ibi, patre invito, qui eum Medicinæ deſtinaverat, Juriſconſulto-
rum ſe caſtris adſcripſit: inde Patavium venit; atque in hoc noſtro gymnaſio ſedulus
auditor Manticæ, Menochii, Mantuæ, Monticuli legum ſtadium decucurrit earumque
metas feliciter attigit, ac præmia doctor adeptus eſt. Fuit poſt hæc Procurator Fiſci
Rhodigii,

(1) Elog. Tom. 2. p. 327. 333. (2) Oldoin. ad Ciaccon. Tom. 4. p. 425. (3) ibidem.
(4) Diar. Sanſ. An. 1519. (5) Oldoinus T. 4. p. 357. & ſeq. (6) Elog. Tom. 2. p. 132.

Rhodigii, egitque cauſas, tum civiles, tum criminales tantâ nominis famâ, ut ad eum undequaque conſilii vel patrocinii causâ clientes adcurrerent, vocareturque paſſim extra patriam ad idem officium amplâ & invidiosâ mercede. Hinc porro illi fortunæ mutatio, & ab hoſtibus ſumma pericula. Nam cùm fidejuſſorem ſe pro cliente dediſſet, ut eum ab anguſtiis, queis urgebatur, eriperet, ut mos habet, & inimicitias ſibi paravit, difficiles admodum, & quam ſpoponderat fidem, ſolvere coactus eſt, quòd principalis debitor decoxiſſet. Damno rei familiaris, & ærumnæ gravi additum vitæ periculum. Duodeviginti vulneribus & quidem lethalibus confoſſus eſt ab inimicis; mox fratrem amiſit hoſtium gladiis peremptum, tandemque uxorem cum ſobole primi partûs dolores abſtulêre. Tot malis concuſſus de patriâ deſerendâ cogitavit, atque interim præſens à virtute & ſapientia ſibi remedium ac tutelam quæſivit. Redit proinde ad intermiſſa Muſarum ſtudia, atque ita curas omnes in bonas literas ac ſcientias tranſtulit, ut dies noctesque evoluendis priſcorum libris annotandiſque & excerpendis impenderet. Duxit etiam uxorem nobilem Patavinam, atque hac inſinuante flexit animum, ut læviri cælibis precibus morem gereret, domumque transferret Patavium. Hic civitate donatus, acceptiſſimus cunctis ſedes fixit ac domicilium, familiamque Avanciorum, quæ noſtra ætate extincta eſt, propagavit ſeptem filiis claram. Ipſe ſcriptis editis longè clariſſimus exteris etiam gentibus ac Principibus innotuit, præſertimque Ferdinando II. tunc Archiduci, mox Cæſari, à quo donatus muneribus in aulam quoque invitatus eſt, ut ipſi à ſanctioribus conſiliis adeſſet. Excuſavit ſe Marius, ætatem cauſatus, quæ tamen non obſtitit, quin ſenex eloquentiſſimus patrocinium impenderet filio, quem reum capitis ob interfectum villæ ſuæ Sacerdotem, tanta vi ac felicitate defendit, ut à judicibus ſententiam, qua liber ab obſervatione judicii pronunciabatur, extorſerit. Obiit Patavii an. MDCXXII, ætatis LXXII. Conditus eſt ad D. Auguſtini cum epitaphio, quod omiſſum à Salomonio, edidit Tomaſinus (1). Scripſit.

Hiſtoriam Eccleſiaſticam à Lutheri Apoſtaſi ad ſua tempora.
Tractatum de Partu hominis.
Conſiliorum Civilium & Criminalium Volumen.
Carmina Latina & Italica plurima.
Poemation Italicum ad Ferdinandum II. inſcriptum Metamorphoſis Lampridis & Noctilucæ.

1622 CXCVII. Poſtremum ex ſanctimonia & ſcriptorum gloria decus gymnaſii noſtri, S. FRANCISCUS SALESIUS, in oppido Saleſio, undè familiæ nomen eſt, piis ac nobilibus parentibus natus notiſſimus Eccleſiæ orthodoxæ eſt, actumque egerimus, ſi quę maxima geſſit, ac biographorum, concionatorumque ſacris & hiſtoriis & orationibus celebrantur, ad hanc brevitatem inſtituti noſtri cogere audeamus. Adoleſcens liberalibus diſciplinis apud ſuos imbutus, Philoſophiam ac Theologiam Pariſiis tractavit; mox ad Juriſprudentiam venit Patavium, atque in gymnaſio noſtro diu verſatus ſcholaſticæ juventuti exemplo, ex morum, vitæque modeſtia & ſanctitate; Jura profitentibus admirationi fuit, ex aſſiduitate ſtudiorum, virtutiſque præſtantia, qua non ſibi tantùm, ſed publicæ utilitati proſpiciebat. Ferunt enim cùm morbo ſontico laboraret, jam morti proximum, teſtamento condito juſſiſſe, corpus ſuum Profeſſoribus Anatomes tradi, ut eo ſecto, vel ab obitu publicæ eruditioni prodeſſet. Ubi convaluit, receptis legum laureatis inſignibus an. MDXCI. de manu Guidi Panciroli, ut & Sanſonus (2), & icon illi poſita in ſacro collegio teſtantur (3), dum redit in patriam ex itinere ſacras ædes Lauretanæ Deiparę adiit, votumque Virginitatis perpetuę, quod jampridem Pariſiis emiſerat, atque hìc in tanta gymnaſticę juventutis licentia religiosè ſervaverat in pulcherrimo corpore prorſus ſanctum, innovavit, ſervavitque deinceps tam ſedulò, ut nullis unquam illecebris illibati candoris florem turpaverit. In Sabaudię Senatu, ampliſſima dignitate contempta ſacrę militię ſe adſcripſit, in eaque Sacerdos Gebennenſis Eccleſię Prępoſitus fuit, quam urbem pro virili ab hęreſi vindicare niſus, Caballicenſibus, aliiſque finitimis populis divini verbi pręco laborioſiſſimus profuit, quamvis ſępè ab hęreticis ad necem conquiſitus, vexatuſque inſidiis, calumniis & ærumnis quamplurimis, quarum immenſę moli invictus, infractuſque fertur ſeptuaginta Parabatarum millia ad caſtra orthodoxę Fidei retraxiſſe. Hinc à Granerio Antiſtite Gebennenſi, cujus hęc juſſu hortatuque peregerat, Adjutor Epiſcopalis officii adſumptus, ſucceſſor quoque deſignatus eſt; eique defuncto ſuffectus inter Chriſtianos Pontifices miro fulgore verę ſanctitatis emicuit: ſtudio nimirum eccleſiaſticę diſciplinę, curâ pacis atque concordię, miſericordia in pauperes, omniumque virtutum ad ſpeciem heroicam ornamentis latè conſpicuus, ac gregi ſuo norma factus exemplo. Poſt inſtitutum Sanctimonialium

(1) ibid. p. 156. (2) in Diar. An. 1591. 5. Septemb. (3) V. Salom. Inſcr. Pat. p. 528. n. 13.

monialium ordinem, à Viſitatione nuncupatum, quem prudentiſſimis, ſanctiſſimiſque
monitis ac legibus ad pietatis ac religionis amorem inſtruxit, poſt libros editos cœle-
ſti ſapientiâ refertos, quibus cujuſcunque ordinis Chriſtianos homines ad facilem. ſalu-
tis viam placidiſſimè deducit (nec recenſentur à nobis, quòd in oculis omnium ſint,
verſenturque in manibus omnium) annum agens LV. æræ communis an. MDCXXII.
dum è Gallia Aneſium regreditur VI. Kal. Januarii Lugduni decubuit, ac poſtridiè
migravit ad Superos. Corpus ejus Aneſium delatum, in templo Monialium, quas in-
ſtituerat, conditum eſt, claretque miraculis, quibus ritè probatis, noſtrâ ætate Fran-
ciſci Saleſii nomen in Divorum album relatum eſt ab Alexandro VII. Pont. Max. co-
liturque Patavii præcipuis honoribus, & annali panegyri in baſilicâ Eremitanâ IV.
Kal. Februarii, ut alumnus gymnaſii ac patronus Academiæ, quam Recovratorum ap-
pellant.

CXCVIII. ANTONIUS SAULIUS Cardinalis Octaviano ſenatore patre, Juſtinia- 1623
nâ matre Genuæ ad vitam prodiit. A primis annis Florentiæ, mox Bononiæ, Pata-
vii demum literis atque artibus, queis itur ad ſapientiam, operam dedit, atque hìc
metam attigit impenſorum ſeverioribus diſciplinis laborum (1), infulas legum adeptus.
Romam profectus honores curiæ iniit ſub Pio IV. Nuncius Apoſtolicus ſub Gregorio
XIII. per quinquennium libertatem eccleſiaſticam ſtrenuè tutatus eſt. Inde ad Henri-
cum Luſitaniæ Cardinalem & Regem ſtatariâ Legatione functus, ei auctor fuit, ut
ſibi vivens ſucceſſorem diceret, ne poſt eius obitum exitialis rerum Luſitaniæ conver-
ſio conſequeretur. Adfuit deinde Regi morienti, & apud Philippum II., qui jure hæ-
reditario, ſe ſucceſſorem Henrico dixit, in eâdem dignitate muneris fuit. Revocatus
ad curiam à Sixto V. ulterioribus beneficiis auctus eſt, datuſque Cypriano Saulio
Archiepiſcopo Genuenſi Adiutor, eidem biennio poſt, anno ſcilicet MDLXXXVII.
ſucceſſit. Quo itidem anno in ordinem Purpuratorum Patrum cooptatus, Legatus à
latere præfectus eſt claſſi Pontificiæ, quam Sixtus adverſùs Turcas & Piratas Romana
littora infeſtantes armaverat. Sub Gregorio XIV. reſignata Eccleſiâ Genuenſi, quam
vigilantiſſimè & ſanctiſſimè per annos quatuor gubernarat, Romæ diu vixit venerabi-
lis omnibus, ac Decanus Cardinalium, ab Urbani VIII. comitiis, febre contractâ de-
ceſſit an. MDCXXIII. Plura de eo Oldoinus (2), & ante Oldoinum Ughel.us (3).
Temporario tumulo jacuit in templo Deiparæ ad portam Flaminiam, Genuam deinde
translatus in majorum ſarcophagum illatus eſt.

CXCIX. ALEXANDER Cardinalis ATESTINUS, Alfonſi poſtremi Ferrariæ Du- 1624
cis filius, Cæſaris Mutinæ Ducis frater, à patre in ſpem educatus Purpuræ Romanæ
adhuc adoleſcentulus, ejus juſſu Patavium venit an. MDLXXXIV., atque hic libera-
libus diſciplinis imbutus operam navavit Juriſprudentiæ in regio planè ſumptu & co-
mitatu. Gravibus ac publicis Profeſſoribus familiariter uſus ac præſertim his quatuor,
Bartholomæo Silvatico, Sebaſtiano Monticulo, Guido Pancirolo, ac Jacobo Meno-
chio, ſapientiæ, gravitatis atque prudentiæ multum admodum ad futuram retulit glo-
riam. Veſte ad talos demiſsâ amictus, mirâque in tantâ fortunâ comitate facilis om-
nibus, ita ſibi omnium devinxit animos, ut ad eum quaſi arbitrum controverſiarum
omnium capita, præſertim à diſcipulis, referrentur, quarum nodos in illâ ætatula mi-
râ dexteritate ſolvebat, eludebatve. Juris utriuſque inſignibus magno apparatu, lætâ-
que omnium ordinum acclamatione decoratus rediit Ferrariam, ibique ſemper omnium
Eruditorum conſuetudine, & contubernio addictum literis animum recreabat. Habeo
eorum, quæ hìc delibavi pleraque in duplici oratione, altera habita in ipſo Juriſcon-
ſultorum collegio de ejus laudibus à Galeatio Bigolino, altera dicta in gymnaſio ad
idem argumentum ab Alexandro Puteo Pedemontano Pro-Rectore Juriſconſultorum;
adſtipulaturque Diarium Sanſoni, notans duplum ad examen depoſitum (4), duplum-
que obveniſſe collegis pro ſportula. Poſt obitum patris Alfonſi Alexander in Senatum
Apoſtolıeum lectus eſt à Clemente VIII. Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Via lata
(5), eaque dignitate conſpicuus, & alioqui linguæ tum Gallicæ, tum Hiſpanicæ pe-
ritus, animi cauſa in Hiſpaniam peregrinationem ſuſcepit, ubi à Rege Philippo III.
ſummo cum honore receptus, Romam revertit, ſeque totum Philoſophiæ addixit, at-
que elocutioni latinæ. Utriuſque Doctorem habuit Antonium Quærengum Patavinum,
quem domi aluit, ac ſtudioſiſſimè audivit. Devexa jam ætate a Gregorio XV. ſacris
initiatus, ad Reginas infulas evectus eſt, perrexitque ad curam Eccleſiæ ſuæ, quam
ordinavit religioſiſſimè, auxit, ornavitque munificè. Ab obitu Gregorii Romam reverſus
inter-

(1) Sanſ. Diar. an. 1563. (2) Tom. 4. p. 177. 179. (3) Tom. 4. p. 900. 902. n. 31.
(4) an. 1584. (5) Oldoinus T. 4. p. 342. & ſeq.

Interfuit comitiis Urbani VIII., poſt quæ aliquandiu moratus in Urbe, ruſticaturus Tybur contendit, ubi febri lentâ correptus contabuit, ac Romam regreſſus mortalitati ſatisfecit III. Kal. Junii an. MDCXXIV. ætat. LVIII. Corpus Tybur relatum humatum eſt ad D. Franciſci.

CAPUT XXXIX.

M. Antonius de Dominis. M. Antonius Genuenſis. Ioannes Sozomenus. Aloyſius Lollinus.

1624 CC. M. ANTONIUM DE DOMINIS Archiepiſcopum Spalatenſem alumnis Juriſprudentiæ Patavinæ conjungimus, quòd illum in albis gymnaſticis legimus albo Juriſconſultorum adſcriptum (1), quamvis neque conſtet, utrum legibus operam dederit unquam, & Scriptores hæretici eum Theologum fuiſſe in Italiâ pronunciatum affirment. De hoc homine pauca Franciſcus Albanus (2), quædam Abrahamus Bucholzerus (3), ex quibus & aliis ſua habet Freherus (4), cæterique Sectarii. Nos ejus juſtam notitiam faciemus ex certioribus, quæ gymnaſticis monumentis conſtituuntur. Natus eſt M. Antonius Arbæ in urbe cognominis inſulæ, quæ una ex tribus eſt in ſinu Flanatico. Familia illi de Dominis patricia fuit inter primas, & in patriâ pręcipua, claraque apud Dalmatas ex majorum Sacris & profanis honoribus. Patavium venit, ſtudiorumque tyrocinium poſuit in ſcholis Patrum Societ. Jeſu, quæ tunc mirâ diſcipulorum frequentiâ celebrabantur. In album tamen diſcipulorum gymnaſii noſtri relatus, frequens auditor fuit Antonii Riccoboni, qui eum inter præclaros diſcipulos nominat ſuos, ſcribens Laurentio Maſſæ Magiſtratûs Triumviralis à ſecretis patrono ſuo (5). Emenſus ſtudiorum curriculum Societati Jeſu nomen dedit, in eaque Sacerdos initiatus & docuit, & concionatus eſt, tum Patavii, tum Brixiæ. Duræ tamen cervicis homo, & indomitæ prorsùs, planèque pertinacis ſententiæ, cùm obſequio Majorum reluctaretur, dimiſſus eſt. Venit exinde Romam, atque in illa luce curiæ, quæ ſi qua alia mores advenarum ad trutinam revocat, tanto cum faſtu ſeſe oſtentabat, ut quamvis admonitus, quò modeſtiùs ageret, quòd monita ſperneret, exciderit patrocinio Maffeii Card. Barberini, qui poſtmodum Urbanus VIII. fuit, & in cujus tunc aulam irrepſerat. Senienſem attamen in Liburniâ ſedem obtinuit ſub Clemente VIII., & Antiſtes inauguratus an. MDXCVI., eam Eccleſiam adminiſtravit ſexennio. Nam an. MDCII. translatus ad inſulas Spalatenſes Sacris Liburnicis præfuit Metropolites. Fertur autem gnaviter eo munere functus aliquandiu, multa geſſiſſe, quorum adhuc ex doctrina, largitate, & religionis tuendę ſtudio non vulgaris memoria ſupereſt. At idem arguitur in eâdem prefecturâ ut varii ſemper ingenii Pręſul, rixarum amans ac litium, quas creberrimè adverſus Clerum, & Flaminum ſuorum collegium iniit, nec ſemper cum laude, ſępè cum probro peregit. Cępit deinde moleſtè ferre, quam ex lege dignitatis ipſi conceſſę penſionem ſolvebat Mutio Andreutio Utinenſi Decano, poſtea Epiſcopo Tragurienſi; cùmque fruſtra ſe illi oneri ſubducere, ac ſibi vindicias adverſùs creditorem dicere tentaſſet, paulatim deflexit, rixoſus homo, & pervicax, ad funeſta conſilia; reſpexitque quod cenſuit eſſe poſſe mętoti, vel, ut putabat, dedecori curię Romanę, ſuam nimirum Apoſtaſim. Veniâ igitur impetratâ Venetias venit, ac Sfortiæ Ponzenio cognato ſuo, quas geſſerat, inſulas reſignavit: ipſe muneris deſertor ſui, curriculo profectus in Angliam Fidei quoque orthodoxę nuncium remiſit. Exceptus eſt peramicè, cùmque cępiſſet adverſus Romani Pontificis poteſtatem ſcribere, munificè adeo actum cum illo eſt, ut ſperaverit primas in Britannia ſe Sacrorum dignitates conſecuturum. Verùm vix ad minimas admiſſus, ſi tamen ad aliquas, quod Hęretici negant, conſcientiâ tactus, piis hortatibus Gregorii XV. per Miniſtros Hiſpanos propoſitis aures prębuit, ac fugâ elapſus ab Anglia Antuerpiam, vel potiùs Bruxellas venit, ubi errorum ſuorum ritu ſolemni palinodiam cecinit. Ægrotavit ibidem graviter, atque ubi convaluit, profectus Romam an. MDCXXII. eâ clementiâ receptus eſt, quam caritas chriſtiana lapſis impendit; reſponditque ille primùm ſincerè ſatis, &, ut videbatur, fideliter; at brevi Gregorio XV. demortuo, cum iniſſet Pontificatum Urbanus VIII., ea ſpe deſtitutus, quam conceperat ex priſci patroni auſpiciis, iterum ad prava conſilia converſus, ſtudere per literas commercio cum hęreticis, incon-

(1) Salom. Collect. ad Inſcr. Gymn. (2) in Anatom. Papæ. (3) in Indic. Chronol.
(4) T. 1. P. 1. Sect. 2. p. 68. (5) Epiſt. 35.

inconſtanter & loqui & ſcribere, ea tentare, ex quibus ſuſpectus eſſet; Quamobrem in carcerem arcis Adrianeæ detruſus eſt, in quo febris ſontico morbo correptus interiir, Sacramentis Eccleſiæ receptis, inter Sacerdotum officia anno MDCXXIV. XII. Kal. Januarii. Ab obitu cùm ſacrum Quæſitorum tribunal tandem longâ cognitione habitâ ex actis comperiſſet, ſceleratum hominem ad priorem impietatem relapſum, latâ ex jure ſententiâ oſſa ejus ad tribunal delata juſſit in Campo Floræ Vulcano conſecrari, cineres in Tiberim abjici. Edita hæc ejus Opera ſunt.

Conſilium Profectionis M. Antonii, hac Munitum Epigraphe.

Epiſtola M. Antonii de Dominis Archiep. Spalatenſis ad Epiſcopos Eccleſiæ Catholicæ ſcripta: in qua omnes caſus diſceſſus ſui ab Epiſcopatu exponit.

Libri X. de Republicâ Chriſtianâ in tres partes diſtributi, quibus Hierarchiam Rom. Pontificis nititur abolere.

M. Antonius de Dominis Archiepiſcopus Spalatenſis ſui reditus conſilium exponit. Continet Capita XXXIII. quibus Palinodiam fugæ ſuæ ex Italia, & ſuæ Apoſtaſis explicat.

CCI. M. ANTONIUS GENUENSIS Neapolitanus Roberti filius primùm Patavii 1624
Juriſprudentiæ tyrocinium poſuit, ut ipſe teſtatur (1), & conſtat ex albis gymnaſticis (2); mox in patrio gymnaſio doctoris laurum in utroque jure conſecutus eſt, Ex Canonico Neapolitano Epiſcopus Montis Marrani ſub Archiepiſcopo Beneventano (3), inde ad ſedem Iſernienſem translatus eſt in Samnitibus à Paulo V. A. MDCXI. Sedit annos XIII. obiit an. MDCXXIV. Sepultus in templo principe Eccleſiæ ſuæ tegitur tumulo, quem ſibi vivens paraverat. Vir juriſconſultiſſimus plurima edidit, quorum quæ vidimus hos titulos habent.

Praxis Archiepiſcopalis Curiæ Neapolitanæ.
Manuale Paſtorum.
Practicabilia Eccleſiaſtica.
Advocatus Pauperum.
Petri Navicula.
Conſiliorum Eccleſiaſticorum Volumen.

CCII. JOANNES SOZOMENUS præclariſſimo genere natus in Cypro, inde puer 1626
extorris, ſubactâ à Turcis patriâ, cum familiâ venit Venetias. Adoleſcens inops & ſciendi cupidiſſimus cum Cypriis aliquot munificentiâ Gregorii XIII. receptus eſt inter alumnos collegii Græcorum Urbani, quod Pontifex idem omnium gentium amantiſſimus dudum erexerat, ac Julio Sanctorio Cardinali commendaverat. Ibi ſtudiorum tyrocinium poſuit, humanioremque literaturam, ac præliarem Thomiſtarum Philoſophiam collega Joannis Cottunii, & aliorum, quos Leo Allatius magnos viros ex illo collegio prodiiſſe memorat (4), plenè planèque perdidicit: Græcam verò linguam excoluit diligenter adeo & laborioſè, ut ex monumentis ejuſdem collegii, quorum Excerpta in miſcellaneis noſtris habemus, nemo Romæ feliciùs, promptius Sozomeno Scriptores Græcos explanare, & imitari ſcribendo docendoque ſciret. Hinc illi demandata ſchola Græca, quæ ad erudiendos alumnos in ea domo ab initio inſtituta eſt; vigebatque ætate noſtra, ac vigeat, ut credimus, etiamnum. Tradit hoc ipſum Allatius. Poſt annos aliquot Romanæ diſciplinæ impenſos, Philoſophiæ doctor Venetias rediit, ac Patavii per annos circiter quinque Juriſprudentiæ operam dedit, ex qua lauream conſecutus an. MDXCVI. (5) cùm patrios lares, quos illi ac Familiæ ad S. Martinum Clementia Veneti Senatûs conceſſerat, repetiiſſet, quæ ad vitæ uſum erant neceſſaria ſibi parabat Græca docens, & inter minores cauſidicos ad Senatorum ſubſellia diſceptans. Duxit deinde uxorem Virginem Tarviſinam, ex cujus dote quadantenus dives rabioſa fori jurgia vir doctus, atque otii literarii ſtudioſiſſimus neglexit, inſtituitque deinceps linguæ græcæ docendæ, indeque clarus, acceptuſque Patriciis Venetis Marcianæ Beſſarionis bibliothecæ cuſtodiendæ præfectus eſt, ſimul illi munus demandatum cenſendi de Græcis libris edendis Venetiis: ibi conſenuit circa an. MDCXXVI. jacet in templo S. Laurentii martyris ad aram Deiparæ Virg. in cœlum aſſumptæ: cui monumentum ibidem poſuit, Julioque fratri, & ſibi Claudius Sozomenus Polenſis Antiſtes. Familiariſſimus fuit tum Andreæ Mauroceno hiſtorico, Senatori, ac Triumviro Literatio, tum Aloyſio Lollino Epiſcopo Bellunenſi, ut ex hoc patet (6). Edidit libros ſeu Dialogos X. Platonis de Juſto ſeu de Republica, quos ipſe latinitate donavit, & ex inutili ac moroſa ratione ſcribendi, qua tempus Dialogi terunt, in perpetuum & continentem ſermonem redegit, notiſque & argumentis additis illuſtravit. Monumenta collegii Græcorum adjiciunt, ſcriptam ab illo Græcam Grammaticam,

(1) Præf. ad Conſil. Eccl. (2) Salom. Collect. in Gym. Inſcrip. (3) Ughell. T. 6. p. 403. n. 47. & T. 8. p. 343. n. 37. (4) de Conſenſ. lib. 3. c. 7. n. 9. p. 989. (5) Sauſ. Diar. An. 1596. Vid. Nicol. Craſſum in Vit. Mauroceni præfix. edit. Hiſtor. Venet. Tom. 5. p. 21. (6) in Miſcell. p. 113.

quæ proſuerit admodum Gretſero; itidemque Commentaria ſatis erudita, & utilia in librum Longini de Sublimi.

1626 CCIII. De ALOYSIO LOLLINO Cretenſi, patricio Veneto & Epiſcopo Bellunenſi celeberrimo, cùm plurima ſe nobis ingerant ſcribenda, dicenda, ne neceſſaria quidem nos dicere, ſcribere patitur brevitas, quam profitemur. In miſcellaneis noſtris, quæ olim ad ſpecimen Græciæ ſapientis edendum ex omnifariam Scriptoribus Græcis parabamus, de hoc viro doctiſſimo ſingula ex ejus ſcriptis collegimus, ex Græcis pręſertim, latiniſque carminibus. Ex his aliqua dabimus, quæ non minus genti noſtræ, quàm Patavino gymnaſio decori ſint apud poſteros, & exemplo. In Creta Cythæi, olim quod Gortyna, mox Chandax dictum, natus eſt ex ejus ſcriptis an. MDLVII. quamobrem ſe quandoque Cythæenſem appellat (1), plerunque Gortynium, præſertim cum ſe abeſſe à Patria dolet carmine (2), quod incipit.

Belluni rigidas Civis Gortynius Alpes
Incolit: heu terra quam procul à patria!

Familiam ejus inter indigetes numerant alii, ac Venetâ deinde tradunt nobilitate donatam; alii ab origine patriciam, & oriundam Venetiis deducunt in Cretam, qua in inſula ditiſſima fuit, totque & prædiorum & ſundorum domina, ut migratura Venetias ex eorum venditione pluſquam ſexdecim familias ditaverit. Aloyſius à prima ætate Gręcis imbutus literis, cùm in illis maximè profeciſſet, non contempſit latinas, quas tamen non ęquè bene didicit, quòd inſtitutore in patria careret. Hinc illi placuit à Creta diſcedere, quod & fecit anno ętatis vigeſimo, cùm tota ejus familia vicinius, Cypro ſubactâ, Turcarum imperium verita, prudenter admodum, rebus Cretenſibus venditis, ſeque, contractumque pecuniâ patrimonium ingens Venetias tranſtulit, extructiſque magnificè ędibus, quas ipſe Aloyſius deſcribit (3), ita opibus floruit, ut ex hęreditate, adſcitam in agnationem Juſtinianam familiam, Lollino nomine ac patrimonio perennaturis ad poſteros auxerit. Venetiis Lollinus diligentiùs ad latinam eruditionem incubuit, excurrenſque ſępè Patavium, graviores diſciplinas raptim excipiebat, quas ut tandem perdiſceret, ibidem hęſit, ubi ſtatarium ſe militem omnium ſcientiarum eſſe in epiſtola gręca ad Margunium ſcribit. Reapſe percurrit hìc ſcientias omnes, Philoſophiam, Matheſim, Aſtrologiam, Geometriam. Linguarum quoque Chaldeę & Hebraicę tyronem ſe profitetur Hieromonacho Deſo, quocum per ea tempora ex ſorore matris affinitatem contraxerat. Vertit deinde animum ad legum ſtudia, ac ſedulus publicè jura profitentium auditor, poſt legitimum tempus in utroque jure doctoris inſignia conſecutus eſt (4). Redux Venetias, togâ ſumpta, nec rempublicam geſſit, nec in campum deſcendit honorum petitor, ſed uni deinceps eruditioni militavit aſſiduè, ad quam bibliothecam ſibi paravit, quam raris & optimis MSS. codicibus ingenti ſumptu coemptis inſtruxit; ex quibus deinde admodum profecit Baronius (5), & Gręca, ac Orientalis Eccleſię poſt ſęculum VIII. hiſtoria ad nativum lumen emerſit. Debemus illi nos quoque plurimum, tum in iis, quę pertinent ad Nicolaum Myſticum Byzantinum Antiſtitem ſub Leone Sapiente, & Conſtantino VIII. quippe ducentas Nicolai Epiſtolas & Gręcè curavit exſcribi, & latinas fecit; tum in plena notitia controverſię inter peſſimum Palamam, & Italum Barlaam, quam Baronio Cardinali integra diſſertatione propoſuit. Porro Lollinus ex hac bibliotheca inclareſcere cœpit Venetiis, frequentabaturque ejus domus à viris doctiſſimis, quorum nomina otioſiùs alibi ex carminibus ejus decerpſimus. Hos inter Auguſtinus Card. Valerius fuit, qui eum comitem Romam deduxit, iiſque ex merito laudibus Clementi VIII. commendavit, ut eum jam annum ętatis quadrageſimum agentem, invitum licet & reluctantem, Bellunenſibus Sacris pręfecerit an. MDXCV. Quid in eo munere geſſerit, quanto doctiſſimos viros amore fuerit proſecutus, quo ſtudio ſacram familiam ad ſapientiam & religionem impulerit, quibus & inſtitutis & exemplis & ſcriptis Eccleſiam ſuam ad cultum virtutum omnium evocare conatus ſit, qua tandem & largitate miſeram egeſtatem à ſordibus vindicaverit, & munificentia ſuam Eccleſiam ornaverit, non eſt, ut hęc noſtra brevitas explicet. Dixere alii, ut occaſio tulit, aut gratus animus juſſit, uberiùs, dicet, ſi quam videtur eruditiſſimo & elegantiſſimo calamo ſuo vir Clariſſ. & Nobiliſſ. Pilumnus Pilumnus Canonicus Bellunenſis amicus noſter ſepoſuiſſe, conſcribet vitam Pręſulis tanti, quo Gręco homine, & Patavini gymnaſii ſapientiſſimo alumno, ut Bel-

(1) Carmin. p. 35. (2) ibid. p. 218. (3) ibid. p. 80. (4) Diar. Sanſ. An. 1580.
(5) Vid. Annal. ad An. 813. n. 20.

1990

Bellunenſis Eccleſia clariores aliquos olim habuerit; attamen deinde neque habuit, ꝛque videtur in poſterum habitura. Obiit (1) Belluni ſub Urbano VIII. ſeptuagetrius an. MDCXXVI. Ante annos undecim ſic ipſe rationem vitæ, ac generis ſui cartine elegantiſſimo reddidit (2).

Creta ortum, Veneti excipiunt, Patavique, Quiritum
Me capit Urbs, retinet Norica nunc Regio.
Nomen Aloyſius, Gens eſt Lollina, parentum
Præclarum Adriaca nobilitate genus.
Noſſe bonas Artes pretium haud inane laborum,
Belluni Titulus Præſulis & Comitis.

Et inferiùs (3).

Bis denas hiemes Cretæ, totidemque peregi
Urbibus in Magnis Romulidum & Venetum.
Euganeæ inviſens crebris excurſibus Arces
Palladis, & Clario mœnia nota Deo.
Quod reliquum eſt Ævi, biſſena ad luſtra, morari
Belluni in rigidis non piget uſque jugis:
Qui locus ætati benè convenit: illicet ille
Algidus, atque horrens: hac gelido tremula eſt.

Scripſit plurima, quæ non edita legimus, ac recenſuimus in Miſcellaneis noſtris. uo videre typi ejus opera, quorum alterum Carmina continet metri varii, Belluni litum, alterum verò ibidem vulgatum tum Epiſtolas, tum quædam opuſcula compleitur libris IV. De utroque alibi prolixè cenſuram tulimus, ejus hæc ſumma hic eſto. ylus tum Græcus, tum latinus elegans eſt, varia nec vulgaris ubique eruditio, jaaturque ſæpè vel importunè, penè omnium ſcientiarum notitia. Græco ubique fert ingenio, in quo tamen facilitatem dicendi deſideres; jocosè dictis non caret, abunt ſententiis gravibus, præſertim cùm in mores ætatis invehitur, virtutum præconium cit, minatur ſceleribus pœnam. In Opuſculis preſſior eſt, & cum vetuſtatis tum ſetioris diſciplinæ ſtudioſiſſimus. Leges utiliter quæ inſimulant falſitatis Herodotum 4), cùm deſcribit gentis Phrygiæ vetuſtatem, quæ jejuniorum leges commendant (5), iæ in Philomathe (6), ſeu candidato ſtudiorum Patavii facienda Patavinis diſcipulis gerunt, denique diſceptationem eruditiſſimam (7), in qua quæritur, quænam apud riſtophanem ſint literæ ſiniſtræ.

CAPUT XL.

Franciſcus Maria à Monte S. Mariæ Cardinalis. Bonifacius Bevilacqua Card. Cornelius Frangipanus. Andreas Beroa. Victorianus Premolus. Nicolaus Contareno Dux Venetiarum.

CIV. FRANCISCUS MARIA A MONTE S. MARIÆ, quod oppidum in Etruria jus unà & nomen familiæ dat è regiâ ſtirpe Borboniorum oriundæ, 1627 patre Raynerio à Monte, Barocci Comite Veneriis agente in lucem editus eſt. Curante iridem patre poſt pueritiam in gymnaſio noſtro adolevit, ac florem ætatis bonis artibus & diſciplinis excoluit. Hic quoque juris lauream promeruit (8), necdum ætate major Romam profectus apud Alexandrum Sfortiam Cardinalem diu vixit. Ab hoc ſummopere dilectus, judiciorum ad ſe pertinentium arbiter factus eſt, mirâque dexteritate, prudentiâ, & comitate ita ſe omnibus probatum & amabilem præſtitit, ut Sfortia mortuo, experitus, & ultrò in Aulam Ferdinandi Card. Medicei receptus ſit, fueritque illi amicorum intimus, inter familiariſſimos primus. Cùm Ferdinandus, frarre

(1) Ughell. T. 5. p. 167. n. 62. Vid. Gaddium de ſcript. T. 2. p. 9. (2) Carm. p. 158.
(3) ibid. p. 169. (4) Epiſt. lib. 2. p. 223. (5) lib. 3. p. 3 7. [6] ibid. p. 333.
(7) in calce Epiſt. [8] Sanſ. Diar. ad An. 1570.

fratre Franciſco ſine liberis extincto, Dux Magnus Etruriæ hæreditario jure majorum ſolium inſcendit, egit cum Sixto V., ut Franciſcum Mariam à Monte, ipſi ex penitiſſimâ familiaritate cariſſimum, & clarum cum nobilitate tum ſapientiâ eo donaret oſtro, quod ipſe dudum exuerat; idque non difficulter obtinuit. Quamobrem anno MDLXXXVIII. adlectus in collegium Purpurati Senatûs dictus eſt Diaconus Card. S. Mariæ in Dominica. Sub Urbano VII. & ſucceſſoribus, ſæpè titulos mutavit, variiſque, & multis tum dignitatibus, tum verò muneribus functus eſt, ut latè refert ac ſubnotat Oldoinus (1). Perdiu Purpuram geſſit artium liberalium, ac præſertim Pictoriæ patronus. Epiſcopus Oſtienſis & ſacri Collegii Decanus, annum agens octavum & ſeptuageſimum deceſſit Romæ VI. Kal. Septembris anno MDCXXVIII.

1627 CCV. BONIFACIUS BEVILACQUA Cardinalis nobiliſſima ſtirpe Comitum Macaſtavæ natus Ferrariæ liberales diſciplinas in patria, Juriſprudentiam exhauſit diu verſatus Patavii, unde doctor laureatus cùm remeaſſet in patriam (2), Archidiaconus Ferrarienſis Eccleſiæ renunciatus Romam venit (3); cumque Gregorius XIII. inter honorarios intimi cubiculi miniſtros recepit; ac negotiis minoribus expediendis præfecit. Sixtus V. Referendariis utriuſque Signaturæ collegam addidit, & ad regendas ſubjectas urbes cum poteſtate dimiſit. Inclaruit in eo Munere ob laudem juſtitiæ, prudentiæ, integritatis, quarum extat monumentum marmoreum ipſi à Camertibus poſitum. Clemens VIII., recuperatâ Ferrariâ, cùm adjectis imperio Pontificio populis gratificari ſtuderet, hunc in Senatum Apoſtolicum legit, renunciavitque Cardinalem an. MDC. ſimul Legatum dedit à latere Peruſinis & Umbris. Eo Magiſtratu è republica functum idem Pontifex Cervienſem Epiſcopum dictum, ob amorem, obſequium, ac ſtudium erga ſe, & ob ejus ac fratrum ipſius addictiſſimam fidem ipſum ac fratres in Aldobrandinam familiam adſcivit, & pluribus Cardinalium cœtibus præpoſuit. Geſſit poſt hæc ſub Paulo V. præcipuos in Urbe Magiſtratus, enituitque ampliſſimis dignitatum titulis, inter Purpuratos Patres eximius. In comitiis Pontificalibus poſt obitum Pauli, ſuo aliorumque ſuffragio maximè favit Gregorio XV. qui eum ſummis deinde beneficiis cumulavit, decoravitque ambitioſo titulo Ducis in oppido Æmiliæ Tornano. Vixit liberaliter, munificè, ac ſumptuosè, opeſque ſuas exhauſit uſque adeo, ut nullas moriens habuerit, quas ſuis teſtamento relinqueret. Abiit è vivis Urbano VIII. ſedente, VII. Idus Aprilis an. MDCXXVII. ætatem tamen annorum LVII., quam ſignat Oldoinus, decennio ſaltem exceſſerit (4), qui ſub Gregorio XIII. ad obſequia venit aulæ Romanæ. Elogia multa ipſe viris doctiſſimis & compoſuit, & marmori inſculpenda curavit, quæ videbis relata ab eodem Oldoino (5). Sepultus eſt ſine titulo in templo S. Andreæ de Valle.

1630 CCVI. Frangipana Familia inter Italas nobiliſſima cùm plures urbes ac gentes de eorum ſuorum gloriâ cumulaverit, maximorum fluminum inſtar, vetuſtate ſua celat ſuam, ac ſæpè mutato nomine plurium paſſim familiarum illuſtrem auſpicatur originem, Capriacis in Carniâ, Leæ in Iſtriâ, Gliubovaziæ in Dalmatiâ, Mirtæ ac Tolſæ Neapoli, Michaelis Venetiis, Eliſeæ Florentiæ. Sedes ejus primæva nativaque eſt Roma: ibi omnibus honorum ac dignitatum titulis claruit diu, translataque ad Carnos in traduce finitimas Germaniæ Provincias non minoribus inſignium meritorum titulis illuſtravit; floretque nunc quaſi poſtliminio reducta Romam, ut Romanæ, quæ deſiit, locum impleat, & hæreditarium ſibi vindicet decus in præclariſſimo ac nobiliſſimo viro Comite Mario Frangipane S.P.Q.R. ampliſſimo Senatore. Habeo horum pleraque à Pacifico Bizza nobili Arbenſi viro eruditiſſimo, religioſiſſimo, ac ſeverioribus humanioribuſque ſtudiis innutrito, qui ſubſidiariis laboribus adiuvans virum clar. Philippum Riceputi Soc. Jeſu in utiliſſimo, ac laborioſiſſimo opere Illyrici illuſtrati, hæc mihi ſuppeditavit, ex plurimis, quæ ad hoc ipſum argumentum tantæ familiæ glorioſum edenda ſepoſuit. Hac gente Cornelius Frangipanus oriundus Venetiis natus eſt, & primam quidem adoleſcentiæ partem Bononiæ ſtudiis Philoſophicis dedit, poſtremam cum parte floridæ juventutis humanioribus literis & Juriſprudentię Patavii, unde rediit ad ſuos, doctoris lauream adeptus (6). Peregrinatus deinde, mores hominum multorum vidit & urbes in Galliâ, Hiſpaniâ, Germaniâ, moratuſque aliquandiu Romæ Venetias remeavit, qua in urbe cum ſcribere, quę viderat decreviſſet, jamque ad hiſtoriam politicam eruditum calamum expediret; ad jus dicendum ſubjectis civitatibus enixis Pretorum precibus, ſummo ſtudio, certatimque vocatus eſt. His paſſim deinceps aſſedit magna nominis ac ſapientię celebritate, quâ ductus Senatus Venetus tantę virtutis ac pru-

(1) Tom. 4. p. 194. (2) Diar. Sanſ. An. 1580. (3) Ughell. Tom. 2. p. 478. n. 51. (4) Tom. 4. p. 314.
(5) ibid. p. 313. 316. (6) Sanſ. Diar. An. 1568.

Digitized by Google

ac prudentię virum Venetias accitum juſſit conſultationibus in re Legali habendis adeſſe Cenſorem publicarum Reſponſionum. Eo munere functus eſt difficillimis temporibus, ſtetitque pro Republicâ fortiter, ac pro jure publico prudenter, utiliter, tantâque & fide & doctrina, ut non deſint qui putant, iis quę Paulus Sarpius in Conſiderationibus, & in Re Beneficiariâ ſcripſit, Frangipanum multum admodum contuliſſe, quem ferunt etiam Fulgentio Sarpii diſcipulo in Antirrhetico adverſus Bovium edito, plurima quę ad Jus Civile atque Canonicum ſpectant ſuppeditaſſe. Vixit triennio minor centenario, obiitque circa an. MDCXXX. Vidimus edita ejus in jure Reſponſa plurima. Allegationes quoque ſolidiſſima, de adventu Alexandri III. Venetias, & Eruditum tractatum Italicum de Amore. Alia ejus, quę non vidimus, opera recenſent Incogniti (1).

CCVII. JO. ANDREAM BEROAM Bergomatem jure Calvus illuſtribus annumerat Juriſperitis Bergomatibus ſęculo XVII. Claruit enim ea ętate ſi quis alius (2), gentemque ſuam, nobilitate ac divitiis induſtriâ & virtute partis in Italiâ notiſſimam, patronus cauſarum, Reſponſorumque Scriptor egregius famâ ſui nominis auxit. Juriſprudentię Patavii tyrocinium poſuit, unde doctor in patriam redux pluribus legationibus ſuſceptis ac pręclariſſimè geſtis ad Principes Venetos (3), vim eloquentię, qua maximè prę̧ſtitit, ſapientiſſimo Senatui probavit. Obiit in patria nondum ſenex peſtilentia ſublatus an. MDCXXX. Extant ejus Orationes duę ad Duces Venetos habitę, Declamationes verò tres; altera, quę Cato inſcribitur, inducitque Catonem adverſus Cęſarem diſſerentem: altera Anticatonis titulum habet, eaque Cęſar ſe purgat, & in Catonem invehitur. Tertia eſt Q. Tuberonis in Q. Ligarium ad Cęſarem gravis, & erudita Declamatio. In jure edidit librum, inſcripſitque Juriſconſultum, ſive de principiis & rationibus Juris, qnas ad trutinam revocat ſub his titulis. 1630

De Adoptionibus & Emancipationibus. — *De Verborum Obligationibus.*
De Pactis. — *De Rebus creditis, ſi certum petatur.*
De Tranſactionibus. — *De Compenſationibus.*

CCVIII. Bergomati Bergomatem addimus ACCURSIUM Corſinum; virum nobiliſſimum, eruditiſſimum. Adoleſcentiam & juventutis initia Parm ac Peruſię dedit, imbutuſque humanioribus literis venit Patavium Juriſprudentię quidem ut navaret operam, ſed & pleniore bonarum artium hauſtu avidum eruditionis animum expleturus. Emenſus legitimum diſcendi curriculum laureatus juris doctor (4) Bergomum rediit, ac receptus inter collegas Juriſconſultos, prę̧cipua inter illos negotia, collegiique ac patrię munera geſſit, clarus ęquè penes cives ſuos atque apud exteros Principes. Deceſſit Bergomi octogenario major an. MDCXXX. De eo latius Calvus (5). Edidit Italicè, 1630

Libros VIII., quos *Apologeticon* Venationis inſcripſit, Opus Eruditiſſimum, omniumque Scientiarum ornamentis refertum.
Tractatum de Aucupio.
Venationem Aquaticam ſeu de Piſcatione.
Commentarium de Nobilitate.

CCIX. VICTORIANUS PREMOLUS ex albo nationis Mediolanenſis Patavii dabat operam Juriſprudentię auditor Sebaſtiani Monticuli, & Jacobi Martę, quem in opuſculis ſuis magiſtrum & doctorem ſuum ſępe laudat (6). Utrum laurum in gymnaſio noſtro conſecutus ſit, quamvis affirmet Salomonius (7), mihi ſanè non conſtat, tacentibus monumentis gymnaſticis, nihilque Sanſono annotante. Cremenſis patria, jam vir Juriſprudentiam, ex qua clarebat in patria, deſeruit: ac Mediolanum profectus, Philoſophię ac Theologię averſum à forenſi ſtrepitu animum addixit in ſcholis Patrum Societ. Jeſu, cui mox nomen dedit, fuitque inter paucos inſignis Philoſophus ac Theologus. Utranque hanc diſciplinam atque ſcientiam diu deinde profeſſus eſt Parmę, Patavii, ac Bononię, qua in urbe carus in primis fuit Alexandro Cardinali Ludoviſio, qui ad Pontificatum evectus Gregorius XV. dictus eſt. Anno MDCXXX. cùm fęda latè Italiam peſtilentia vaſtabat, curandis eo morbo afflatis ſeſe obtulit, in eoque tantę charitatis officio Caſtellione animam poſuit. Scripſit utiliſſimum librum hoc titulo. *Memoriale Sciendorum à Clericis cum appendice duplici, alterâ de ſciendis à Confeſſario, alterâ complexâ Caſus obligantes ad reſtitutionem.* Auctoritate ejuſdem Cardinalis Ludoviſii opus hoc doctum & eruditum prodiit typis Bononienſibus, mox aliis ſuppreſſo nomine, ut annotat Allegambe (8); hoc tamen nos legimus ex editione Romana, quę nomen Auctoris oſtentat. 1630

(1) p. 123. (2) Scen. liter. P. 1. p. 225. (3) Sanſ. Diar. An. 1600.
(4) Sanſ. Diar. An. 1571. (5) Scen. liter. P. 1. p. 1. (6) in Append. 1. p. 9. 13. 20. Append. 2. p. 2. 7. 15.
(7) in Collect. ad Inſcript. Gymn. (8) Biblioth. Soc. Jeſu p. 448.

1631 CCX. NICOLAUS CONTARENO Venetorum Dux XCVII. in prima parte operis hujus bis nominatur tum inter Venetos Principes (1), qui ſumma cum poteſtate pręſunt gymnaſio noſtro Senatûs ac Reipublicę nomine, tum inter Literarios Triumviros gymnaſii Moderatores, ad ſummas dignitates evectos. Hìc Alumnis ejuſdem gymnaſii clariſſimis accenſetur. Filius Joannis Gabrielis, amitinus verò Andreæ Mauroceni hiſtorici, diu Patavii ſtuduit, nominaturque inter diſcipulos Robortelli (2), & Sigonii, Pendaſii, & Piccolominei, Cephali ac Tornielli, quibus præceptoribus profecit celeriter adeo, ut nondum adoleſcentiâ peracta librum ediderit *de Perfectione rerum*. Functus deinde muneribus & honoribus patriæ, habituſque non ſolùm inter eruditiſſimos & eloquentiſſimos ſui temporis Senatores, verùm etiam idoneus militaribus imperiis gerendis, hæc ſumma cum poteſtare in caſtris adminiſtravit, ut refert Nicolaus Craſſus (3), quo teſte Senatuſconſulto ſuffectus eſt ipſi Mauroceno; curaque illi demandata Hiſtoriæ Venetæ conſcribendæ. Hanc ille Italicè ſcripſit, nec tamen edidit. Extat apud hæredes in prægrandes Tomos duos diſtributa, atque incipit ab anno MDXCVIII., deſinit anno MDCXXVIII. Deceſſit in Principatu ictus apoplexi anno MDCXXXI. ætatis circiter LXXV. Nam ſi ſtatuas, adoleſcentem annorum circiter viginti edidiſſe, quem ſignavimus, librum de Rerum Perfectione, cùm ejus libri edìti tempus apud Somaſchum Venetiis an. MDLXXVI. ſignetur, natus ſit circa an. MDLVI. Laudatur ſummoperè ab Andrea Mauroceno (4).

C A P U T XLI.

Henricus Caterinus de Avila. Joannes Theupolus. Nicolaus Brancius. Albertus à Walſtain.

1632 CCXI. HENRICUM CATERINUM DE AVILA oriundum dicimus ex inſula Cypro, & familiâ in eo regno omnium nobiliſſimâ: quippe quę titulis, atque Equeſtri dignitate magnorum Stabuli Comitum ſub Luſignanis regibus claruit. Hinc non in Cypro (5), ut quidam exiſtimant, quos ipſe decipit cùm ſępe ſe Cyprium vocat, ſed in Italia, atque in oppido agri Patavini, quod Sacci Plebem appellant, an. MDLXXVI. III. Kal. Novembris, patre Antonio, matre Florentia natus eſt: quę omnia conſtant ex libro Baptiſmorum Saccenſis Eccleſię S. Martini, ex quo Ectypon apographon habeo manu Angeli Pecotti Archipresbyteri confirmatum. Studuit Patavii (6), & in omnium diſciplinarum genere, indolis expertectæ, profundique adoleſcens ingenii verſatus eſt, donec parentes vixere. His fato ſublatis (7), ut opem exilio ſuo fratriſque & ſororum quęreret, reſpexit familię ſuę primam originem, quę in Cyprum ex Hiſpania, atque urbe Abula venerat; eòque profectus eſt, ratus non defuturos benevolos hoſpites, quos tantę familię ſplendor evocaret ad eas ſuppetias, quibus princeps in Oriente progenies à contractis per exilium ſordibus redimeretur. Verùm is facto didicit, quod experimur, everſis ſubrutiſque injurioſo Fortunę pede avitum decus eſſe prorſus inutile. Scilicet ex veriſſimo effato Satyrici (8).

Nil babet infelix paupertas durius in ſe,
Quam quòd ridiculos bomines facit.

Addo ego, impoſtores, mendaces, & quos Gręci dicimus, planos. Ergo non aliunde jacentibus ſalus eſt, quàm ut ſe ſuis lacertis conentur erigere, profeſſique artem aliquam liberalem, non quidem aſpirent ad priſtinam gloriam, ſed eò ſe, qua licet, honeſtis laboribus vertant, unde majorum nomina minimè ſordeant. Facto hoc ipſum expertus Henricus ex Hiſpania retulit pedem, & in Gallias Hiſpanis inimicas migravit, adituque ſibi parato ad Henricum III. Gallorum regem ex indole militari, inde ſibi ſtipendia, honores, quæſivit & commoda, ad quæ fratrem evocavit, atque ſorores, quas domeſtico Caterinæ Mediceæ addictas obſequio nuptiis poſtea nobilibus decoravit. Ipſe miles apud Regem ſtrenuus aliquandiu vixit; eoque defuncto, diu per varia bellorum diſcrimina in turbatiſſimo regno exercitam tranſegit ætatem, tandemque gloriæ ſatur, fractuſque viribus & bellorum periculis, eò flexit animum, ut honori-

(1) lib. 2. (2) in Collect. Salom. ad Gymn. Inſcript. (3) Vit. Andr. Mauroc. c. 83.
(4) in Opuſculis p. 201. 209. 240. 246. (5) Imperal. Muſæi. p. 197. 198. (6) ipſe Epiſt. ad Lollinum.
(7) ipſe Epiſt. ad Andr. Mauroc. (8) Juvenal. Satir. 3. circa med.

honorificis Reipublicæ Venetæ, quam ſemper amavit, ſtipendiis, quæ offerebantur, nomen daret. His deinceps & ſibi & familiæ commodis opulenter proſpexit, & ad extremum uſque ſpiritum militavit. Horum pacato uſus otio, & cum amicis eruditiſſimis, quorum plurimos habuit, multa philoſophatus eſt doctiſſimis epiſtolis datis, quarum aliquas habes inſertas Aloyſii Lollini Bellunenſis Epiſcopi Opuſculis (1); & quæ militans apud Gallos commentariis raptim commiſerat, ad juſtam hiſtoriam italicè ſcriptam compoſuit. Ferunt, cùm hanc hiſtoriam, ut nunc legitur, conſcriptam typographo Venetiis obtuliſſet edendam, ab eo fuiſſe rejectum, diuque repulſam paſſum ab aliis, vix tandem reperiſſe unum, qui opus illud ingratiis, & quòd præla vacarent, receperit, profeſſus, ſi quid aliunde præclarius adveniſſet, ſepoſiturum ſe laborem ac ſumptum, ex quo nullam vel exiguam ſatis utilitatem ſperaret. Et tamen ubi hæc hiſtoria primùm lucem aſpexit, tanto cum plauſu ac ſtudio eruditæ curioſitatis per Italiam excepta eſt, ut intra hebdomadem primam, quâ prodiit, exemplaria ejus omnia certatim petita venierint; quæ iterum iterumque recuſa, advocatis undequaque Operariis ad laborem aſſiduum, uſque ad millia quindecim intra annum diſtracta ſint. Narrabat hæc nobis vir clariſſimus, ac teſtis omni exceptione major Scipio Gonemius, à quo multa peculiariùs de Henrico narranda præſto eſſent, ni brevitatem, quam ex propoſito profitemur, excederent. Ea collegimus in Miſcellaneis noſtris, quæ ad ſpecimen Græciæ Sapientis, ad quam Henricus ſpectat, apparabamus. Præcipuum in illis eſt, quod ad judicium de hac hiſtoria ferendum facit. Nam ſatis conſtat, intra ſæculum XVII., quo nata eſt, ducenties fuiſſe prælo ſuppoſitam, factam publici juris, linguis diverſiſſimis, ac typis, quorum illi pulcherrimi ſunt, & tanto Scriptore digni, quos exhibet grandiori charactere prorſus argenteo typographia Regia Gallorum. Neque hoc mirum, ſi hujus hiſtoriæ pretium, ſecluſo partium ſtudio, expendas, ſubſcribaſque omnium quicunque quid hiſtoricum deceat rectè judicant, ſententiæ, quâ Henricus Caterinus de Avila in referendis Gallicarum ſeditionum initiis, cauſis, eventibus, totâque illa ſacri, ut appellabatur, ſubdoli tamen fœderis ſcenâ, anteire neotericis fermè omnibus, gravitate, facundiâ, politicæque prudentiæ documentis, atque inſtitutionibus creditur. Neque enim deſunt, qui eum ipſi Franciſco Guicciardino, quem Italorum Hiſtoricorum principem autumant, æquiparant: quibus tu, ſi amas veriora, nec duceris alieno ſuffragio, aut hæres in uno ſurfure mus ſuperſtitioſus, illud addes, quo ſtatuas Guicciardinum ipſum ab Henrico noſtro manifeſtiſſimè ſuperari; ut inter Italos Hiſtoricos Græcus homo palmarium referat. Parabat continuationem, interceſſit violenta mors. Nam cùm Præſidiariorum militum Præfectus Patavii, juſſu Præſidum Venetorum Veronam iret, conſtitiſſetque in diverſorio Villæ novæ, ac mandata publica protuliſſet, quibus illi de more vectoria ſupellex concedebatur, plauſtra nimirum & alia hujuſmodi, id onus impoſitum eſt Veronenſi cuidam colono, cui parere detrectanti herus adfuit ad patrocinium, inſultavitque Caterini famulis juſta petentibus, ad quorum tutelam accurrens hic, incendiarii ſclopuli globo vulneratus intra horam interiit. Interſector & caupo, atrocis miniſter facinoris, à filio & ſervis Henrici confoſſi, trucidatique, à pede poſtea pependere in Veronenſi patibulo. Obiit vir nobilitate ſua dignus, ſuæ doctrinæ par, doctiſſimis ſua ætate non impar, circa annum vitæ ſextum, & quinquageſimum, æræ communis MDCXXXI. Sunt qui cædem illam ab Hiſpanis juſſam exiſtimant, ut detecta ſacri fœderis arcana, queis fides illius gentis reprehenditur, ulciſcerentur. Sed proba illa Natio, modeſtiæ æquè ac juſtitiæ tenax, ex vulgi rumoribus, ſine certa probatione tam fædi, tam atrocis criminis damnanda non eſt; & alioqui affinis Henrico is, quem proximè laudavimus, Scipio Gonemius mortem illam fortuitam fuiſſe conſtantiſſime dictitabat.

CCXII. JOANNES THEUPOLUS patriciâ, Senatoriâ, & ex Ducum Venetorum 1632
non uno ſtemmate, Principe Familiâ Venetiis natus, adoleſcentiam tranſegit Patavii, abſolutiſque literariis laboribus laurum meruit (2). Senator deinde ob ſapientiam venerabilis profanis prætulit Sacra, Marciamque baſilicam Primicerius adminiſtravit, ex qua dignitate provectus ad Venetum Patriarchatum anno MDCXIX. inter Pontifices claruit pietate ac religione præcipuâ, nec minore doctrinæ atque Eruditionis reconditæ gloriâ, quam ſibi paravit libris editis, quorum catalogum apud Maraccium leges (3), à quo eos inter numeratur inſigni cum laude, qui cultum Deiparæ Virginis ſcriptis doctiſſimis illuſtrarunt. Obiit Venetiis anno MDCXXXII. Sepultus in æde primaria Petro Apoſtolorum principi ſacra, jacet ſub marmore his litteris
inſcripta

(1) Epiſt. lib. 1. p. 45. & p. 119. 122. 126. 136. (2) Sanſ. Diar. An. 1579.
(3) in Biblioth. Mariana.

inſcripto D. D. DD. quas Ughellus ſic explicat (1): Domine Dilexi Decorem Domus.

1632 CCXIII. NICOLAUS BRANCIUS gente Dalmata, domo Epidaurius, annumerandus eſt illuſtribus alumnis gymnaſii noſtri ex Riccobono (2), cujus epiſtolis ut amicorum maximus, & doctorum hominum facilè princeps laudatur. Floruit famâ literaturę ſingularis poſtquam apud nos Juriſprudentiæ laurum (3) adeptus ad ſapientiæ pręmia Romam acceſſit, exeunte ſęculo XVI. nec diu poſt notus aulę, & inter paucos carus Clementi VIII. ab hoc Eccleſię Saſſinati ſeu Sarſinati pręfectus eſt (4) an. MDCII. Poſt hujus obitum graviſſimorum criminum reus factus apud Paulum V. in arcem Adriani loco carceris conjectus eſt, tulitque fortiter ſuâ fretus conſcientiâ fortunę injurias, ac delatorum perfidiam, & ex his vix tolerabiles ac diuturnas ęrumnas, quas ille, evocatis ad contubernium Muſis, conſolatus eſt. Scripſit enim in ipſa cuſtodia elegantiſſimo carmine Divorum acta, eaque mox edidit, cùm, è vivis erepto Paulo, coram Gregorio XV. objecta crimina diluit, famęque reſtitutus eſt, & Eccleſię ſuę. In hac aliquandiu ſanctè prudenterque verſatus jam ſenior cauſariam & honeſtam miſſionem, vacandique à munere poteſtatem obtinuit, ac redux in patriam, ibi deſiit eſſe mortalis an. MDCXXII.

1634 CCXIV. ALBERTUS A WALSTAIN Fritlandię Dux, exercituum celeberrimus Ductor, & utriuſque fortunę ſęculo ſuperiore mirum & eximium exemplar, alumnis gymnaſii noſtri inter legum ſtudioſos annumeratur in albis ſcholaſticis (5). Nec deſunt Patavii Senes ſpectandę auctoritatis, qui ex traditis per parentes ſuos Alberti commorantis Patavii hoſpites de nomine deſignant; idque confirmant quęſtorię notę, Pannonumque catalogi (6), quibus adſcriptum per triennium lego Albertum à Walſtain Nobilem Moravum, ſive in Moravia natus ſit, ſive Moravia oriundus, alibi in Germania natalis illum dies deprehenderit. Nobilem à ſtirpe ultima ipſum fuiſſe conſtat, tenuioris tamen fortunę: adverſus quam pręſidium ſibi quęrens, quamvis indole ferox, ingenioque ad arma propenſus, literas tamen in adoleſcentia reſpexit, quibus apud gentiles inſtructus, in hoc gymnaſio ſeverioribus diſciplinis ſeſe imbuit, jamque proximus pręmiis doctrinę paratis, evocatus à ſuis in patriam rediit, ac militię nomen dedit. In ea feliciſſimis auſpiciis, quę virtute, diligentiâ, & induſtriâ muniebantur, gradatim ad munera ſubvectus pręcipua ita probatus eſt, ut anno MDCXVII. Bohemiâ rebellium armis turbatâ, Moravorum copiis Imperator pręfuerit. Cum harum parte miſſus ad Cęſarem, ut à partibus ejus ſtaret, mox cum iiſdem ex itinere revocatus, ut Bohemis ex Brunenſi decreto ſuppetias contra Cęſarem ferret, quamvis exercitus Moravorum parendum civibus ratus retro ſigna retuliſſet, ipſe Cęſari adhęſit, cui pecuniam quoque militarem, quam ſecum detulerat, tradidit. Quo facto ita ſibi Ferdinandum Regem conciliavit, ut repetitis honoribus auctus à Rege, deinceps inter pręcipuos Imperii duces maximus fuerit. Quid egerit, quoties de hoſtibus triumpharit, quot prœliis victor frænum injecerit Germaniæ rebellanti, urbeſque munitas atque Provincias validiſſimè armatas ſacere juſſa coegerit: quantus denique per annos circiter ſeptem, quam felix, & glorioſus ſui nominis fama Europam impleverit, feceritque prope dixerim fortunam ſibi ſtipendiariam, dicet communis hiſtoria (7), latèque proponent res geſtæ in bello Suecico, quo tota Germania concuſſa eſt, ac penè non periit. Ex his notiſſimum erit, quibus meritis Dux Fritlandiæ creatus, Mechelburgenſem Principatum, quem ipſe ſubegerat, præmium laborum retulerit, unde tot opes habuerit, quot præfuerit exercitibus ac tantis, quantâ virtute militari, prudentiâ, conſtantia prælia omnibus formidanda inierit, geſſerit; ac victor vel ipſius Guſtavi Adolfi Suecorum regis ad Norimbergam, non aliter illi ſuccubuerit in prælio Lutzenſi, quam Regis ipſius interitu. Porro tot fortunæ blanditiis, tot præmiis meritorum attigiſſe gloriæ verticem videbatur, ac fortis inconſtantiam ſtitiſſe. Sed hanc ſuo reliquerunt ingenio non minora virtutibus vitia, quibus præceps actus Sejani fata ſęculo XVII. renovavit. Ferunt ſęvum fuiſſe ſubjectis uſque ad atrocitatem, ęqualibus uſque ad injuriam ſuperbum ac tumidum, majoribus ex ambitione perfidum adeo, ut res novas animo conceperit ac tentaverit adverſus eos, quorum munificentiâ ad culmen honorum, opum, ac ditionum aſcenderat. Hinc omnibus exoſus, ſuſpectus ſuis, apud Cæſarianos reus perduellionis factus ac morti damnatus interimi juſſus eſt. Id quod factum eſt

Ægræ,

(1) Tom. 5. p. 1324. [2] lib. Epiſt. Ep. 34. 39. 42. (3) Sanſ. Diar. An. 1579. (4) Ughell. T. 2. p. 675. n. 41. (5) apud Salom. in Collect. ad Inſcrip. Gymn. Pat. (6) apud eundem in Matric. Nation. (7) Nanius Hiſt. lib. 4. p. 207. lib. 6. p. 293. 401. lib. 7. p. 413. lib. 8. p. 540. lib. 9. p. 571. 581. 583. 603. 609.

Digitized by Google

Ægræ, quo ſe receperat, quòque Vaimarum ac Succos evocaverat, Imperium proditurus. Ibi eum Butelerius, Gordonus, & Leslæus Irlandorum Scotorumque Duces, dum in cubiculo dormit, foribus effractis, petentem è feneſtra ſuppetias ictum, diſcerptumque Sariſſis confecere an. MDÇXXXIV.

C A P U T XLII.

Claudius Expillius. Joannes Bonifacius. Paulus Maurocenus. Nicolaus Claudius Fabricius de PeireſKo.

CCXV. DE CLAUDIO EXPILLIO multa Tomaſinus (1), ex quibus utrumque
colliges, fuiſſe illum & alumnum gymnaſii noſtri, & ætate ſuâ inter do- 1635
ctiſſimos viros ſingularis virtutis & nominis. Natus apud Allobrogas in oppido Vorono, non admodum Gratianopoli diſſito, adoleſcentiam muſis dicavit, quamvis ad arma traheretur exemplo patris cognominis, qui variis in militia muneribus functus pro Rege ſuo fortiter dimicans Cabrillani caſtello præfectus occubuit. Filius poſt obitum patris ad Taurinos profectus, eloquentiam cum Juriſprudentia conjunxit, poeſi interea deditus, ac Torquati Taſſi mirator tantus, ut ejus Poema totum memoriæ mandatum, in promptu totum haberet, redderetque memoriter. Digreſſus à Subalpinis Patavii fuit Marci Mantuæ auditor, Tornielli, Deciani, Panciroli, quem etiam Taurini docentem audierat. Hos ſibi Juriſprudentiæ myſtas elegerat, cum ad Ethicam Philoſophiam à Jaſone de Nores vocatus ſalvis ſtudiis legalibus, adſuit, multum interim admodum proficiens ex conſuetudine cum Vincentio Pinello, cujus familiaritate ſe uſum feliciſſimè in epiſtolis profitetur. Accitus in Galliam à matre aliquandiu Lutetiæ verſatus eſt, inde ad Biturigas conceſſit, ubi, præeunte in auſpicium Cuiaccio, doctor in utroque jure renunciatus cauſas egit in curiâ Delphinatûs labore ſummo per annos duodecim, eodemque tempore Deciſiones patrio ſermone conſcriptas, quæ deinde latinè ſunt redditæ, in uſum clientium ſuorum publici juris fecit. His Poemata, Luſus carmine propoſitos addidit. Hinc in Gallia clarus ab Henrico IV. fiſci Delphinatis generalis Procurator creatus egregia fide tutatus eſt Principis patrimonium: quare ad ſummam dignitatem Gratianopolitani Senatûs evectus, in illa purpurâ omnium amorem promeruit: quem à Sabaudis quoque victis comis, affabilis, blandus citra diſpendium publicæ Majeſtatis extorſit. In Camberienſi Senatu à Ludovico XIII. primas obtinuit, & Pinerolenſi præfectus Ærario eſt: quod munus tantâ juſtitiæ cum laude vir doctus & innocens adminiſtravit, ut hanc ejus virtutem ipſi etiam hoſtes vel inviti ſuſpexerint, eumque Amedæus Allobrogum Dux datum conſtituendis Pinerolenſis agri finibus arbitrum, & admiſerit & optaverit. Ætate feſſus an. MDCXXXV. reditum in patriam à Ludovico Rege impetravit. Ibi quotidie Muſis & Apollini litans, unicâ filiâ relictâ Gaſpardâ de Bryonne, annorum LXXV. ſenex naturæ debitum exolvit eodem, quem ſignavimus, anno Gratianopoli, ſepultus in ſacello D. Claræ cum elogio ſatis prolixo, & hæc ipſa quæ dedimus, complexo, quod poſt Tomaſinum (2) refert Freherus (3). Scripſit Gallicè multa, quæ *Deciſiones Gallicanas* inſcripſit, verſæque ſunt latinè, ut proximè diximus.

Poemata varia Gallica, latina, Italica.

Epiſtolarum Volumen idiomate pariter triplici in tres diſtinctum.

CCXVI. JOANNES BONIFACIUS patre Rhodigino patricio (4), Patavinâ matre
Rhodigii natus eſt an. MDXLVII. ibi Antonio Riccobono ludimagiſtro uſus, huma- 1635
niores literas didicit. Patavium deinde miſſus ſeverioribus operam ſtudiis impendit eâ felicitate, ut intra quinquennium laurum Juriſprudentæ plenâ gymnaſii totius gratulatione fuerit conſecutus. Inde juri ulteriùs operoſiùſque intelligendo ita vacavit, ut interim Muſarum deliciis, & Academicorum oblectamentis feſſum animum recrearet. Forenſibus poſt hæc cauſis agendis juriſperitiſſimam eloquentiam addixit; claruſque ex hac parte in Venetâ ditione, gloriæ fructum retulit Iſabellæ Marci Antonii Martinagi nob. Tarviſini filiæ unicæ & hæredis matrimonium opulentum: accituſque Tarviſium à ſocero, quod à muuere cauſidici tempus ſupererat, Hiſtoriæ Tarviſinæ conſcribendæ utiliter dedit; hancque edidit magno eruditorum virorum, ac præſertim Abrahami Orthelii Geographi Regii cum plauſu. In eâ cum Ateſtinorum Principum decora fusè &

ex tantæ

(1) Elog. lib. 2. p. 79. 98. (2) ibid. p. 94. & ſeqq. (3) Tom. 2. P. 2. Sect. 4. p. 1075.
(4) Tomaſ. Elog. lib. 2. p. 319. 322.

ex tantæ familiæ merito memoraſſet, amorem Alfonſi poſtremi Ferrariæ Ducis commeruit; pretioſiſſimo adamante à generoſo Prineipe donatus. Venetorum ſuaſu mox Adſeſſoris munus gerendum ſuſeepit, geſſitque utiliter ſimul & integrè in pleriſque urbibus auguſto Venetorum imperio ſubjectis, quo tempore quædam leripſit maximi habita ſemper & à Juriſconſultiſſimis viris laudata, de Furtis, & Feudis, unde illi magni juriſperiti nomen obvenit (1), auxitque quæſitam ex hiſtoriâ gloriam, Hanc veneratæ urbes Tarviſium & Patavium eum ad curiæ decus aecivere. Domum tamen habuit Tarviſii, donec uxor vixit; hac mortuâ laborum pertæſus Rhodigium remeavit, ut ibi per otium opuſculis, quæ raptim conſcripſerat, manum ſupremam imponeret, ederetque non edita. Inde Patavium venit jam ſenex, ductaque iterum uxore nobili matronâ Daulâ Grompâ, ſedem fixit ad Carmelitas: ibi integerrimi corporis ſilicernium poſt annum ætatis octavum ab octogeſimo mortalitatem explevit, æræ Chriſtianæ MDCXXXV. Sepultus ad proximas ædes D. Jacobi lydio lapidi inſculptum habet elogium, quod exhibent Tomaſinus (2), & Salomonius.

Hæc ſunt quæ ſcripſit & edidit Latine.

Commentarium de Furtis.

Commentarium de componendis Epitaphiis,

Italicè,

Hiſtoria Tarviſina in libris XII.

De Arte nutuum.

Comment. in Legem Feudalem Venetam An. 1586.

Methodus Legum Sereniſſ. Reipub. Venetæ.

Diſſertatio Academica de ratione conſcribendæ Tragædiæ.

In Phrenoſchema ſuum: ubi de Opportunitate.

Hercules Dialogus: ubi de nominibus imponendis Soboli.

Frachetta Dialogus, de nuncupatoriis Operum Epiſtolis.

Oratio habita Rhodigii cum ſimulacrum Cœlio

erexit.

Oratio de Transferendis Rhodigium Lipſanis S. Bellini.

Lectiones duæ in quadam Petrarchæ Carmina.

Familiarium Epiſtolarum Volumen,

Diſſertatio de Aſſeſſoris Officio.

Apum Reſpublica.

Qua ratione ab animalibus rationis expertibus artes liberales & Mechanicæ fuerint indicatæ.

Montanus Fabula Paſtoralis.

Raymundus Fabula Tragicomica.

Nicaſius Fabula Tragica.

1637 CCXVII. PAULUS MAUROCENUS Andreæ hiſtorici ac Triumviri frater, ipſe quoque Patavii cum fratre ad ſapientiam altus, & iiſdem ſcientiarum ſtudiis innutritus, Senator deinde eximii nominis, Senatuſeonſulto Hiſtorieus Reipublieæ dictus eſt an. MDCXXX. poſt Nieolaum Contareno ad ſolium publicæ majeſtatis evectum, Vixit ad annum MDCXXXVII. Ipſo obitus anno edidit à ſe ſcriptos Hiſtoriæ Venetæ libros XXVIII. Rem orditus ab ovo deducit ad an. MCDLXXXVI., quo Sabellicus deſinit, cujus hiſtoriam ac reliquorum ante ſe illuſtraſſe videtur. Nam ut priſcorum Hiſtoricorum diſcutiat tenebras, ſuppleat hiatus, occurrat negligentiæ, multis additis & annotatis, priſca chronica ſcrutatur diligentiſſimè, in Scriptores exteros inquirit laborioſè, copioſè componit, & explicat.

1637 CCXVIII. NICOLAI CLAUDII FABRICII DE PEIRESCO vitam Patrus Gaſſendo regius Matheſeos Profeſſor. Pariſiis complexus eſt libris ſex (4), quorum ne epitomen quidem noſtri operis brevitas patitur, cui hoc unum noſſe ſupererit, virum hunc toto ſæculo ſuperiore celeberrimum, nec πολυΐστωρ tantùm, ſed reipſa πολυμαθὴς, qui reconditiſſimos Antiquariæ ſupellectilis theſauros, ſagacitate, conſilio, & induſtriâ atque labore indeſeſſo cunctis toto orbe diſciplinarum ſtudioſis aperuit, atque unà doctis hominibus, unde certò proficerent, demonſtravit, alumnum gymnaſii noſtri fuiſſe: & ſiquidem laurum doctrinæ præmium alibi retulit, eam hìc meruiſſe. Nobiliſſimo Fabriciorum vel Fabriorum apud Aquas Sextias genere an. MDLXXX. natus eſt in oppido Belgenſerii, quò, peſte graſſante in patriâ, parentes ſeceſſerant. Nato additum agnomen Peireſkii ex oppido montano maternæ ditionis Petriſco. Septennis literarum initiis imbui cœpit; profecitque tam cito, ut poſt biennium fratri natu majori præceptoris loco fuerit. Decimo ætatis anno miſſus Avenionem humaniores diſciplinas in collegio Patrum Societ. Jeſu pleniſſimè quinquennio didicit: inde Aquas Sextias rediit ubi cum anno integro Philoſophiæ dediſſet operam, hanc ut certiùs utiliùſque perdiſceret Turnonem divertit, & ſub ejuſdem Societatis Philoſophis, Scholaſticis ſe tricis abſolvit: mox redux in patriam Inſtitutiones Juris audivit privatis Advocati cujuſdam auſpiciis;

(1) Pereg. lib. 3. Conſ. 2. Livell. Epiſt. Legal. Inſtit. Scotus in Itinerar. (2) ibid. p. 322. 323.
(3) Patav. Inſcript. p. 171. n. 18. (4) Vid. Freher. Tom. 2. P. 2. Sect. 4. p. 1079. 1082.

auſpiciis; qua occaſione, quæ à primis annis rerum antiquarum curioſitas illius animo ſemper obverſata eſt, cœpir mentem acriùs extimulare; ſeque uno magiſtro ac nomenclatore ſeriem Imperatorum, à quibus leges fuerant latæ, contexuit: addidit ſeriem Conſulum, Prætorum, Ædilium, Magiſtratuum cæterorum, conquiſitis undique numiſmatibus, ut ex rebus geſtis, atque etiam de facie larores legum agnoſceret. Quin & ſi quem rei Antiquariæ peritum audiſſet, agnoviſſetve, hunc ſedulus adiit, interrogavit, tractavit, ne quam addiſcendi, quæ peroptabat, rationem omitteret, ſolitus feliciſſimos dicere, quibus contigiſſet laus ab Homero Ulyſſi data.

Qui mores hominum multorum vidit & urbes.

Huic honeſtiſſimo voto patruus, quo tutore Claudius cum fratre curabatur, indulgendum ratus, nepotes peregrinationi deſtinavit Italicæ: acceptoque morum ſtudiorumque moderatore Paulo Gudanes Fonvivio Bearnienſi nobili, in Italiam iter cum fratre ſuſcepit, ac ſenſim ex itinere cunctabundo ſalutatis præcipuis urbibus, quæ cis Apenninum ſunt, venit Venetias: ibi brevi moratus, ſedem Patavii fixit, & quamvis auditor aſſiduus Galli, Silvatici, Scaini, Diſcalcii, nihilominus alios quotquot aderant, atque optimas artes in gymnaſio publicitùs explanabant, conveniebat creberrimè, pari ſemper aviditate diſcendi; quâ factum, ut quòcunque famâ illuſtrium eruditione virorum evocaretur, eò ſe amoreſque ſuos extemplo converteret. Hinc illi ſumma cum Vicentio Pinello, & Pignorio Patavii familiaritas, arcta verò Venetiis, quo ſæpè commeabat, conſuetudo cum Paulo Sarpio è Servorum cœtu Sacræ profanæque vetuſtatis peritiſſimo, cum Dominico Molino Senatore, doctrinarum univerſim doctorumque virorum patrono notiſſimo, cum Federico Contareno D. Marci Procuratore inſtructiſſimi Muſæi domino, quem PeireſKus admonuit, quanti eſſet æſtimandus, quem habebat, theſaurus, quantarumque & qualium divitiarum eſſet poſſeſſor. Quid? quod per aliquot menſes, tunc, cùm ex more gymnaſium conticeſcit, trans Appenini juga illum curioſitas tulit, inviſitque itinere illo Florentiam, Senas, Romam, Neapolim, ut quæ ibi vetuſtatis monumenta vel in luce publica poſita ſunt, vel in ſcriniis domibuſque privatis latent, aut naturæ apud gentes diverſas variè ludentis arcanis conteguntur, agnoſceret, expenderet, & in penum vaſtæ, quam ſibi parabat, eruditionis reconderet. Rediit deinde, contractis ubique ſapientiſſimorum virorum amicitiis, notus celebratuſque omnibus, Patavium, & ad intermiſſa ſe ſtudia compoſuit, linguas autem ſubſecivis horis uſui ſibi futuras excoluit; delibavitque, quantum ſatis erat ad Siclorum notitiam, linguam Hebraicam, Syriacam, Arabicam magiſterio Judæi commorantis Patavii. Majorem linguæ Græcæ operam impendit, eamque hic ab idoneis præceptoribus hauſit eo ipſo tempore, quo Mathematicis theorematibus capacem animum inſtruxit ſub Galilæo Galilæi, cujus mira ſemper inventa, machinaſque, & inſtrumenta ſuſpexit. Jam Juriſprudentiæ præmiis maturus revocatus in Galliam eſt, divertitque ad Montem Peſſulanum in Occitaniâ, pertractus Julii Pacii famâ, non ut proficeret ulteriùs ex legum notitiâ, quam ſibi Patavii fecerat abundè, ſed ut aliquid penitioris eruditionis, quâ inſtructum Pacium eſſe putabat, ſibi ſeponeret. Apud hunc aliquandiu hoſpes, quidquid curioſius in ea urbe doctorum hominum experientia ſufficere poterat, colligebat, cùm juſſus à Patruo Aquas Sextias redire, in ea urbe laurum doctrinæ, habitis ex utroque jure theſibus miſcellaneis, conſecutus eſt. Inde novas per Gallias, Angliam, & Belgium peregrinationes ſuſcepit, luſtratiſque omnibus Academiis, excuſſis Muſæis celebrioribus, doctiſſimorum per ea tempora virorum notitiâ, familiaritate, commercio dives rediit in patriam, atque in Aquiſextenſi curiâ, ad Senatoriam dignitatem aſcendit, curante patruo, quo extincto, iterum Pariſios profectus eſt, ne nuptias contraheret, ad quas, qui cælibem ſibi vitam indixerat, ſollicitabatur. In eâ urbe non viris dumtaxat ſapientiſſimis ex uſu, verùm etiam ex nominis celebritate Regi Chriſtianiſſimo innotuit, ac Maffæi Cardinalis Barberini amorem emeruit. Hoc procurante, Abbas S. Mariæ Aqueſtrienſis in Aquitaniâ dictus eſt ex deſignatione Regis, qui ei diplomate permiſit, perſeverare in functione priſtinæ dignitatis, quamvis in clerum adſcito: fuitque Senator ſimul & Abbas ad an. MDCXXXVII. Quo vitæ quinquageſimo ſeptimo, renum dolore gravi, tumore abdominis, atque urinæ ſuppreſſione conſumptus occubuit, ſepultus in patriâ, ſignatuſque ibi Elogio, quod illum prædicat mirâ beatitate felicem, ſæculo ſatis rixoſo notiſſimum ſine querela vixiſſe. Laudatus eſt Romæ in conſeſſu Academicorum funebri oratione, quam habuit Jo. Jacobus Buccardus Pariſienſis, ex quo relata collegimus.

Edita

Edita à PeireſKo hæc ſunt.

Hiſtoria Provinciæ Galliæ Narbonenſis.
Nobilium ejuſdem Provinciæ Familiarum Origines, ac ſeparatim ſua, ſeu Fabriæ.
Comment. Rerum omnium memoriâ dignarum ætate ſuâ.
Liber de ludicris Naturæ Operibus, quæ certis Regionibus effodiuntur, hoc eſt de lignis in lapidis, vel aliam naturam degenerantibus, de Oſſibus Gygantum, de Plantis Peregrinis, præſertim Indicis.
Mathematica & Aſtronomica Varia.
Obſervationes Mathematicæ.
Epiſtolæ ad S. P. Urbanum VIII. Card. Barberinos, & alios Viros eruditos.
Auctores Antiqui Græci & Latini de Ponderibus, & Menſuris.
Elogia & Epitaphia.
Inſcriptiones Antiquæ & novæ.
Genealogia Domus Auſtriacæ.
Catalogus librorum Bibliothecæ Regiæ.
Poemata Varia.
Nummi Gallici, Saxonici, Britannici &c.
Linguæ Orientales, Hebræa, Samaritana, Arabica, Ægyptiaca, & indices librorum linguarum hujuſmodi.
Obſervationes in Varios auctores.

CAPUT XLIII.

Euſebius Caimus Æmonienſis Epiſcopus. Stanislaus LubienſKi Plocenſis Epiſcopus. Franciſcus Montmorencius Societ. Jeſu. Paulus Tomaſinus.

1649 CCXIX. EUSEBIUM CAIMUM Æmonienſem Epiſcopum multis Tomaſinus laudat (1). Utini natus patriciâ apud Carnos familiâ, oriundâ Mediolano, major natu frater fuit Pompeii Caimi, clari in gymnaſio noſtro Medicinæ Profeſſoris, de quo diximus (2). Patavii Juriſprudentiæ ſtudiis addictus contubernio ſimul atque diſciplinâ uſus eſt Jacobi Menochii, quo auſpice retulit doctoris inſignia. In patria cauſas forenſes diu egit, viduarumque ac pupillorum fortunas linguâ defendit & calamo. Sacerdotio Aquilejenſi ornatus in eâ metropolitanâ Eccleſiâ Canonicus fuit, poſtquam, in tutandis finibus Carnicis pro republica Venetâ, prudentiam, vigilantiam, conſtantiam ſuam auguſto Senatui comprobavit, quam etiam Sacerdos profeſſus eſt publicè, cum Orator patriæ Joanni Bembo facundiſſima oratione Principatum gratulatus eſt an. MDCXX. quo redux ad ſuos ad inſulas Æmonienſes venit Præſuli Franciſco Marino ſuffectus. Sedit per annos XX. Anno ætatis LXXV. æræ Chriſtianæ MDCXL. deceſſit Vertenegii in Carniâ, quo ſeceſſerat fugiens gravius oræ Iſtricæ Cœlum, & Æmoniæ infrequens oppidum, ac penè deſertum. Illatus eſt Utini in templum Deiparæ gratiarum apud cineres Pompeii fratris cum brevi elogio. Scripta ejus hæc notantur à Tomaſino (3).

Reſponſorum Volumina II. | *Miſcellanea Juris.*
De Retractu libri III.

1649 CCXX. Certum eſt ex albo Polonorum, quod habemus præ manibus, traditum à quodam Athanaſio Rhuteno, qui Polonam bibliothecam Patavii noſtra ætate diripuit, venditiſque codicibus, fugit, STANISLAUM LUBIENSKI nobilem Polonum, qui deinde Plocenſis Epiſcopus fuit, Patavii Eloquentiæ ac Juriſprudentiæ ſtuduiſſe. Confirmant hoc ipſum monumenta gymnaſtica & inſcriptiones à Salomonio collectæ (4), conſtituit autem planè ac demonſtrat Sanſoni Diarium (5). Addamus ergo & hunc virum clariſſimum alumnis noſtris, conferatque gloriæ gymnaſii noſtri probata virtus doctiſſimi Præſulis, quo Polonicam gentem ad hæc noſtra ſubſellia evocet, par decus noſtræ poſteritati facturam, paria virtutis præmia poſteritati ſuæ comparaturam. Familiæ unde traxit originem ſtemmata, geſta ejus à pueritia ad extremam ætatem, dignitates eximias, quibus auctus res Polonicas, prudenter, utiliter, ſapienter adminiſtravit, ſigillatim Freherus proſequitur (6), ex operibus ejus poſthumis accuratè decerpta: nobis ex brevitate, quam profitemur, delibaſſe ſupererit ſumma capita, ex quibus noſtræ poſteritati ſit notus. Pervetuſta, ac prænobili apud Sarmatas editus gente, in paternis caſtellis apud Wladislaviam à puero literas didicit tum Siradiæ, tum Caliſſii in Societatis Jeſu gymnaſiis; mox apud Pſtroconium regium Chartophylacem ſeu Cancellarium, inter domeſticos ſummi magiſtratûs illius miniſtros cooptatus, patronum ſecutus eſt cum Sigiſmundo Rege proficiſcentem in Sueciam. Inde redux graviorum

(1) Elog. lib. 2. p. 257. & ſeqq. (2) hujus Oper. tom. 1. (3) ibid. p. 260.
(4) in Miſcell. ad Inſcript. Gymn. (5) ad Annum 1598. (6) Tom. P. 1. Sect. 3. p. 485. 487.

graviorum diſciplinarum cauſâ Grætium profectus, non diu poſt ad gymnaſium noſtrum venit: atque hic probè doctus, reportatis doctrinæ præmiis rediit Wladiſlaviam. Ibi Pſtroconio intra paucos dies morte ſublato, à ſucceſſoribus pari benignitate ac ſtudio cultus, ac Gneſnenſis Eccleſiæ Præpoſitus renunciatus, cùm inviſendorum, ordinandorumque regni chartophylaciorum demandatum ſibi à Rege munus feliciter obiiſſet, in partem Epiſcopalium curarum à Cracovienſi Præſule Petro Tylicio aſſumptus eſt, fuitque tum Cracovienſis Archidiaconus, tum Rector Regii Chartophylacii, mox etiam ſacerdotii Tinecenſis apud Sarmatas celeberrimi curator: quibus muneribus & honoribus dum fungitur, ad infulas Lucæorienſes Antiſtes provectus eſt. Exinde ad Plocenſem Eccleſiam translatus, ita claruiſſe dicitur, ut citra invidiam verbi, is cum fratre Matthia, tunc Wladislavienſi, Gneſnenſi deinde Archiepiſcopo, regni Sarmatici mens, animus, manus habitus ſit, reque ipſa fuerit ſcriptis, monitis, declamationibus, conſiliis, & inſigni ſemper erga gentem ſuam amore, ſtudio autem erga orthodoxam religionem eximio. Magnis Plocenſem Eccleſiam beneficiis munificus Antiſtes cumulavit, ſacrumque ejus collegium auxit, dotavit. Societatis Jeſu, quam unicè dilexit, cuique conſcientiæ ſuæ moderamen crediderat, inopiam in diœceſi ſuâ, collatâ largè pecunia, ſublevavit, ac probè gnarus literis pietatem ac felicitatem publicam ſtare, ſcholas, & inſignem in Eccleſia Plocenſi bibliothecam aperuit. Vixit annos LXVIII., atque an. MDCXL., dum cauſa comitiorum contendit Varſaviam, morbo correptus Viſcoviæ, placidè, ſine cruciatu, ſenſuve doloris, mortalitatem depoſuit, conditus in Plocenſi templo, quò ejus exuvias frater Gneſnenſis Metropolites transferendas curavit.

Libri ab eo editi prolixis inſcriptionibus exponuntur, quas nos breviùs proponimus.

Narratio Profectionis in Sueciam Sigiſmundi III. Sueciæ ac Poloniæ Regis.
Libri IV. de motu Civili in Polonia.
Cauſa belli à Sigiſmundo III. Moſchis illati ad Matthiam Cæſarem.
Diſſertatio de Rebus Sileſiacis.
Diſſertatio de Jure Regni Polonici ad Ruſſicas, & Moſchoviticas Regiones.
Reſponſio ad Ficti nominis Equitem, Jura Poloniæ evertere conatum.
Epiſtola Deliberativa Staniſlai Zolkievii Archiepiſcopi Poloni de Bello Turcico latinè reddita.
Epiſtola ad Gregorium XV. complectens narrationem belli geſti ad Chocimum cum Turcis.
Diſſertatio & Querela de Statu Rerum Poloniæ, & confœderatione Anni MDCXXII.
Reſponſio ad Proteſtationem Palatinatuum Poſnanienſis & Caſſilienſis.
Parænſis ad Prochartophylacem Regni Thomam Zamoſkium.
Errata Julii Belli, Scriptoris Laurea Auſtriaca taxata.
Monita de rectè gerendo Epiſcopatu.
Vita Plocenſium Epiſcoporum.
Vita Pſtroconii.
Epiſtolarum Decades tres.
Gratulatio Sigiſmundo III. reduci capta Smolenchi arce.
Oratio habita in Regis ejuſdem funere.
Alia funebris non dicta, ſed edita.

CCXXI. FRANCISCUS MONTMORENCIUS cum in albis Germanorum Patavii, titulo Comitis bis terque notatus legatur, ſigneturque à Sanſono more nobilium provectus ad lauream legum (1), Salamonio anſam præbuit erroris (2), quo celebrem illum Ducem Gallorum, qui victor in prælio ad Fanum S. Dionyſii apud Lutetiam nonagenarius pugnans interfectus eſt, exiſtimaret Palladi quoque litaſſe in hoc noſtro gymnaſio. At Anna ille vocabatur, non Franciſcus, nec Belga, ſed Gallus fuit, nulloque modo ſpectare poteſt ad initium ſæculi XVII., qui vixit, & obiit ſæculo XVI. (3) ad quod quoque referendus eſt Gallus Montmorencius alius, qui Occitaniæ præfectus, quòd à Rege deſciviſſet, captus in prælio (4), damnatuſque cervicem carnificis ferro ſubjecit. Horum neuter ad Germanorum catalogos pertinet, qui proinde alium nobis Montmorencium objiciant Germani nominis adoleſcentem egregium in humanioribus literis probè verſatum, atque Muſarum alumnum, quem Benius in Epiſtola ad eum ſcripta (5), diſcipulum ſuum appellat, ac Præpoſitum & Decanum renunciatum gratulatur. Is porro non alius eſt à memorato per Allegambium (6), natione Belga, Arienſis patria, Comes Stegrenſis & Morbecanus, Præpoſitus Caſſetenſis, & Magnus S. Lamberti Leodii Decanus. Ætate jam matura quadragenarius Societati Jeſu nomen dedit, titulisque ac dignitatibus ſuis illico nuncium remiſit in ipſo tyrocinio, ut ſe ad conſtantiam propoſiti, quod ſuſceperat, confirmaret. Multa de illo virtutis 1640

(1) Diar. ad An. 1600. (2) in Miſcell. ad Inſcr. Gym. (3) Doglion hiſt. P. 8. Tom. 2. p. 6.. (4) Petav, Ration. Temp. lib. 9. c. 14. p. 524. 521. (5) ea eſt Epiſt. 19. lib. 1. (6) Bibl. Societ. Jeſu p. 127.

eximiæ proferunt exempla Scriptores ejuſdem Societatis, chriſtianæ præſertim demiſſionis, & patientiæ. Nam ſe minimum inter ſodales, & nullius planè pretii aſſerebat, ac ſentiebat ex animo vir nobiliſſimus; & ſtatim poſt initam Societatem iſchiade pertinaci æger, hilari ſemper vultu, & Deo gratias agens per annos viginti luxatâ coxendice in cubiculo delituit, aut fulcrorum adminiculo coactus eſt ingredi. Sic morbo tolerato inter dolores immodicos toto, quod vitæ ſuperfuit, tempore, anno ætatis LXII. Chriſti MDCXL. deſiit eſſe mortalis. In illo morborum otio non otioſus, elegantiſſimè cecinit.

- *Poeticam Sacrorum Canticorum expoſitionem,* cui addidit; *Idyllia Sacra.*
- *Pſalmos XV. lyricis modis expreſſos.*
- *Epinicion pro parta de Batavis apud Antuerpiam Victoria.*
- *Paraphraſim Poeticam Pſalmi XLI. in immaturo funere Robecani Principis nepotis ſui.*
- *Pietatem Victricem Pſalmi VII. lyricè.*
- *Lucubratiunculam de Artificio Poetico Davidicorum Hymnorum.* Edita ſunt omnia. Editiones dabit Allegambe (1).

1643 CCXXII. PAULUS TOMASINUS Jacobi Philippi frater Patavinus ex elogio illi à fratre poſito nobis notus eſt (2). A pueritia humanioribus literis excultus ad Juriſprudentiam acceſſit, ac præmium ſtudiorum ex ea reportavit laureatæ virtutis inſignia anno ætatis undevigeſimo: mox religioſâ peregrinatione ſuſceptâ, Lauretum, Aſſiſium, Romam inviſit, atque inde reverſus, amicorum hortatu, quamvis pacati vir ingenii, ad forenſes rixas ſe contulit, fuitque inter Patavinos cauſidicos ex eloquentiâ clarus, at ex pietate longè clariſſimus, qui eo calamum, & linguam direxerit, ut pupillorum, viduarum, ac pauperum patrocinium ſuſciperent. Extinctis fratribus ſine ſobole, conſervandæ familiæ causâ uxorem accepit, ex qua liberos habuit, quos hæredes fecit: nec tamen ex his poſteritatem produxit, cum familia Tomaſina jampridem Patavii deſierit, rebus ejus in Palatiolam, & Manzonam familias nobiles & illuſtres tranſlatis. Advocatorum anteſignanus in patria, primumque nactus in foro Patavino ſubſellium obiit an. MDCXLIII. ætatis LIX. Sepultus apud Somaſchos in templo S. Crucis. Frater Æmonienſis Epiſcopus Epitaphium impoſuit, quod exhibet tum ipſe (3), tum Salomonius (4). Hæc ejus Scripta recenſentur à fratre (5).

- *Conſiliorum & allegationum Volumina XII.*
- *Obſervationum Legalium Volumina II.*
- *Obſervationum in Municipales Patavii leges Volum. I.*
- *Miſcellaneorum, & Adverſariorum Volumina II.*
- *Oratio in laudem Angeli Corrarii Prætoris,*

CAPUT XLIV.

Baptiſta Nanius Senior. Toldus Conſtantinus. Guido Bentivolus Card. Andreas Foſſa. Thomas Flanginus. Claudius Plumius.

1644 CCXXIII. BAPTISTA NANIUS patricius Venetus cùm in tabulariis Patavinis bis nominetur, à Salomonio (6) confunditur cum alio ejuſdem familiæ præſtantiſſimo viro, de quo egimus in Triumvirali catalogo literarii Magiſtratûs (7), quemque & Marciana purpura, & equeſtris ordo, & obitæ legationes ampliſſimæ, denique celeberrimi Venetarum hiſtoriarum libri, ſi cætera deſint, ipſum, quo vixit, tempus à notato per Salomonium ſecernunt. Is enim, qui ſignatur à tabulariis, filius Auguſtini fuit, cum hiſtoricus patrem Joannem Equitem & D. Marci Procuratorem habuerit. Fuit hiſtorici patruus, & citra Purpuram & Equeſtre decus Senator, doctiſſimus, atque alumnus gymnaſii noſtri, cui clarus hiſtoricus gloriæ nihil ex hac parte contulit. Adoleſcentiam Patavii tranſegit integram: nam eum auditorem fuiſſe & Riccoboni, & Piccolominei, & Cephali, colligo ex oratione ipſi à Patavinis cauſidicis dictâ cùm Patavio diſcederet Prætura defunctus. Quamobrem Philoſophicis opibus tum Juriſprudentiam tum literas humaniores inſtruxerit, hiſque dives Venetias redierit, atque ex edito per ea tempora libro nobilis, ad Rempublicam gerendam acceſſerit. Functus egregiè honoribus patriæ ac Senator præfuit Patavio Prætor anno MDCXVII. & ſequenti, ut habes in faſtis Prætoriis (8), & Prævotio ſignificat Mauroce-

(1) ibid. p. 128. (2) Elog. lib. 2. p. 374. 393. (3) ibid. p. 390. & ſeq.
(4) Inſcr. Pat. p. 444. n. 18. (5) ibid. d. p. 390. (6) Miſcell. ad Inſcr. Gymn.
(7) Oper. hujus tom. 1. (8) ibid.

Maurocenus (1), à quo alibi etiam laudatur (2), quemadmodum, ſed & ſæpius à nepote Baptiſta (3), præſertim cùm XViralem Magiſtratum, concione in Senatu habita tutatus eſt tantò eum plauſu, ut & in faſtis XViralibus egregium Senatoriæ eloquentiæ facinus annotari, & ipſe in Decemvirum legi meruerit. Ter gymnaſio noſtro jus dixit literarius Triumvir an. MDCXXIV. MDCXXIX. MDCXLII. Perſenex obiiſſe creditur an. MDCXLIV. Scripſit adhuc juvenis doctiſſimos libros IV. de Heroe ad Marinum Grimanum Eq. D. M. P. poſtea Venetum Ducem.

CCXXIV. TOLDUS CONSTANTINUS Serravalenſis, de cujus nobili familiâ, ſi 1644
placebit, Incognitos conſules (4), Patavii ſtuduit, atque hìc doctoris in utroque jure laurum promeruit. Diu inter aulicos ſacrorum Principum fuit, functuſque eſt magna cum laude perpetuò Vicarii generalis officio, donec illi corporis incolumitas, & ſanitas integra ſuperfuit. Hac deficiente, inter labores aſſiduos, conſilio Medicorum Venetias rediit, atque inde in patriam non alio ex tot laboribus cenſu dives, quam quo ſibi titulum Protonotarii Apoſtolici, & nobilem bibliothecam comparaverat; & illum quidem geſſit, dum vixit, hac diu frui minimè potuit. Nam Senatus Veneti juſſu Patavium accitus eſt, ut Nobilium collegio poſt Franciſcum Bernardinum Ferrarium Rector præeſſet. Hìc aliquandiu vixit poſtremus ejus collegii Præſes. Hoc disjecto, Venetiis fuit, eratque circa an. MDCXLIV. nec diu ſupervixerit, Annum emortualem ignoramus, nec planè ſcimus an Venetus obierit.

Edita ſunt ejus opera his titulis.

Reſponſa legalia Volumen unum.

Orationes aliquot.

Libri XII. Carminis Italici de Poſtremo Judicio.

Carmen celeberrimum inſcriptum Metamorphoſis Majoris & Minoris Medoaci ſeu Renanis Fluminum, quod nuncupat Joſepho Aquavivæ Adrienſis Ducis Fratri tunc Patavini diſcipuli,

CCXXV. GUIDO Cardinalis BENTIVOLUS gymnaſii noſtri decus, ornamentum 1644
Romanæ purpuræ, flos nobilitatis Italicæ, & doctorum hominum ſuâ ætate facilè princeps, familia orlundâ Bononiâ, & quidem inter præclariſſimas præcipuâ Ferrariæ natus eſt. Ab ineunte ætate virtutem coluit (5), ac puer elogium Tobiæ meruit, hoc eſt, puer nihil puerile geſſit in opere: ſed arduum integerrimæ Sapientiæ iter ingreſſus ea tantum tractavit, quæ vel ſenes fatigant: iis dumtaxat hominibus ad familiaritatem & colloquia uſus eſt, in quibus probitatem ornarent literæ, literaſque virtus probaret. Juriſprudentiam aſſiduus auditor publicè profitentium Patavii didicit, doctiſſimorumque virorum ac juvenum ſectator, & ſocius in ejuſdem doctrinæ ſecreta pervaſit, amore tanto erga hanc palæſtram præſtantis ingenii ſui, tantâque ſtudiorum hìc peractorum deinceps memoria, ut in Epiſtolis ſuis penè non ſe Patavinum oſtenteт. His præſidiis inſtructus ad capeſſendam rempublicam Romam acceſſit, atque inter honoratios à cubiculo miniſtros à Clemente VIII. receptus, Referendariis Apoſtolicis annumeratus eſt à Paulo V. cujus mox juſſu, adſumpto titulo Archiepiſcopi Rhodii, Nuncius Apoſtolicus ſacris Belgicis præfuit. Ea provincia perſunctus, in eodem munere apud Gallos Pauli vices geſſit, rerumque ſuarum non minus, quam olim Græciam miratricem, aliarum contemptricem gentem ita virtutum ſuarum gloriâ ſibi conciliavit, ut etiam ad patrocinium devinxerit, non ſibi tantùm, ſed ſuis quoque nepotibus, ac nobiliſſimis poſteris. Presbyter Card. ab eodem Paulo renunciatus an. MDCXXI: Romam rediit Paulo defuncto, eique Gregorio XV. ſuffecto, à quo dignitatis inſignia, poteſtatemque recepit. Hoc quoque brevi è vivis erepto, interfuit comitiis Pontificalibus, ſuffragiumque tulit pro Urbano VIII., apud quem tum ob cæteras virtutes, quibus Romanam aulam ad ſui admirationem coegit, tum verò maximè ob eloquentiam, ac nitorem elocutionis Etruſcæ, ſummo in honore fuit, ſed planè ſterili. Nam vir tantæ dignitatis, tantique nominis prope inops & egenus vixit in purpurâ, caruitque rebus cum ad tuendum ſplendorem officii, tum ad vitæ uſum neceſſariis: quamobrem, ne ſolvendo non eſſet, atque ære alieno protſus opprimeretur, ædes, quas in Quirinali habebat ampliſſimas, inſtructiſſimas, vendere coactus eſt, pretiumque creditoribus ſolvere. Vixit deinde in aliis modica mercede conductis eâ contentus interim ſpe, quam conceperat ex vaticinio cujuſdam arioli, qui prædixerat, moriturum eum in Vaticano. Ergo licet conſcius infirmiſſimæ valetudinis ſuæ, ob quam omnibus palam profitebatur, finem ſibi vitæ adeſſe proximum, tamen comitiorum poſt Urbani

(1) Opuſcul. p. 144. (2) hiſt. lib. 8. Edit. Ven. T. 7. p. 460.
(3) T. 1. Edit. Ven. IX. lib. 7. p. 402. 403. lib. 9. p. 493. 491. 522. lib. 10. p. 559. lib. 12. p. 693.
(4) Glor. p. 405. (5) Oldoin. ad Ciaccon. Tom. 4.

obitum conclave ingreſſus ad ſpem futuri Pontificatus, quam favor Gallorum Hiſpanorumque faciebat, lethali correptus febri, delatuſque ad proxima comitiis cubicula, ibi brevi mortalitatem depoſuit, implevitque fidem Vaticinii, quo deceptus eſt, morte obita in Vaticano VII. Idus Septembris an. MDCXLIV. ætatis LXVII. Fertur exttemis verbis queſtus, quòd ob inopiam, nullam familiaribus ſuis benevolentiæ ſignificationem præbere poſſet, faſſus cogi ſe ptopter egeſtatem inteſtatum decedere. Sepultus in templo S. Silveſtri ad collem Quirinalem penè non caruit honore monumenti, & epigraphes, vir tantus tantæque gloriæ, totique Europæ ex elegantia, elocutione, & gravitate Scriptorum notiſſimus. Scripſit & edidit Italicè volumine triplici Belgicam Hiſtoriam, Epiſtolas elegantiſſimas, Commentaria rerum Eccleſiaſticarum à Pontificatu Clementis VIII. ad finem adminiſtrati per Urbanum VIII. Imperii, Deſcriptionem ſuæ Legationis in Belgio, deſcripſitque Ludum Troiæ in circo Agonali peractum, cùm Romæ fuit Alexander Carolus Poloniæ Princeps.

1647 CCXXVI. Clarum apud Ligures genus ANDREÆ FOSSA Incogniti celebrant (1), clarius hoc ipſe fecit virtute ſua. Exortus Genua, adlectuſque ab adoleſcentia in familiam Lateranenſium Canonicorum, non pietatis dumtaxat, verùm etiam ſapientiæ ſe militem præſtitit. Patavii diſciplinarum omnium ornamentis excoluit natum ad ſcientias ingenium, ac nondum emenſus annum ætatis tertium ſupra vigeſimum Philoſophicam, Theologicam, & Sacrorum Canonum lauream conſecutus eſt. Jam vir ſacræ facundiæ nomen dedit, detonuitque in vitia pro Chriſtianis moribus è clariſſimis maximarum in Italia urbium ſuggeſtibus, avidiſſimè auditus ubique, & ſummis Principibus carus. Poſt hæc ad ſui Ordinis præfecturas evectus, & Abbas, & Supremus flaminum Lateranenſium Abbas fuit. Agebat tertium ac ſexageſimum ætatis annum an. MDCXXXVII. pertigeritque ad an. MDCXLVII. quo edidit *Concionum Italicarum volumina duo*; ediderat ante latinè *Pentachordon Charitatis, & Amuſſim viri probi ad librum Tobia*, quam error graphicus apud Incognitos Amuſtim vocat (2).

1648 CCXXVII. THOMAS FLANGINUS inter claros alumnos Juriſprudentiæ Patavinæ locum habet ex albo Tranſmarinorum (3). Natus eſt Corcyræ infimo genete, planèque alio ab eo, quod Cypriam nobilitatem patriciis Venetorum titulis auxit, clarum ab ultima ſtirpe, atque etiamnum poſterorum egregiis geſtis illuſtrius. Ajunt eum villici filium ea ad literas propenſione fuiſſe, ut traductus Venetias, ac diſciplinis minoribus Hieromonachi cujuſdam ſumptibus imbutus, Patavium commeaverit, adſcriptuſque Tranſmarinorum catalogis ita in omnium animos irrepſerit modeſtiâ & obſequio, ut quamvis pauperrimus, & humillimæ gentis apud conterraneos & pecuniaria, queis viveret, ſubſidia, & ad ſcholaſticos honores patrocinium repererit. Depoſito Legum tyrocinio I. V. D. Venetias rediit, & apud cauſidicum ſalarium meruit, quo per annos aliquot vixit, quâque erat mirabili parſimonia, peculio ſtrenis comparato, quod defuncti patroni legatum auxit, in cauſidicorum ſe claſſem dedit; brevique adeo in eo ordine inclaruit, ut non admodum major annis triginta cum maximis de facundia, & patrocinandi felicitate contenderet. Hinc illi gloria paulatim & opes, quarum ea copia deinceps fuit, qua filiam unicam, eamque, ut narrabat vir clar. Scipio Gonemius, ex quo hæc habemus, & deformem & penè non ſtupidam, inſigni dote, ſpeque maximè hæreditatis commendatam in matrimonium collocaverit nobili viro Benedicto Superantio, cui etiam aditum ad Purpuram Marcianam aperuit. Hanc filiam ſuam hæredem ex aſſe ſcripſit, ſi filios vel filias ſuſcepiſſet, ſi ſine liberis deceſſiſſet adiecto fideicommiſſo, bona ſua omnia in Græciam tranſtulit, cujus bono publico ea juſſit attribui, piis operibus deſignatis, quæ rerum eventus effecta dedit. Nam orba filia è vivis erepta, congeſtæ divitiæ verſæ ſunt in utilitatem miſerrimæ Græciæ, cujus pauperi juventuti Studiorum commoditatem, ærumnoſæ ægritudini ad ſalutem remedia, pudori verò opportunum ſubſidium, denique duræ apud barbaros captivitati lytra parant, in collegio Flanginiano Venetiis, in noſocomio S. Georgii, in dotibus ad puellarum egentium nuptias conſtitutis, in certa pecunia redimendis captivis Græcis impendenda quotannis. His egregiis operibus æque atque Græcorum ſcriptis tum Patavini gymnaſii, quod Flanginum aluit, tum ipſius Flangini nomen perennabit in Oriente, cui longè certiùs quàm ſcripto, facto profuit multipliciter utili, & felicem diu exitum habituro. Obiit Venetiis an. MDCXLVIII. ſeptuagenarius.

1649 CCXXVIII. Clariſſimus Juriſconſultus CLAUDIUS PLUMIUS Hafnienſis Danus poſtquam à puero liberalibus diſciplinis imbutus eſt tum in patrio, tum in aliis lycæis Germanicis, pervagatus Angliam, Galliam, & Poloniam, ac totâ Italiâ perluſtratâ

beſit

(1) p. 27. (2) ibid. p. 30. (3) apud Salom. in Miſcell. ad Inſcrip. Gymn.

heſit Patavii; ut conſtat ex albis Germanicis, quorum teſtimonio confirmatur quod annotat ex Vindingio Freherus (1), I. N. G. Syndicum illum fuiſſe in hoc gymnaſio an. MDCXVII. Hic quoque laureę, quam ſibi optavit conferri apud ſuos, ubicunque reportandę poteſtatem virtuti ſuę factam, *licentiam* vocant, gratulatus eſt: atque hinc profectus, ubi Belgicas urbes inviſit Hafniam rediit; nec diu poſt ibi jus publicè docuit nondum doctor: quippe hunc titulum tunc tandem ritu ſolemni conſecutus ibidem eſt cùm primùm Rector Academię regię fuit an. MDCXXI. ętatis LV. Ea dignitate ter functus eſt poſtea, Profeſſor ſemper probatiſſimi nominis; difficultate ſpirandi, cachexia, & ſcorbuto ſenſim oppreſſus interiit an. MDCXLIX. ętatis LXIV. Corpus conditum in templo Deiparę Virginis monumentum cum hac habet epigraphe.

Viro Clariſſimo Conſultiſſimo Claudio Plumio
I.V.D. & PP. in Regia Academia Hafnienſi per An.
XXXII. celeberrimo, Quater interea Rectori, &
bis Marito, ac ex utroque conjugio XVIII libero-
rum Patri; relicta Vidua Kirſtina Cunradi Filia,
cum liberis ſuperſtitibus hoc Monumentum M. P. C.
A. MDCL.

Scripſit. *Diſputationes II. de Uſucapionibus. de Jure Connubiorum IV.* *Tractat. de Tutoribus & Tutelis.*

CAPUT XLV.

Cæſar Carena. Andreas Clavena. Marinus ab Angelo. Petrus Michaelius. Nicolaus Craſſus. Antonius Bragadenus Cardinalis. Baltaſſar Bonifacius. Vincentius Finius D. M. P.

CCXXIX. CÆSAR CARENA nobili gente oriundâ Bodinnomago Liguriæ urbe, 1649
Cremonæ natus in gymnaſio Patavino & Juriſprudentiam didicit, & Sacrę Theologiæ operam dedit, ex qua laureatus doctor in patriam rediit; unde Ticinum profectus Sacræ Theologiæ addidit legum inſignia. Cremonæ cauſarum patronus, quamvis neque initiatus ordinibus ſacris, & planè laicus à Conſultationibus tamen in Officio adverſus Hæreticam pravitatem Quæſitoribus adfuit, mox etiam in eodem Magiſtratu Procurator Fiſcalis: aliis quoque apud plures Antiſtites muneribus ſunctus eſt, ſimul judex aſſedit urbanorum Præſidum tribunalibus, additusque cauſarum Auditor arci Præfecto, ordinariâ poteſtate jus dixit Præſidiariis Militibus. Florebat maximè circa an. MDCXLVII., nec tamen ad Annum L. ſæculi XVII. pervenerit. De eo adhuc ſuperſtite Ghilinus (2). Edidit,

Commentarium utiliſſimum & Conſiliariis S. Officii peneceſſarium. *De modo procedendi in Cauſis S. Officii.* Item. *Rerum in Foro Cremonenſi judicatarum &c.* 1650

CCXXX. ANDREAS CLAVENA Bellunenſis, ut, data ad nos Epiſtola, ſcribit vir clar. & in hoc opere ſæpè laudatus Pilumnus Pilumnius, acris ingenii, & in re literaria laborioſus juvenis, ſtudiorum tyrocinium poſuit Patavii, indeque I. V. D. remeavit in patriam, ubi in collegium Canonicorum relatus Lectoris quoque ſeu Profeſſoris publici munus obivit magna apud cives ſuos ex virtute & doctrina cum laude. Italicis lucubrationibus addictus egregii Scriptoris nomen ſibi conciliavit edita *Iſmeriâ & Chronologicâ hiſtoria Brandolinæ familiæ*, quæ ornata Comitum titulis, juribuſque Valli Marenæ præeſt. Obiit circa an. MDCL.

CCXXXI. MARINI AB ANGELO fabuloſam originem Byzanzio deductam multis 1651
explicant Incogniti (3). Natus eſt Venetiis, Patavii unà cum Prudentia Juris robuſtam Eloquentiam & è roſtris declamatoriam perdidicit. I. V. D. regreſſus in patriam inter ſummos Oratores fori Veneti fuit ſæculo ſuperiore, florebatque circa an. MDCL. Memoratur à Tomaſino (4), quaſi Tullius redivivus: is tamen intra annum, quem ſignavimus, vivere deſiit, nam cum idem Tomaſinus Libitinę Sacrum ſcribit in Chronotaxi (5) vulgata an. MDCLI. Laudatur ex eadem facundia à collegis Incognitis (6), editaque ſunt hęc ejus Italica, & ex genio Sęculi arguta ſatis opuſcula.

(1) T.2.P.2.Sect.4.p.1113. (2) Vol.1.Theatr.p.57. (3) p.333. [4] in hiſtor.Iſtriæ. [5] in fine. (6) loc.cit.

Libellus ſeu diſſertatio de laudibus Nihili, in quo verè dixeris eum ingenioſè in nihilo laborare.
Volumina tria Lucubrationum ſuarum Legalium, & Academicarum.
Diſſertationum Volumen.
Orationum Volumen.
Criſis Politica in Vitam Alexandri III. à Joanne Franciſco Lauretano deſcriptam.
Vertit è gallico Sermone *Iphigeniam Bellicenſis Epiſcopi.*

1653 CCXXII. Avitum ſapientiæ decus familiæ Senatoriæ & ex numeroſo paludamento ac trabeâ inter Venetas præclariſſimæ auxit PETRUS MICHAELIUS patricius Venetus (1). Diu in veſte ſacra militaturus videbatur Eccleſiæ, ad cujus honores ac munera Patavii ſe ſtudiis tum humanioribus tum legalibus aptavit, retulitque laurum horum in Patavino Juriſconſultorum collegio more nobilium (2). Redux Venetias jam natu grandior inſignia Cleri depoſuit, ut ſe Muſis Italicis penitus conſecraret in caſto conjugio. Floruit in patria intra an. MDCL. cum eum & Incogniti laudaverant inter Collegas ſuos, & laudandum à ſe pollicebatur ambitioſiùs confidentiſſimus Scriptor Jacobus Gaddius (3). Vixiſſe videtur ex Craſſo ad an. MDCLIII. Edidit.

Rhythmorum Partes tres.
Artem Amatoriam.
Vittam Cupidinis.
Fiſtulam Polyphemi.
Tabellarium Veneris, ſive Amatorias & Heroicas Epiſtolas.
Fabulas aliquot Paſtorales.
Carmen de Partu Virginis.
Gudonem Ruſticum Poema proſa conſcriptum.
Proſas Italicas: quæ omnia ſtylo tumido, ut ea ferebat ætas, exarata in ſummo ingenio modum deſiderant.

1655 CCXXXIII. NICOLAUS CRASSUS Venetus Marci filius, Nicolai ſenioris nepos à pueritiâ ſtudiis literarum addictus in patria, Patavium venit ad Philoſophiæ ac juris notitiam. Hìc enim Cremonini ſe diſcipulum fuiſſe gloriatur (4), & imbutum legalibus diſciplinis à M. Antonio Othelio, & Jacobo Gallo, auſpiciis horum doctrinæ lauream meruiſſe an. MDCIII. Jam doctor aliquandiu moratus Patavii claruit ex humaniore literaturâ inter Academicos Recouratos (4). Regreſſus Venetias eruditiſſimum calamum ingenio ſapienter induſit, ſapientiæ opportunè devovit, reiſque periclitantibus præſidio fuit, donec eum in Orientem fama, & experimentis confirmata opinio doctrinæ quamvis invitum abduxit. Fuit ergo in Creta Magni (6) Chartophylacis ſeu Cancellarii collega datus Senatuſconſulto, eoque functus officio, ibidem fiſci patronum egit, Venetumque Orientem luſtravit datus cauſarum Auditor Triumviris XViralibus, qui ad habendas pro publicâ quiete, & ſecuritate quæſtiones certis temporibus delegantur. Perfunctus hoc munere quievit in patriâ (7), ſcribendique ſibi otium fecit literariæ reipublicæ profuturum. In eo obiiſſe creditur circa an. MDCLV. Sexagenarius.

Scripta ejus elegantiſſima hæc ſunt. Latina.

Antiparaneſis, edita An. MDCVI. cum Sacra Veneta immeritò turbabantur.
Elogia Patriciorum Venetorum.
Vita Andreæ Mauroceni.
Notæ ad Janottium & Contarenum de Repub. Ven., cum libro ſingulari de Forma ejuſdem Reipublicæ.
Satyra Menippea in illa: Neſcimus quid Veſper Serus vehat. Pſeudepigrapha eſt ſub nomine Liberii Vincentii Ollandi.
De Re Teſtamentaria libri VI.
De Re Politica libri XXIV. quorum priores elegantiſſimos vidimus.

Italica.

Odæ tres in Re Politica.
Trophæum Amatorium.
Simulacrum Pulcritudinis &
Conſolatoria ad Elpidium. Opuſcula ejus ſunt pſeudepigrapha ſub nomine Publ. Licinii.
Carmina pœnitentis animi ad imitationem Pœnitentialium Pſalmorum.
Odæ variæ ad Regem Britanniæ, ad Franciſcum Viarum, ad Tiuellum Equitem.
Rhythmorum, Paſtoralium, & Tragœdiarum Volumen.
Andreas, ſeu Venetia ſervata, Carmen Heroicum ad Victoriam ab Andrea Contareno de Genuenſibus in Prælio Clodienſi reportatam.

1658 CCXXXIV. ANTONIUM BRAGADENUM Cardinalem patricium Venetum non fumoſæ majorum imagines, nec avitum familiæ decus, & opulentus patrimonii cenſus, ſed una virtus meritis ſubnixa ſuis provexit ad Purpuram. Diu inter Juriſprudentiæ Patavinæ tyrones ad ſeveriores diſciplinas incubuit atque hinc doctus non doctor diſceſſit, quo poſt annos circiter ſexdecim, quibus patriis honoribus egregiè functus eſt, ſumptâ ſacræ militiæ togâ rediit, quodque adoleſcens meruerat, ſtemma legum recepit: eoque ornatus Romam profectus eſt quadragenario proximus (8). Relatus inter utriuſque Signaturæ

(1) Incogniti p. 373. (2) Diar. Sanſ. an. 1601. (3) de Scriptor. p. 79. (4) lib. 2. de re teſtam. (5) Præfat. ad Andreadem.
(6) Præfat. ad Vit. Mauroc. (7) Vid. Incogn. p. 341. (8) Oldoin. ad Ciaccon. Tom. 4. p. 609.

Signaturæ Referendarios ab Urbano VIII. mox Epiſcopus Cremenſis, tum Cenetenſis, demum Vicentinus renunciatus tam doctè, tam ſanctè, tam prudenter has inſulas geſſit, ut viſum ſit è republica ſacrâ eſſe, tantæ virtutis gloriâ Romanam Purpuram decorare. Ad hujus faſtigium ab eodem Urbano evectus Presbyter Cardinalis S. Marci fuit an. MDCXLI. Suffragium tulit pro Innocentio X. & Alexandro VII. ſub quo ad ſuperos abiit an. MDCLVIII. ætatis LXVIII.

CCXXXV. BALTASSAR BONIFACIUS Rhodiginus Bonifacii Juriſconſulti & Adſeſſoris celeberrimi filius tredecim annorum puer Patavium venit ſtudiorum cauſa (1): 1659
anno verò ætatis duodevigeſimo Juriſconſulti retulit lauream. Regreſſus Rhodigium nondum annorum viginti adoleſcens, in collegium adſcitus, civibus ſuis inſtitutiones Juſtinianeas interpretatus eſt. Poſt annos aliquot à ſecretis Hieronymi de Porcia Nuncii Apoſtolici apud Cæſarem Matthiam, re bene geſtâ ubi Romam rediit, hoc inde ſibi commodi tot laboribus comparavit, ut Archidiaconus Rhodiginus loco patrui ſacerdotium illud reſignantis eſſet. A Senatu Veneto ad humanioris literaturæ ſedem Patavinam vocatus cùm ſe excuſaſſet, juſſus eſt Academiæ patriciæ nobilium adoleſcentum præeſſe, ubi Cæſareas quoque Inſtitutiones expoſuit. Poſt hæc ſub Urbano VIII. Romam profectus non ſine commendatione auguſtæ Reipublicæ, ad macilentum ſatis virtutis præmium, ad inſulas nimirum Sethienſes ac Hierapetrenſes in Cretâ inſulâ titulo tenus gerendas provocatus iterum excuſavit ſe, contentuſque fuit Sacerdotio Archidiaconi Tarviſini, quo rediit ornatus Venetias, quievitque Tarviſii, donec iterum juſſu publico revocatus Patavium, collegium Nobilium, quod, Patribus Societ. Jeſu exilio multatis, in eorum ædibus fuerat erectum, aliquandiu moderatus eſt. Sed cùm poſt annos aliquot collegium illud fuiſſet diſcuſſum, tandemque Senatuſconſulto prorſus abolitum, Baltaſſar Tarviſium remeavit, unde tandem ad ſedem Juſtinopolitanam in Iſtriâ Epiſcopus (2) venit an. MDCLIII. Sedit ad an. MDCLIX. quo vivere Juſtinopoli deſiit, conditus in templo urbis principe, ibique non unâ Epigraphe poſterorum memoriæ commendatus. Scripta ejus edita & edenda latine & italicè recenſent Incogniti (3). Latina nos vidimus tantum his titulis.

Elogia Contarena.
Romana Hiſtoria Scriptores.
Coniectura in Martialem.
De Archiviis.
Prælectiones & Epitome in Inſtitutiones Civiles.
Vita Bonifacii Bonifacii Juriſconſult.
Eleuthericon & Urania ad Dominicum Moliнum.
Elogia Varia, Orationes, & Principum Inaugurationes.
Stichidicorum libri XVIII.
Muſarum Partes III.
Epiſtolarum Variæ lectiones libri XX.
Hiſtoria Ludicra libri XX.
Epiſtolarum Metricarum libri VI.
Lararii libri III.

CCXXXVI. VINCENTIUM FINIUM D. Marci Procuratorem non equidem ſcri- 1660
pta, ſed geſta, quibus inclaruit ſæculo ſuperiore, dignitateſque, quas maximas conſecutus eſt, par majoribus & maximis habitus gymnaſii noſtri decus memorabile faciunt. Græcus homo à ſtirpe ultimâ, & nobili genere in Cypro genitus, minoribus autem literis excultus Venetiis, Patavii ſeverioribus diſciplinis navavit operam, ac Sacris Legum inſignibus meruit redimiri. Inde cauſarum patronus in foro Veneto, brevi in eam ex eloquentia famam & gloriam emerſit, ut cauſidicorum princeps planèque omnium Oratorum forenſium feliciſſimus haberetur. Facundiæ adiunxit negotioſam induſtriam, qua præſtitit uſque adeo, ut eorum, qui ea ætate vivebant, hominum, nemo conſiliis concipiendis, expediendiſque negotiis privatæ publicæque rei fuiſſe dicatur utilior. Hinc illi præclariſſimum undequaque nomen, tantaque opum vis, ut, poſt partam ſibi ſuiſque patriciam nobilitatem, ſibi verò peculiariùs Marcianam Purpuram, majore dignitate dignus haberetur: quam quoque eum conſecuturum fuiſſe conſtans opinio eſt, ni mors obſtitiſſet. Hanc obiit an. MDCLX. ætatis LV. conditus in templo Moyſi Prophetarum Antiſtiti ſacro, in cujus fronte ſimulacrum ejus marmoreum aſpicies ſtatuis minoribus affabrè factis circumſeptum. Hoc Græciam admonet, nil deſperandum Græcis hominibus, ſi fortunæ ſævientis iniuriis obiiciant, ſolertem prudentiam, virtutem ſedulam, & avitæ gloriam ſapientiæ, quâ unâ olim apud nos ſtante, cultâque, felices ſuimus, quâ olim apud nos neglectâ collapsâque miſerrimi ſumus.

CAPUT

(1) Incogniti p. 75. 77. (2) Ughel. Tom. 5. in Serie Epiſcop. Juſtinop. (3) ibid. p. 76. 77.

CAPUT XLVI.

Jacobus Pighettus. Joannes Argolus. Auguſtus Dux Brunſvvicenſis. M. Antonius Martinengus. Jo. Baptiſta Vitalius. Alexander VIII. Pont. Max.

1669 CCXXXVII. JACOBO PIGHETTO (1) ſplendorem generis Bergomum dedit, ſapientiæ decus Paravinum gymnaſium, in quo artem Rhetorum didicit, viribus è Philoſophia petitis inſtruxit, auguſtáque Juriſprudentiæ lauro coronavit. Hic ſi quis alius ætate ſua potens in forum Venetum deſcendit, inclaruitque in eo adhuc juvenis tanta apud omnes opinione virtutis, ut inter eloquentiſſimos viros, quorum iconibus Pinacothecam ſuam Felix Oſius inſignis ille Oratoriæ in gymnaſio noſtro doctor ornaverat, principem locum Pighetti ſimulacrum habuerit. Scilicet patrocinium apud Senatorum veneranda ſubſellia non ad lucrum ſuſceperat, ſed ad gloriam ac miſerorum & pauperum liberaliſſimam tutelam. Devexa jam ætate remeavit in patriam, functuſque honoribus omnibus apud ſuos, clarebat nondum declinante ſæculo XVIII. ex elegantia & acumine elogiorum, multaque meditabatur decori futura & utilitati literariæ reipublicæ. Qui circa an. MDCXXX. jam doctor, & in foro Veneto cauſidicus tantus erat Oſio circa annum illum extincto, non ultra æræ Communis an. MDCLX. vitam produxerit, nec nobis aliunde notus eſt, quam ex editis, quorum hi tituli ſunt.

Togata Paludataque Palladis Templum, Virorum ſcilicet literis armiſque illuſtrium Elogia.

Animadverſiones in Cornelium Tacitum.

Hiſtoria ſui Sæculi

Declamatio Italica adverſus injurias Typis illatas,

1660 CCXXXVIII. JOANNEM ARGOLUM filium Andreas gymnaſii noſtri celeberrimus Mathematicus apud ſe habuit penè toto, quo ſtipendiis gymnaſticis tempore militavit. Hic ille natum ad Muſas ingenium excoluit, atque hic in præcoces ejuſdem fructus effloruit, ac nondum anno (2) ætatis duodevigeſimo major Ordini vatum clariſſimorum adſcriptus eſt ex edito *Endymionis* Poemate. Juriſprudentiæ deinde nomen dedit, ac lauream conſecutus à Juriſprudentiâ reſilivit. Nam ſtatim accitus Bononiam ibi literaturam humaniorem profeſſus eſt, & ſi credes Incognitis, Robortellorum, Sigoniorumque gloriam lycæo Bononienſi reſtituit inſtaurator priſcorum decorum, novorum auctor. Poſt annos aliquot ad Legum iterum caſtra transfugit, vir melancholicus, & unius diu inſtituti ac laboris impatiens à docendo ad judicandum, ad tribunal ab exedra gravioris ætatis ſtudia convertit, (3) præfuitque eum juriſdictione pluribus in Pontificiâ ditione minoribus oppidis; atque eo in munere planè conſenuit, muſarum interim, quas ſemper honeſtè tractavit, nunquam oblitus. Obiiſſe creditur circa an. MDCLX. certè eum annum vivendo minimè ſuperaſſe. Multa ſcripſit latinè & italicè, quæ recenſent Incogniti (4). Nos hæc vidimus in Allatianis vulgata & edita.

Latina.

Epithalamium in Nuptiis Thaddæi Barberini & Annæ Columnæ.

Notas in Panvinium de ludis Circenſibus.

Jatrolameam Gabrielis Naudæi à Leone Allatio Græco Carmine inauguratam, latinitate donatam.

Vitam Columellæ, & Q. Curtii Ruffi.

Animadverſiones in Auctorem ad Herennium.

Philippicam Ciceronis nomine in M. Antonium.

Libellum de Aqua Martia.

Commentaria in Tacitum.

Notas in Juvenalem & Perſium.

Poemation de Armamentario Navali Veneto.

De Pegmate ſubitanæ Navis.

De ſtipe Neptuni, ſeu Nuptiis Maris Adriatici.

Epula Principis Poema.

Librum Elegiarum.

Libros III. Epigrammatum.

Italica.

Endymion Poema.

Idyllium de Bombyce, ſeu Serico.

Metamorphoſes Paſtorales.

1666 CCXXXIX. AUGUSTUS Dux (5) Brunſvvicenſis Danneborgæ, quæ Brunſvvicenſis arx eſt, natus an. MDLXXIX. Henrico Patre, Urſulâ Franciſci I. Saxoniæ Ducis filia,

(1) Calvus in ſcen. liter. Bergom. Glor. Incognit. p. 185. 187. (2) Incogniti p. 193. Memor. Gelator. p. 347. (3) Incogn. ibidem. & Tomas. Elog. lib. 2. p. 310. (4) ibid. p. 195. (5) Vita Auguſti Ducis Freher. T. 2. p. 2. Sect. 2. p. 760. 761.

Digitized by Google

filiâ, à primâ ætate bonarum artium ſtudio flagraſſe dicitur. Annorum XXV. juvenis Roſtochii humanioribus literis vacavit egregiè, peroravitque non ſemel, ac delatum ſibi Rectoris in Academia illâ munus munificè ſummâque cum laude geſſit. Tubingam progreſſus Rector ibi quoque fuit, ac plures Orationes publicas habuit. Patre è vivis erepto an. MDCXVIII. Argentoratum venit, ubi publicè ſine Præſide diſputavit pereruditè, mox in Italiam veniens Patavii ſubſtitit, adſcriptuſque (1) albis Germanicis à menſe Octobri anni ejuſdem ad finem ſequentis diſcipulum ſe præſtitit & alumnum Patavinæ Juriſprudentiæ. Exinde Romam progreſſus, luſtravit deinde Siciliam utranque, ac Melitâ ſalutatâ rediit in patriam an. MDC. exeunte: nec annum integrum in ea moratus, rurſus ad inviſendas Boreales Provincias iter inſtituit; fuitque in Belgio, in Britanniâ, Pariſiis, ac per Lotharingiam domeſticos lares repetiit. Cenſum ex repetitis conjugiis auxit, ditionem quæſitis ex frâtrum funere hæreditatibus amplificavit; potituſque tandem anno MDCXLIII. Guelphembyto, quod Brunſvvicenſium Ducum ſedes antiqua eſt, ac vulgo VVolfenbutellium appellatur, ibi Princeps eruditiſſimus bibliothecam planè baſilicam inſtituit, tum codicum omnis generis ingenti numero, tum inſtrumentorum ad Matheſim, Aſtronomiam, aliaſque liberales artes attinentium præſtantiâ inſtructiſſimam, quam Auguſtam à fundatore nuncupant, quamque celebravit Julius Scheurius in Academia Iulia Profeſſor Ethices parodiâ non illepidâ ex Epigrammate Sannazari notiſſimo ſic ludens,

Viderat Auguſtam Dea Cæſia Bibliothecam
Auguſti manibus Guelphica in Arce ſtrui,
Nunc mihi turrigeras quantumvis Marſpiter arces
Objice, quas vehemens Occara cingit, ait:
Grandia ſi libris præfers tormenta, memento,
Illa homines miſeros, hanc poſuiſſe Deum.

Vixit deinceps literatiſſimus Princeps pacatiſſimè, produxitque longævam ætatem ad octavum & octogeſimum annum æræ Chriſtianæ MDCLXVI. quo vivere deſiit XV. Kal. Octobris.

Scripſit ediditque ſub ficto nomine Guſtavi Seleni.

Ludum Regium latrunculorum, quem Scachiam vocat, addiditque *Rhithmomachiam* figuris ornatam elegantibus, profundæ eruditionis Opus.

Cryptographiam, qua Trithemii Steganographia eruditis hactenus Magica credita ita illuſtratur, ut quidquid in Trithemio delituit obſcurum, oculis omnium pateſiat.

Sympoſion Trimetrum Antonii Bonfinii.

Harmoniam germanico Sermone concinnavit Evangelicam, ſeu Vitam D. N. I. C ex IV. Evangeliſtarum, & reliquis novi teſtamenti libris.

CCXL. M. ANTONIUS MARTINENGUS Brixienſis & patricius Venetus, Cano- 1673
nicus Patavinus, alumnuſque gymnaſii noſtri, in quo inſignia doctrinæ retulit J. V. D. poſtquàm vicariâ juriſdictione functus egregie virtutis, prudentiæ, fideique, & integritatis præclara documenta Patavinæ Eccleſiæ dedit, ad ſedem Altinatem exciſo olim Altino Torcellum tranſlatam evectus eſt, ejus urbis Epiſcopus LXIII. inaugurante Urbano VIII. anno MDCXLIII. Geſſit hanc dignitatem inſigni modeſtia, & vitæ ſanctimonia atque pietate per annos ferme triginta. Patavii, quo ſæpè adibat, obiit an. MDCLXXIII. ſepultus in templo Theatinorum. Edidit pium volumen italicè inſcriptum *Cynoſura ad obſequium Deiparæ Virginis Patronæ noſtræ*. Vide Leonardum (2) Cozzandum, & ex illo Coletum (3).

CCXLI. JO: BAPTISTA VITALIUS Poeta noſtra ætate clariſſimus, ortus patriciâ 1676
(4) gente in Colonia Cretenſi, Iuriſprudentiæ Patavii nomen dedit, cujus laurum prometuit, & gloriam aſſecutus eſt inter cauſidicos Venetos non ignobilis. Longè clarior ex Muſarum conſortio, quam ex legum, quas profitebatur, Scientia, Academicus Delphicus inter Italos Poetas Græcus homo ſæculo ſuperiore præclariſſimi nominis multa edidit carmina, quæ ſparſim vulgata typis admodum placuere. At an. MDC LXXVII. Volumen ab eo editum in publicum prodiit inſcriptum Italicè: *Carmina ad Muſarum libidinem concinnata*, atque his titulis comprehenſa: *Deus*, *Tempus*, *Nihil*,

Crea-

(1) Salom. in Miſcell. ad Inſcr. Gymn. (2) Biblioth. Brixien. (3) ad Ughell. T.5. p.1427.
(4) Ex traditis per Epiſtol. à Nicolao Bubullio.

Creatio, Homo, Relaxationes Animi. Proſtat etiam italicè ejus nomine diſſimulato ab illo eleganter deſcripta Vita S. Liborii calculoſis propitii. Obierat an. MDCLXXVII. jacetque in templo S. Antonini, ad aram D. Liborii, quam extruxerat ſuo ſumptu, ornaveratque lapide lydio. Ibi duplex Epigraphe legitur, quarum altera ejus elogium legentibus objicit, altera patruum ejus Ludovicum commendat virum integritatis eximiæ, habitumque in extricandis controverſiis arbitrario judicio diligentiſſimum.

1691 CCXLII. Cum mihi hujus operis onus impoſitum eſt, cœpique ſcribenda colligere, in cenſum clariſſimæ juventutis, quam ad Artium decora Patavinum gymnaſium aluit, venerat ALEXANDER VIII. Pontifex Maximus: quippe eum & Salomonius ad hanc redegerat claſſem (1), & icon ejus appenſa Collegii parietibus collegam illum Philoſophorum, atque in horum album cooptatum oſtenrat (2). Verùm ab hac me ſententia abduxit viri clariſſimi, ac toties in hoc opere laudati Scipionis Gonemii auctoritas, qui condiſcipulus ejus, atque dum hic agebat, amicorum familiariſſimus, Jureconſultis illum annumerandum eſſe conſtanter affirmabat: Nam eum hic poſt Philoſophorum receptam laurum, juſque Collegii quæſitum, Juriſprudentiæ dediſſe operam, ac titulos reportaſſe: ex ea claruiſſe Romæ, atque uni Juriſprudentiæ debuiſſe dignitates & gloriam, ad quas illum fœderata virtuti fortuna provexit. Natus Venetiis patricio genere, patre Marco, antequam ad Petri Sedem aſcenderet, Petrus Othobonus fuit. Mitioribus literis ad Scientias excultus Philoſophiam Liceto, Juriſprudentiam Vecchio Doctoribus diu hic verſatus perdidicit, & in utrâque ſcientia doctor, maluit Philoſophorum collegio adſcribi, quàm ex legum lauro cenſeri, ratus legum ipſarum fundamentum eſſe Philoſophicam theoreſim. Romam tamen profectus juris praxim Philoſophie prætulit, eamque ſtudioſiſſimè proſecutus eſt ſub Jo. Baptiſta Coccino XIIViroum in Romanâ Rotâ Decano notiſſimo. Urbanus VIII. Abbatis titulos illi tribuit, & inter Signaturæ Referendarios perſpicaciſſimæ indolis juvenem legit, cui mox varias ditionis Pontificiæ præfecturas demandavit; quibus è re publicâ procuratis egregiè nominatus Veneti Senatûs conſulto inter quatuor Rotæ Romanæ candidatos, reliquis ab eodem Urbano prælatus eſt. Ex hoc ſupremo litium Eccleſiaſticarum ſubſellio ad Purpuram venit beneficio Innocentii X. an. MDCLII. Presbyter Card. S. Salvatoris in Lauro: biennio autem poſt Brixienſis Eccleſiæ adminiſtrationem ſuſcepit, cui nuncium remiſit ſub Alexandro VII. pingue Vangadicenſe Sacerdotium adeptus, & ad titulum S. Marci tranſlatus. Clemens illum IX. ſignandis ad beneficia libellis in ea, quam Datariam vocant, præfecit, ſub quo & ejus ſucceſſore nominis ejuſdem ordine X. propè omnibus Cardinalium cœtibus datus eſt collega præcipuus, iiſdemque muneribus functus eſt ſub Innocentio XI., cui ſuffectus Alexandrum ſe VIII. dixit, eaque in breviſſimo Pontificatu geſſit, quæ notiſſima ſunt noſtræ ætatis hominibus: præſertim cum illa augeat, ac poſteritati ad immortalitatem nominis perennaturæ commendet Petrus Cardinalis pronepos tanti Pontificis, quem olim in Seminario Romano adhuc impuberem inſigni jam tum indole ſummis honoribus proludentem mirati ſumus: nunc in purpurâ Eccleſiæ Senatoriâ Principem maximum ex doctrinâ, prudentiâ, vitæ morumque integritate, ac regiâ planè munificentiâ orbis Chriſtianus veneratur. Obiit Alexander VIII. Kal. Februarii an. MDCXCI.

CAPUT XLVII.

Joannes Delphinus Junior Card. Joannes Sobieski Poloniæ Rex. Michael Cappellarius. Aloyſius Ruzinus. Jo. Martius Cerchiarius.

1698 CCXLIII. JOANNEM DELPHINUM Cardinalem ſenioris ex eâdem familia Cardinalis pronepotem, gente patricia Venetiis genitum, & à puero ſacræ militiæ adſcriptum Græcas latinaſque literas primùm patria, deinde Patavium docuit, gymnaſium noſtrum Juriſprudentiam, cujus tyrocinio ex legibus depoſito, doctor in patriam remeavit. Poſt obitum propatrui, ut abſente patre familiam procuraret, inſignibus ſe ſacræ militiæ exuit, togâque patriciâ ſumptâ in collegium Sapientum adſcitus, admotuſque Senatoriis honoribus Continenti Veneto prefuit, mox cum Orator in Galliam lectus eſſet, excuſavit ſe, objectâ neceſſitate debiti domeſticis rebus obſequii: nec diu poſt deſignatus Adjutor Patriarchalis Officii ab Antiſtite Aquilejenſi Hieronymo Gradonico,

(1) in Miſcell. ad Inſcrip. Gymn. (2) Salom. Inſcript. Pat. p. 521, n. 12.

Gradonico, annuente Romano Pontifice ad Sacrorum conſuetudinem reddit. Extincto Gradonico, Patriarcha eâ virtutum copiâ inter Antiſtites enituit, ut ad ſe Ordinum omnium oculos, animoſque converterit, doctus, comis, munificus, literatorum virorum patronus, rei politicæ ſimul ac ſacræ peritiſſimus, & ad formandos mores tum Clericorum, tum cæterorum, quos ejus curæ numen commiſerat, maximè idoneus. Tantum, tantorumque meritorum Pontificem, non apud Venetos ſolùm, verùm etiam toto orbe Chriſtiano clariſſimum ad Romanam Purpuram Alexander VII. legit, dixitque Cardinalem S. Salvatoris in Lauro, quem titulum deinde mutavit, nec tamen Eccleſiam, cui præerat quoad vixit deſeruit. Interfuit plurium Romanorum Pontificum comitiis; in iis verò, quæ ab obitu Alexandri VIII. habita ſunt, penè non ad ſupremum Eccleſiæ ſolium provectus eſt. Poſt multa Eccleſiæ ſuæ ad rigidiorem canonum diſciplinam ſpectantia, ſervandiſque juribus ejuſdem utilia decreta, ſancita, defuncto Daniele fratre, quem ſibi ſucceſſorem deſtinaverat, Dionyſium nepotem, in quo nunc Caroli Borromæi mores, exempla Gregorii Barbadici, ſanctimoniam priſcis Epiſcopis parem Aquilejenſis eccleſia veneratur, adjutorem ſibi ſubſidiarium adjecit, atque anno MDCXCVIII. ineunte Januario deſiit eſſe mortalis, illatuſque eſt in majorum ſarcophagum ad S. Michaelis in Muriano.

Scripſit. *Dialogos de Re Philoſophica.*
Diſſertationes in Cornel. Tacitum & Saluſtium.
Luſit etiam Italico Carmine: ſcripſitque *Tragœdias*, *Odas*, & alia.

CCXLIV. JOANNES SOBIESCHI Poloniæ Rex XXXI. eximium decus gymnaſii 1696
noſtri, undè optimis inſtructus artibus ac diſciplinis prodiit par maximis dignitatibus, eoque ſtipatus virtutum omnifariam conſortio, quo ad Solium ornatus aſcendit, natus eſt Cracoviæ Jacobo urbis præfecto patre circa an. MDCXXIII. Adoleſcens in Italiam dimiſſus, ut gentium exterarum mores agnoſceret, luſtratâ Italiâ Patavii ſubſtitit per annos tres, ut ex albo Juriſconſultorum Polonico, & appictis adhuc parieti gymnaſtico ejus inſignibus colligit Salomonius. Hinc poſt quæſtum linguarum diverſarum, pluriumque ſcientiarum cenſum comparatum, redux in patriam per omnes honores Polonicos uno ſubnixus meritorum præſidio ad Regnum ſubvectus eſt. Nam primùm Senator, deinde Magnus Equitum in Sarmatia Magiſter, inde Regni totius imperator, Regiæ Præfectus, & Palatinus Cracoviæ ad bellum adversùs Concanos rebelles profectus, his urbes arceſque circiter ſexaginta an. MDCLXVII. victor eripuit. Mox Scytharum, qui Tauricam Cherſoneſum incolunt, ac Præcopenſes vocantur, impetum obſeſſus Podayæ ſuſtinuit, eâque obſidione ſolutâ, hos unà & Concanos Braclarenſi Palatinatu, quem olim oppreſſerant, expulit. Converſus poſt hæc adversùs Turcas Leopolim in Ruſſia obſidentes, hos quidem diſiecit, urbem verò priſtinæ libertati reſtituit; ac biennio poſt, anno nimirum MDCLXXIII. inſignem illam, & poſterorum ſæculis memorandam de iiſdem victoriam retulit ad Coczinum arcem Boriſtheni adſitam, & Orientali Daciæ finitimam, qua cæſa ſunt Turcicæ militiæ pedeſtris octo milia, equeſtris viginti; ſtetitque diu labans fortuna Poloniæ, quæ poſtridie à tanta victoria cum Rex Michael Coributus è vita abiiſſet, Joannem deſtinavit Regiæ Reipublicæ Principem. Quamobrem habitis anno ſequenti Comitiis hunc ſibi Regem dixit, quem averruncum malorum experta fuerat. Nec ille ad ſolium venit antequàm felicitatem, ſoſpitatemque ejus, quod initurus erat, Imperii ſanciret; moratuſque in caſtris per menſes quindecim fractos pluribus præliis Turcas ad pacem coegit conſtitutam Zurovunæ an. MDCLXXV. Ea Rex maximus, uti licuit, quandiuque rei Chriſtianæ utilis fuit, uſus eſt, nempe ad annum uſque MDCLXXXIII. quo Vindobonenſem obſidionem ſoluturus arma iterum expedivit in Turcas. In hos cum expeditis cohortibus alacer, atque improviſus, eoque metuendus magis incurrit: hos vicit, diſpulit ac fugavit, eo prælii præclariſſimi ſemperque laudandi mirandique ſucceſſu, quem noſtra ætate ſummâ lætitiâ orbis Chriſtianus excepit, memorabitque non ſine grata beneficii commendatione Poſteritas. Factum eximium, illuſtre, utpote notiſſimum omnibus, & ab hiſtoria communi breviùs fuſiùſve celebratum, non eſt, ut pluribus inſtituti noſtri ratio proſequatur; & alioqui abundè ad gloriam Regi maximo ſemper erit liberata Metropolis Auſtriæ, expugnata cum Barchamo Strigonia, ſubactum Najaſellum, capta Buda, aſſertaque à barbara captivitate tota penè Pannonia. Vixit deinde pacatè Rex potentiſſimus ad ultimam ſenectutem, quam obitu Chriſtiano complevit anno MDCXCVI. Idibus Junii.

CCXLV. MICHAEL CAPPELLARIUS Bellunenſis, magnæ indolis adoleſcens, ad 1706
ſtudiorum curriculum venit Patavium, verſatuſque, ut ex albo Juriſconſultorum gymna-

gymnaſtico, & quæſtoriis monumentis colligere licet, diu in his ſapientiæ nundinis variarum ſcientiarum opibus plenam juventutem inſtruxit. Ad Muſas peculiarius propenſus, harum ſe deliciis affatim imbuit Profeſſorum conſuetudine uſus, excitusque gloriâ Caroli de Doctoribus Tragicorum vatum facilè principis, cujus Ariſtodemo præluſit non ſine laude. Secutus deinde Petrum Baſadonnam, Senatorem ampliſſimum, literarium Triumvirum, poſtea Cardinalem, tunc Oratorem Senatus Veneti ad ſummum Pontificem Romam venit. In ea urbe, quam jure dixeris undequaque convenientis literaturæ magnum hoſpitium, vir multiplicis eruditionis inter doctiſſimos non minimi nominis fuit, notus Principibus, aulæ gratus, Romanæ Academiæ delicium. Dictus poſt hæc ſecretorum ſuorum particeps a Chriſtinâ Suecorum Reginâ, me Romæ agente, inter præcipuos Academiæ ab illa inſtitutæ non ſemel principem locum tenuit, & in ejuſdem Reginæ laudibus pangendis maximè laboravit. Has dum heroico carmine proſequitur, mole operis initi præpeditus, oblatam literarum humaniorum Exedram, obitu Octavii Ferrarii vacuam Patavii, recuſavit. Chriſtinâ è vivis ereptâ aulæ pertæſus Venetias, indè Bellunum, tandemque Patavium ſeceſſit, ubi mea ætate vir elegantis, urbanæ, doctæ, atque erga eruditos viros propenſæ conſuetudinis, annorum plenus conſenuit, obiitque circa an. MDCCVI. Edita ſunt ejus Carmina, quę dono ipſius habemus.

Chriſtmas, ſeu Chriſtina luſtrata Poema Heroicum lib. XII. quo poeticè ſtylo pereleganti ſed duriuſculo geſta celeberrimæ Reginæ complectitur.

Silvarum, ſeu Poematum Tomi II.

Epigrammatum libri X.

Anecdota plura illi alia tribuit vir nobiliſſimus & amicus noſter eruditiſſimus Pilumnus Pilumnius Canonicus Bellunenſis.

1708 CCXLVI. ALOYSIUS RUZINUS Marci D. Marci Procuratoris & literarii Triumviri filius, Caroli D. Marci Procuratoris, & literarii Triumviri, ac Jo. Antonii Senatoris graviſſimi, patroni mei æternâ mihi memoriâ recolendi, frater, Primicerius Baſilicæ Venetæ D. Marco Sacrę, vir Senatorię prudentię, atque integritatis, priſcę doctrinę, religionis eximię, alumnis annumerandus eſt gymnaſii noſtri, in quo lauream Juriſprudentię retulit, antequam ſedem Bergomenſis Eccleſię conſcenderet anno MDCXCVII. Ut neque ex Purpura ſacra, neque ex multiplici ſcientiarum cenſu glorię ac decori ſit archilycęo Patavino; eſt attamen longè profuſiùs ex inſigni ſanctimonia, qua, venerabilem Cardinalem Barbadicum ęmulatus, pręluxit etiam Joanni Badiiario Cardinali Sanctiſſimo; paremque his celeberrimus opinionem virtutis apud poſteros habet. Quid egerit, quantis laboribus contenderit, divinum cultum, religionis obſequium, caſtitatem morum, pietatis omnifariam ſtudium augere: quàm effuſus in pauperes, quàm comis ac blandus erga miſeros, quam ſecurus ſuorum, commodorum verò ſui gregis ſtudioſus: quanto ardore, quantáque ſedulitate res ſacras, animarumque ſibi commiſſarum ſalutem procuraverit, non eſt, ut hic referamus. Neque enim aut juſtam hiſtoriam, aut Elogia teximus, qui levem quamdam notitiam profitemur virorum ad noſtrum gymnaſium pertinentium. Vitam ejus italicè commentario pereleganti complexus eſt ſcriptor facundus ac diligens Jo. Ambroſius Gallaratus Societatis Jeſu Theologus; inde qui noſſe plenius geſta tanti, tam ſancti Pręſulis expetit, petat, habiturus, quo Aloyſium Ruzinum Epiſcopum Bergomenſem priſcis Patribus, & Epiſcopis ex vera Pręſulum virtute maximis comparet. Vix quinquagenatio major in Eccleſia ſua ad ſuperos abiit anno MDCCVIII. adſtititque animam agenti, ut olim Honoratus Epiſcopus Ambroſio Magno, Joannes Cardinalis Baduarius.

1712 CCXLVII. JO. MARTIUM CERCHIARIUM nobili genere Vicentię natum inter claros alumnos ſuos licet oſtentare Gymnaſio noſtro, cùm eum Vicentia pręclariſſimis Antiquariis annumeret, annumerandumque quilibet putet ab omnibus literatorum hominum cętibus, ſi quę doctiſſimè ſcripſit, extantque apud poſteros, bono publico typis edita proferantur. Joſephi filius, Aloyſii nepos, quem laudat Tomaſinus & elogio dignatur, mitiorum diſciplinarum tyrocinium in patria poſuit ſub Cadenedo, tunc docente Vicentię: inde ad lycęum Patavinum & Juriſprudentię ſacram ſcientiam miſſus, huic una addiſcendę, ac humanioribus literis, ad quas ingenio propendebat, pleniùs & curioſiùs agnoſcendis, perdiſcendiſque mentem, animum, vires omnes impendit. Quinquennio his omnibus dato, cùm Octavii Ferrarii auditor aſſiduus Eloquentiam, pręcipuus admirator Equitis Urſati, Antiquarii clariſſimi, Antiquitatis notitiam, agnoſcendorum Numiſmatum hiſtoriam Patini diſcipulus hauſiſſet: his egregiis opibus dives, & juris utriuſque inſignibus exornatus, rediit in patriam:

patriam, ubi uxore ducta, ex qua filium habuit adhuc ſuperſtitem, dum rei domeſticę curandę, ordinandęque dat operam, vix ſubſecivas horas quęſito ex ſapientia patrimonio concedere potuit: & tamen tam ſedulò has ipſas ſtudioſis laboribus obligavit, ut inde ingentem ſibi cenſum laudis fecerit in republica literaria. Aggreſſus enim ſyllogen lapidum, Inſcriptionum, ac Marmorum, quę tum in urbe Vicentia, tum in agro Vicentino ſunt, mirâ Eruditione opus egregiè refertum, diſtinctumque lucubravit: plurima hactenus ignota ſubjecit lectorum obtutibus, explanavit, annotationibus illuſtravit, locupletavitque propoſitis numiſmatibus. Quin & quę multa peccat Gruterus, expunxit: multa, quę Trinagius & Marzatius mutila, & paſſim tenebris obſita edidere, priſtinę integritati ac nativo nitori reſtituit. Opus adhuc Anecdoton interea publicam Vicentię bibliothecam locupletat Inſcriptum.

Marmora Berica, ſive Urbis & Agri Vicentini Antiquitates expoſita, ſuiſque iconibus exornata.

Horum nos, aliorumque ejus operum, quorum indicem habemus, qui continet, *Miſcellanea Epiſtolarum*, *Epigrammatum*, *Elogiorum*, *Inſcriptionum*, aliaque multa, vidimus nihil prter prfixam Bericis Marmoribus ad lectorem benevolum Epiſtolam, cujus equidem ſtylus & latinus eſt & planè tumidus, ſive perplexam ſyntaxim ſpectes, ſive verba ad exoticam dicendi formam quęſita, quę plerunque hiſtoriam, & prſertim Antiquarii munus non implent, ſed implicant. Hęc tamen ipſa operis laborioſi famam, & ſcriptoris docti nomen non minuunt. Nam Cerchiarium fuiſſe virum eruditiſſimum noſtrę ętatis Scriptores clariſſimi perhibent, Comes Camillus Silveſtrius, Comes Averoldus Brixianus, Mabillonius. Ictus apoplexi deceſſit in patria XII. Kal. April. an. MDCCXII. ętatis LXXI.

C A P U T XLVIII.

Joannes Baduarius Card. Joannes Clericatus. Co. Joannes Baptiſta Trento.

CCXLVIII. JOANNES BADUARIUS Cardinalis vetuſtiſſimâ inter Venetos, & ob numeroſum Venetorum Principum ſtemma nobiliſſimâ familiâ, cui olim 1714
Participatiæ cognomen, exortus, apud Albertum Cremenſem Epiſcopum patruum aliquandiu vixit, mox Canonicus Patavinus, hic pietati ſimul ac bonis artibus operam dedit. Inde Baſilicæ D. Marci Venetæ Primicerius, & ex Primicerio Venetorum Patriarcha, Senatuſconſulto ſacras infulas induit an. MDCLXXXVIII. Vir verè ſanctus, & officii paſtoralis adminiſtrator eximius, virtutum Caroli Borromei, & Gregorii Barbadici religioſiſſimus æmulator, cui admodum debet Eccleſiæ Venetæ diſciplina: Pauperum pater amantiſſimus, cuſtos gregis ſui diligentiſſimus, & divino verè ſpiritu paſſim afflatus. Clemens eum XI. an. MDCCVI. in Senatum Romanæ Purpuræ legit, ac Brixiam tranſtulit, quâ in urbe venerabilis omnibus, ſummoperè laboravit in detegenda, comprimendâque peſſimorum dogmatum lue, quâ populum dolo malo, & hypocriſi funeſtâ corrumpere malus homo tentaverat: hac damnatâ deletâque ad ſuperos abiit anno MDCCXIV. auctυrus Brixienſium Antiſtitum numerum, quorum vitam imitatus in terris apud Superos gloriâ fruitur, in Eccleſia clariſſimus ex opinione non dubia ſanctitatis, conſtantique famâ miraculorum.

CCXLIX. JOANNES CLERICATUS Patavinus, honeſto ſed humillimo, ac pauperrimo genere natus anno MDCXXXIII. ſeptennis inter minores æditυos ad liturgiarum famulatum, in templo cœnobii nobilis S. Petri, à Sanctimonialibus receptus, harum ſumptibus altus eſt. Inde adſumptâ Clericorum veſte, jamque probè grammaticis inſtitutionibus imbutus, precibus Buzzacharenæ virginis, quæ formandis moribus Corneliæ puellæ neptis Georgii Antiſtitis Patavini in eo cœnobii præerat, adſcitus in Scribarum numerum intra ſacram curiam, quod calligraphus optimè ſcriberet, & vivido præſtaret ingenio, Georgii ejuſdem Antiſtitis gratiam ſibi conciliavit. Ab hoc & ſtipendio, & donis adjutus, monitis autem excitus, ad graviores diſciplinas animum appulit, ac præ cæteris Juriſprudentiam amavit, cui aſſiduus in gymnaſio publicarum Prlectionum auditor ita ſe ſedulò addixit, ut intra primum ac vigeſimum ętatis annum, paupertate patrimonii, quod nuſquam erat, probatâ, poſtquàm de more ſeveriora ſubiit examina, iiſque dignum ſe publicâ collegii Patavini munificentiâ compro- 1717

bavit, ad laurum doctrinæ præmium, gratis, uno virtutis eximiæ pretio fuerit admiſ-ſus. Inde ſacris initiatus, ſacroque fiſco procurando tuendoque præpoſitus, curiæ militavit; quam poſt obitum Georgii Cornelii Antiſtitis deſeruit, ſodalemque ſe dedit Nerianorum Patrum, quibus & præſuit. Sed eum, intra pias latebras vacantem ſibi ac religioni, ad rempublicam ſacram gerendam evocavit non diu poſt memoriæ venerabilis, ac ſemper Patavio memorandæ, Gregorius Cardinalis Barbadicus ſucceſſor Cornelii, Pontifex Patavinus; præfecitque ſacris curiæ judicijs. Idem eundem an. MDCLXXIII. Præpoſitum Sanctiſſimæ Trinitatis ad D. Jacobi dixit, & pingui ſacerdotio munivit, tum an. MDCXC. novis in Eccleſiâ commodis auctum, ac Subcollectorem, ut vulgò dicimus, Decimarum Pontificalium creatum, ſibi Vicarium Generalem conſtituit: undè illi & præcipua dignitas in hac ampliſſimâ diœceſi, & cœnobiorum multorum honeſtiſſima patrocinia. Vivo adhuc venerabili Cardinali ab aulâ receſſit, partimque apud Nerianos Sacerdotes, partim domi ſuæ vixit, operibus lucubrandis, ac reſponſis in jure Canonico edendis ſenium doctum & operoſum impendens. Obiit Patavii IV. Kal. Januarii an. MDCCXVII. ætatis LXXXIV. Beneficiorum, quæ à Sanctimonialibus D. Petri receperat memor, vir non doctus tantum, & pius, verùm etiam gratiſſimus, cœnobium illud muneribus ampliſſimis auxit, moriens hæredem inſtituit. In eo conditus eſt cum Elogio, quod quæ diximus brevì complectitur. Scripſit multa doctè & utiliter, quæ ſignat hoc octaſticho neſcio quis non admodum eleganter, obſcurè ſatis.

Inſtruit egregiè Parochum, Plebemque libellis
Octo: tum generis condita geſta refert.
En tibi Collecti Canones, ſtudioſa Iuventus
En ſacra, quò mentem paſcere, Virgo, queas.
Quotque forum cauſas paſſim diſceptat utrunque,
Has triplex Codex, diſcutit, atque ſecat.
Ioannes Aſceticus, Hiſtoricuſque peritus,
Cauſidicus, Iudex, & Canoniſta nitet.

Clariùs: hæc Opera Clericati ſunt edita.

De Sacramentalibus & Sacramentis Baptiſmi, Confirmationis, & Extremæ Unctionis.
De Venerabili Euchariſtiæ Sacramento.
De Sacrificio Miſſæ.
De Sacramento Pœnitentiæ.
De Sacramento Ordinis.
De Sacramento Matrimonii.
Erotemata totius Theologiæ Moralis in Capita CLII.
Via lactea, ſeu Inſtitutiones Juris Canonici, totum Jus Canonicum edocentes libri IV.
De Delictis & Peccatis. De Præcipuis Contractibus Juris Civilis, de Uſuris, & Cenſibus, de Cambiis, de Livellis & aliis Materiis Legalibus, & Caſibus Prudentialibus, diſcretis in Deciſiones CLVIII. quæ omnia Tomo uno continentur.
Diſcordiarum Forenſium Tomi III. complexi Reſponſa in ſex Partes diſtributa; de Rebus Juriſdictionalibus Beneficialibus, Regularibus, Teſtamentariis, Civilibus, & Criminalibus. Opus perutile, ſicut & reliqua ſuperiùs notata, Judicibus, Advocatis, Doctoribus præſertim in Re Canonica & Theologica reſponſuris: quippe non tam Theoreſim, quam praxim, & quidem hac noſtra ætate receptam ſtylo barbaro ſed accurato & docto complectentia.

1717 CCL. Salve fili cariſſime, amicorum optime, diſciplinæ atque inſtitutionis noſtræ pretium ac decus, Comes JOANNES BAPTISTA TRENTO, flos Patavinæ nobilitatis, gymnaſii noſtri gloria brevis quidem, at maxima, fortè etiam poſtrema. Nam ego te propalam ingeniorum phœnicem aſſerui, cum tibi frontem emeritam ſapientiæ lauto redimirem: at phœnix unicus eſt, idemque ultimus, ſi deſinat eſſe mortalis. Te natum in præclariſſima, ditiſſima domo, pulcherrimi corporis, animi ad virtutem facti, excelſæ mentis adoleſcentulum, inter fortunæ blandientis illecebras, non otium delinivit ad vitia, ſed liberalis ad ſcientiarum quæſtum labor excivit; deductumque Bononiam Societatis Jeſu gymnaſiis mancipavit, ubi non deſidem & affectatam ex pædotribarum ineptiis, ſed robuſtam, ſed grandem, ſed parem ingenio tuo inſtitutionem auſpicarêre. Ibi piè primùm vivere didiciſti, mox aptè loqui, elegantiſſimè ſcribere, ſolidiſſimè declamare. Muſarum ibi ſpiritus non humiles, tumidoſve, ſed generoſos, experrectos, & vividos hauſiſti, imbutuſque toto pectore, plenè planèque

Philoſo-

Philoſophicis diſciplinis, regreſſus in patriam es, quam tui admiratione perſtringeres: me ſanè primum, qui te reducem primus diſcipulum habui; brevique expertus quantus eſſes: quàm in vixdum puberi ætate, cultura noſtra non indigeres, te ſodalem, te amicum pro diſcipulo dixi. Hunc ſcilicet nactus es titulum apud doctorum noſtrorum antiſtitem Jo. Baptiſtam Ceſſis, Auditor maximus à me datus maximo Profeſſorum in hoc noſtro gymnaſio. Hoc duce ita percurtiſti latiſſimos Juriſprudentiæ campos, ut omnibus ex toto luſtratis, brevi legum metam attigeris, redditusque mihi ſis iterum, quem in publicâ Patavini collegii luce laudarem, coronarem utriuſque juris adorea, in auguſta ſubſellia collegii ejuſdem adducerem. Quid poſt hæc egeris, quam ſanctè, caſtèque, & ad normam pietatis exactiſſimæ vixeris in floridiſſima juventute, inter commoda claræ ditiſque familiæ, in illuſtri fæcundoque ſobolis numeroſæ conjugio: quo ſtudio ſapientiam amaveris, quibus & diſſertationibus Palladi, & carminibus Muſis eruditè, ingenioſè, caſtigatèque litaveris, dicerem; ni me obitus tui, præmaturi nimis, ò Superi, recordatio ad luctum potiùs, quàm ad deſcribenda, quorum meminiſſe doleo, doleboque dum vixero, provocaret. Robuſta ætate nondum quadraginta tres annos emensâ, integra corporis valetudine, hemiapoplexi tentatus, intra decem dies fortiore percuſſus ictu deceſſit IV. Idus Auguſti an. MDCCXVII. orbamque familiam reliquit in puerili ætate natorum plurium omnibus incommodis orbitatis obnoxiam, & in hac inertia ſæculi perituram, ni eam ad avitam virtutem, & gloriam educaret, & cogeret pluſquam paternus amor, & ut ſecura ſui, ita nepotum ſtudioſa ſedulitas patrui Comitis M. Antonii viri clariſſimi, & ex doctrina, prudentia, gravitate, religione, decorumque omnium conſenſione urbi Patavinæ notiſſimi. Scripſit Jo. Baptiſta ſolutâ vinctâque numeris oratione latinè & italicè plurima, docta, nitida, ingenioſa, & acuta: in quibus, neque nitor & elocutio ingenium, acumen, vimque dicendi robuſtam infringeret, neque ſtyli ſublimitas, ſententiarum pondus, diſſerendique ac ſcribendi novitas arguta, gravis, elaborata ſcriptis dictiſque ſplendorem adimeret. Ea ſuo nomine nunquam paſſus eſt edi; fueruntque pluribus gloriæ, dum nomen Auctoris diſſimulant. Amicorum laudibus ac judicio contentus erat; noſtro præſertim, cui ex unius amoris officio, quamvis ſuæ ſententiæ tenaciſſimus juvenis, conſtantiſſimè plurimum detulit. Extant hæc ejus opuſcula apud hæredes, atque in his opuſculorum ejus poſtremum, abſolutiſſimum, nitidiſſimum, quo Anacreontis Carmina carmine Italico reddidit; vatemque illum in tot Italorum interpretationibus aliud ab eo, quod ipſe Græcè cantaverat, ſæpè dicentem, ſuæ tandem ſententiæ, me ſcilicet in germanam Græci leporis expoſitionem præeunte, reſtituit.

CAPUT XLIX.

Philippus à Turre. Joannes Cornelius Primicerius. Camillus Comes Silveſtrius. Ioſeph Ant. Paganus.

CCLI. PHILIPPI A TURRE Adrienſis Epiſcopi vitam ſcripſit elegantiſſimè clar. 1717
Jacobus Facciolatus, edidit Cenetæ vir eruditiſſimus Hieronymus Abbas Leonius; ex ea poſteri noſcent, quantus inter literatos homines ſæculi noſtri fuerit hic alumnus Patavini gymnaſii. Nos ex propoſito pauca damus, quæ ad qualemcunque tanti viri notitiam ſufficiant poſteris, aliunde quæſituris juſtam ac plenam. Natus eſt nobili apprimè genere apud Carnos in oppido, quod Forum Julii, vel Caſtrum Julienſe Geographis eſt, Auſtria nominatur ab aliis. A prima ætate ingenio ad literas propenſo Rhetoricam & Philoſophiam in patria didicit, quarum penitiorem notitiam ſibi fecit huc veniens ad quæſtum Juriſprudentiæ, in qua ita verſatus eſt, ut unà ſcientiis artibuſque reliquis operam daret, ſedulus auditor Oratoriam, Matheſim, Anatomen profitentium, in primis verò venerandæ antiquitatis curioſiſſimus indagator. Depoſito Legum tyrocinio, probatuſque plena ſacri collegii ſuffragatione, debitam virtuti ac ſapientiæ laurum ad ſuos retulit anno ætatis vigeſimo; nec multos poſt annos patruo Canonico ſuffectus ad eruditionis & antiquitatis, quem Patavii animo conceperat, amorem opes ingenii ac tot ſcientiarum patrimonium, quod ſibi paraverat, cœpit impendere. Verùm expertus conatum ad rem tantam ſine libris eſſe ſupervacaneum, cò ſe recipere decrevit, ubi ſtudiorum ſuorum inſtrumentis carere non poſſet. Ergo Romam profectus an. MDCLXXXVII. ſe totum hiſtoriæ præſertim Eccleſiaſticæ tradidit: moxque inter collegas Academiæ, quam recens virorum doctorum ſapientiſſimum

fœdus inſtituerat in collegio Propagandæ Fidei, receptus eſt eo ipſo tempore, quo me ad idipſum evocabat Romam Joannes Paſtricius Spalatenſis ejuſdem tunc ſœderis anteſignanus, & auſpex, vir clariſſimus, mihi verò ex literarum commercio ſumma familiaritate conjunctus. Sed me aliò trahebant fata, ut certiùs quieſcerem, & ſub auguſto Venetorum imperio, familiæ, poſt excidium patriæ, peſſundatæ, citra ſpei, quam [illegible] Euripides dixit, ludibria conſulerem. At Philippum ex eo Cœtu, fortuna virtuti comes produxit in publicum. Jam enim inter Eruditos & rei Eccleſiaſticæ gnaros clariſſimus Caroli Auguſtini Fabroni, qui tunc Præſes collegii de Propaganda Fide, nunc eſt S. R. E. Cardinalis ampliſſimus, commendatione Joſepho Renato Imperiali Purpurato Principi ad Ferrarienſem Legationem proficiſcenti comes datus eſt, apud quem juriſdictioni contentioſæ pręeſſet, & Auditoris, ut vocant, officio fungeretur. Eo ſexennio functus adeo ſibi patroni munificentiſſimi gratiam emeruit, ut ſecum reductum Romam ad graviſſima Congregationum multarum, queis pręerat, negotia tractanda receperit. Quo tempore, quod ſupererat otii, vir planè polyhiſtor, antiquitatis pernoſcendę ſtudio dabat tantâ in Aula doctrinę gloria, & apud eruditiſſimos viros exiſtimatione, ut horum tunc princeps Cardinalis Noriſius hunc prę cęteris ad intima lucubrationum ſuarum conſilia paſſim adſciſceret. Probavitque Philippus tum eminentiſſimi Scriptoris, tum cœterorum de ſe judicium Syntagmate edito de Monumentis Antii, quo vetuſtatis rudera, in ejus oppidi portu caſu à foſſoribus repetta, doctè ac luculenter illuſtravit; ſibique aditum ad pręmia virtutis aperuit. Nam opuſculum illud & laudavit Jo. Franciſcus Card. Albanus adhuc in Purpura, & Innocentius XII. beneficiis ac muneribus proſecutus eſt, majora daturus, ni ea ſuperi Clementis XI. muniſicentię reſervaſſent. Ab hoc Philippus ad inſulas Adrienſes provectus eſt an. MDCCII., quas, opulentas licet, ipſe diu inopes ſummâ conſtantiâ geſſit. Memini cùm primùm Patavium venit, ac Paſtritii Epiſtolam ad me ſcriptam daturus, apud me Pręſul benigniſſimus fuit, modeſtiſſimè queſtum de onere penſionum, quibus fiebat, ut neque pauperibus, quorum ſalutem Epiſcopus curabat, nec ſibi ſuſtentando ſufficeret, cui neque alendis quidem equis ad currus neceſſitatem ſumptus ſuppeteret. Adeo ſępè inter ſplendidos titulos indigemus. Sed Antiſtitem optimum mors eorum, quorum commodis Adrienſis Eccleſię reditus ſerviebant, ab inopia redemit; potuitque deinceps, qua erat in rebus ſacris procurandis diligentia, pacatiùs vacare muneri ſuo, nec interim à Muſarum conſortio, ſi quando per otium licebat, abſcedere. Has illibato ſeduli paſtoris officio impensè coluit ſemper, nec niſi familiariſſimè verſatus eſt cum Muſarum amicis, quos & pręſentes ſibi ſolatio, & commodo eſſe voluit, & abſentes veneratus, par ab ipſis obſequium, extorſit. Adibat ſępe Patavium, ac magnus hoſpes maximi Pręſulis Georgii Card. Cornelii, tum ſcholaſticis exercitationibus ampliſſimi Seminarii Patavini, tum publicis in archilycęo noſtro Pręlectionibus fruebatur. Vixit in Pontificatu annos quindecim, &, ut creditur, dyſuria ſæpe tentatus, tandemque oppreſſus occubuit Rhodigii V. Kal. Martii an. MDCCXVII. Vir ſanè noſtra ętate ſi quis alius eruditiſſimus, cui meritò anonymus adoleſcens hoc nitidum Epigramma inſcripſit, editum poſt ejus vitam.

Venit ad Elyſios poſtquam Magni Umbra Philippi,
Cœlius illacrimans ſic Rhodiginus ait:
Quis nunc antiquum Patriæ ſervabit honorem,
Doctrinæ erepto qui decus unus erat?
Quis mea ſcripta meis oſtendet Civibus? ille
Si non commendet, quis monumenta leget?
Fama aderat: dixit: Cœli, deſiſte moveri;
Incipient demum nunc tua ſcripta legi.
Cuncta, is dum vixit, poterant monumenta tacere:
Ejus lingua loquens Bibliotheca fuit.

Scripta edita Pręſulis doctiſſimi hęc ſunt.

Syntagma de Monumentis Antii.
Diſſertationes de Tauroboleo.
De Vermibus Corporis humani.
De Solis Eclypſi.
Diſſertatio Apologetica de Annis Imperii M. Aurelii Antonini Eliogabali, & de initio Imperii ac duobus Conſulatibus Juſtini Junioris ad Nummum Annia Fauſtina III. ejuſdem Eliogabali uxoris.

Scripſiſſe

Scripſiſſe eum præterea ad Amicos latinè & Italicè multa non ſoluta modo, ſed etiam ligata oratione, reſtatur laudatus proximè Facciolatus; expectantque ſummo doctorum hominum deſiderio publicam lucem, quæ lucubravit de Militaribus itineribus, quæque ſpectant ad totam controverſiam ab ipſo habitam cum præſtantiſſimo adverſario Joanne Vignolio de Imperio Alexandri Severi.

CCLII. JOANNEM CORNELIUM baſilicæ Venetæ S. Marci Primicerium, Fran- 1718
ciſci S. M. Procuratoris & literarii Triumviri filium, avita nobilitas, affinitate regiâ, numeroſâ Principum ſerie, perpetuâ prope dixerim domi foriſque Purpurâ, & ingentium pace & bello geſtorum faſtis notiſſima, ad majorum gloriam excivisſet, ni eum mitiſſima indoles, pronus ad literas animus, & ab ipſis cunabulis moribus optimis addictum ingenium, piæ pacatæque virtuti conſecraſſent. Hanc à puero dilexit, huic ſe devovit in ipſo pubeſcentis adoleſcentiæ flore, hujus in cenſum retulit caſtiſſimam juventutem. Mores illi ad gravitatem compoſiti, quam omnibus amabilem venerabilem fecerat ſpecies, oris egregii, virgineus pudor, frontis citra ſupercilium majeſtas affabilis, comis citra majeſtatis diſpendium ſapientia. Huic ſe ſacris initiatus diſcipulum dedit, emenſuſque legitimum Juriſprudentiæ curriculum doctrinæ præmia petiit, obtinuitque in Patavino Juriſconſultorum collegio. Illi decretam plena ſuffragatione collegarum adoream nos impoſuimus, lecti auſpices inaugurationis comitatu, ſumptuque propè regio celebratæ; profeſſique palam à nobis non unam in eo legum ſcientiam, ſed in primis exactam ad legum humanarum divinarumque normam vitæ nobilis ſanctimoniam coronari, addidimus vaticinia dignitatum earum, quas illi ſanxerat virtus, augurabaturque votorum communium fides. Feſellit hanc mors præmatura: imò potius ad meliora vocavit Superûm amor, ereptumque terris doctiſſimum juvenem intulit cœlo: undè Corneliæ genti novæ gloriæ genus objiciat; gymnaſticæ juventuti verum atque unicum doctæ pietatis exemplar oſtentet. Ex illo hæc diſcet, qui mores, quæ diſcendi cupido diſcipulum deceat: nam ex illo, quid ſit tribuendum, quanta ſit alacritate ac ſtudio religioni & patriæ ſerviendum, certius, illuſtrius Cornelia gens nuperrimè didicit, cùm frater ejus Andreas tanti fratris inſtructus exemplis, vix admotus gerendæ reipublicæ, utrique floridiſſimam juventutem, opes ampliſſimę domûs, ingenium, ac pluſquàm virilem prudentiam dedicavit, lectuſque Orator ad Pontifices Maximos, in aula ſacræ politiæ magiſtrâ, eo refulſit virtutum omnium ſplendore, quem vir clar. Profeſſorque Medicinæ in hac publica luce gymnaſii noſtri eloquentiſſimus, Homobonus Piſo Muſis celebrandum commiſit hoc Epigrammate,

Te revocat Roma, ſumma cum laude peractum
Corneli, munus, reſtituitque Tuis.
Sed pars magna Tui, Virtutum nempe Tuarum
Reſtat adhuc Romæ, non periturus honor.
Quàm tibi magnanimum pectus novere Quirites,
Quàmque ſit ingenuum, Iuſtitiæque tenax.
Quàm celer Ingenium, dubiis quam tuta gerendis
Dexteritas rebus, quam Tibi larga manus.
Quàm grave conſilium, juveniles inter & annos
Quàm placidi mores cum gravitate pari.
Quàm benè Romanus Veneto ſit ſanguine miſtus.
Quàm benè per venas manet uterque tuas.
His etenim junctis ita viribus uteris, ut ſis
Gloria Romanis, præſidium Venetis.

Obiit Joannes Cornelius An. MDCCXVIII.

CCLIII. Comes CAMILLUS SILVESTRIUS, nobili genere oriundus Rhodigio, 1719
Patavii natus eſt, quò ſe Camillus avus & Alexander pater ejus receperant. Puer Rhodigium à matre deductus humaniore literatura, atque optimis moribus pueritiam & adoleſcentiam excoluit, inde reductus ad natale ſolum Patavii, ſeveriores diſciplinas exhauſit, Juriſprudentiæque operam dedit, cujus Inſulas induit doctor anno ætatis vigeſimo, poſt quem Rhodigium regreſſus, rebus domeſticis prudenter compoſitis, omnibus honoribus patriæ functus eſt ex utilitate publica & gloriâ privata. Expendit

reportatas à Camillo ex utraque laudes, geſtis ac laboribus ejus peculiariùs expoſitis, Rhodigini anonymi, ad Anonymum Patavinum Epiſtola in diariis literatorum Italiæ: (1) inde petenda eſt plenior notitia viri hujus eruditiſſimi, qui ætate noſtra maximè claruit, clarebitque deinceps perenniùs ex luculentiſſimo Italici carminis opere, quo Juvenalem ac Perſium Italorum auribus accomodavit, annotationibus additis, monumentiſque ex arte lapidaria petitis utiliter illuſtravit. Scripſiſſe fertur alia multa, & quidem magno uſui futura literariæ reipublicæ, ſi typis vulgentur: Agrariam nimirum hiſtoriam inſulæ Rhodiginæ: Opus chronologicum triplex, quo primùm exhibet ſeriem annorum ab O. C. ad A. Æræ communis primum; ſecundò ſeriem eandem percurrit ab Excidio Trojæ ad Obitum Conſtantis II; tertiò hæc omnia confert cùm viris in hac annorum ſerie conſpicuis. Scripſit etiam Commentarium in Græcum lapidem, ipſi à Carolo Torta teſtamento legatum. Deceſſit Rhodigii VIII. Idus Januarii an. MDCCXIX. ætatis LXXIV. Publico funere elatus inter lacrimas filiorum & civium tumulatus eſt ad D. Franciſci in ſepulcro majorum. Addidit Epigraphen civitas hoc Elogio, quod ſcriptum ferunt à Juſto Fontanino, tantique civis laudes memoriæ poſterorum commendat.

D. O. M.
Camillo Com. de Silveſtris Patricio
Rhodigino I. V. D. qui literarum ſtudiis
Magni Cœlii veſtigia proximè ſecutus
Patriam, cujus gloriæ commodiſque
ſumma pietate & prudentia conſuluit,
Æreis & Marmoreis priſci Ævi reliquiis undique conquiſitis, ornavit,
ſcriptis etiam, & nominis ſui Fama
clariorem reddidit.
Jo. Paul. Caſilinus } *IIViri.*
Jo. Dom. Roncalius }
Civit. decret.
An. MDCCXIX. Civi Optimo
H. M. PP.

1721 CCLIV. Memorat à nobis in hoc opere ſæpè laudatus Pilumnius inter præclatiſſimos Bellunenſes Joſephum Antonium Paganum, cui aſſerit, tantum amoris ac laudis à patria deberi, quantum ab eo patriæ exempli & claritudinis acceſſit. Tradit Belluni nobiliſſimâ familiâ genitum ſplendorem originis ſtudiis & literis auxiſſe: mirâ ingenii ſedulitate ac ſolertiâ Oratoriam palæſtram emenſum muſis ſe Antenoreis obtuliſſe; quibus cum diutiùs verſatus Philoſophiæ primùm, mox Juriſprudentiæ ſe arcanis aptaverit, jamque maturus harum præmiis, neceſſitate quadam urgente, hæc Bononiæ, annuentibus Triumviris literariis, receperit. Addit, imbutum Græcâ literaturâ, humanioribus probè diſciplinis inſtructum, ornatumque bonis artibus, ac ſcientiis, rarâ felicitate, alacritate mirabili Encyclopædiam fuiſſe profeſſum, quâ probaverit abdita quæque ſecretioris eruditionis arcana pervia fuiſſe, planèque patentia ejus ingenio. Publici juris feciſſe multa ſparſim, quæ paſſim laudentur; præclaram quoque aggreſſum Epitomen, & ſiquidem abſolviſſet, poſteris memorabilem, quâ ex Græcis Scriptoribus geſta Heroum ac Principum complexus, Mythologiam Hiſtoriæ conciliare conatus ſit. Hæc de Pagano tantæ vir fidei, quam ſecuti, veneratique, eum clariſſimis Alumnis gymnaſii noſtri annumerandum exiſtimavimus. Dialecticam Belluni profeſſus in Exedra ſtudio Aloyſii Lollini Pontificis Bellunenſis inſtituta, in ea obiit eo ipſo anno, quo hæc ſcribere cœpimus, MDCCXXI.

(1) Tom. 32. art. 15. n. 1. p. 471. 489.

Finis Libri primi.

HISTO-

HISTORIÆ GYMNASII PATAVINI TOMUS II.

LIBER II.

DE CLARIS ALUMNIS ARTIUM IN GYMNASIO PATAVINO.

CAPUT I.

S. Philippus Benitius. Hugo Atratus Cardinalis. Andreas Anagnius. Benedictus XI. Petrus Raichiſpalt Archiepiſcopus Moguntinus.

I. SANCTUM PHILIPPUM BENITIUM Servorum Ordinis Propagatorem ad Philoſophię laurum Patavina Pallas provexit, eumque inter alumnos ſuos ex ſanctimonia clariſſimos albis adſcribit ſuis, confiſaque monumentis gymnaſticis, quorum publica fides invicta eſt, virum Eccleſię memorandum, fętumque fęcundę ſapientię ſuę in collegio Philoſophorum appenſa ejus imagine veneratur (1). Natus nobili ſtirpe Florentię an. MCCXXXIII. adhuc infans fari potuit (2), ac matrem admonere, ut in Servos Deiparę Virginis mendicantes pecuniam erogaret. Adoleſcens, poſito literarum tyrocinio Pariſiis & hìc, è noſtro gymnaſio prodiit Philoſophus laureatus, ac redux in patriam, ab ipſa Deipara Virgine objecto viſo mirabili, cujus ſpeciem leges in ejus vita, ad nuper inſtitutum Servorum Ordinem evocatus eſt: paruitque devotus ab ipſis cunabulis evocanti doctiſſimus juvenis; ſeque ad pias latebras Montis Senarii recepit: ubi novo ſanctimonię tyrocinio poſito, aſperitate vitę ac divinis meditationibus apoſtolico muneri, quod ſtatim iniit, ſe parem effecit. Inde enim egreſſus univerſam penè Europam, magnamque Aſię partem perluſtraſſe dicitur, verbi Divini pręco nullis laboribus expugnabilis. Ubique & Sodalitia Dei Matris inſtituens, & ſui Ordinis fines miro virtutum omnium exemplo producens. Hinc reluctans licet & invitus eidem Ordini univerſo pręficitur: quo munere ſuſcepto majores ſibi ac ſuis labores indixit. Et horum quidem agmen ad Chriſtianę fidei pręconium immiſit in Scythiam, ipſe pervagatus Italiam, gliſcentes ubique civium diſcordias componere, urbes ad obſequium Romanę Sedis retrahere, paſſim perditiſſimos homines è vitiorum cęno ad pœnitentiam & formidinem irati Numinis revocare. Pręibat hominis undequaque ſanctiſſimi voces virtutum omnium conſtans apud omnes opinio; quippe aſſiduâ rerum divinarum meditatione rapiebatur in extaſim: virginitatis cultor egregius hanc ſibi rigidâ corporis afflictatione, pęniſque ſpontè ſibi decretis cuſtodiebat, dicta, monita fide prodigiorum perpetua confirmabat: charitate verò, ac miſericordia erga omnes, ac pręſertim egenos ita Superis placuit, ut hanc peculiariùs edito inſigni miraculo prędicaverint. Nam ferunt, apud Camilianum agri Senenſis vicum, cùm pauperi nudo petenti ſtipem ſuam ipſe tunicam conceſſiſſet, eâ egenum indutum à morbo, quo laborabat inſanabili, ſtatim convaluiſſe. Addunt, Cardinales, qui Viterbii poſt obitum Clementis IV. diu multumque de ſucceſſore diſceptabant, eo miraculo commotos de eligendo ipſo Philippo deliberaſſe. Id, quod ubi vir Sanctiſſimus comperit, ſe imparem tantæ dignitati ratus, intra montis Tuniati latebras tandiu ſe ſe abdidit, donec Gregorius X. Pontifex dictus eſt. Tunc Philippus in lucem prodiit; impetra- 1285

(1) Vid. Salom. Inſcrip. Pat. (2) Vit. B. Philippi.

imperratâque divinitùs montanis illis balneis, quæ etiamnum ab eo nomen habent, virtute ſanandi morbos, jam ſenex ac mortis præſcius, Tudertum contendit. Ibi in amplexu Servatoris Christi è cruce pendentis, quem librum ſuum appellabat, migravit in cœlum XVIII. Kal. Septembris an. MCCLXXXV. Ejus venerabile lipſanum multis maximiſque miraculis clarum ibidem eſt. Nomen & Tuderti & in Ordine Servorum diu privatim cultum Clemens X. noſtrâ ætate omnibus colendum edixit X. Kal. Menſis ejuſdem.

1287 II. HUGO ATRATUS in priſcis catalogis (1) gymnaſii noſtri primus eſt inter Artium ſtudioſos, qua parte Anglos enumerant, nec alius eſt à celebri hujus nominis & agnominis Cardinali ut verum ſit, quod Pignorius (2) memorat, gymnaſium noſtrum divis ac purpuratis Patribus florere cœpiſſe ab initio, cœleſtibuſque ac terreſtribus precelſa faſtigiis habuiſſe cunabula. Is porrò gente Britannus prodiit ex oppido diœceſis Wigornienſis Evesham, & à parentibus ad pietatem & literas educatus penè omnia Europæ gymnaſia luſtravit, ut ſibi plurium ſcientiarum opes compararet; comparavitque locupletiſſimè eruditionem, & multiplicem & numeris omnibus abſolutam. Præſtitit maximè arte Medicâ, & Mathematicis theoreſibus; ex his autem ſæculo XIII. celeberrimus Romam accitus eſt a Martino IV., ut exortas circa rem Medicam an. MCCLXXX. difficillimas controverſias enodaret. Satisfecitque uberrimè conceptæ de ſe ab omnibus expectationi. Quamobrem ab eodem Pontifice in Senatum Purpuratorum adlectus eſt Presbyter Cardinalis S. Laurentii in Lucina. Obiit peſtilentia ſublatus Romæ an. MCCLXXXVII. Sede vacante poſt obitum Honorii IV. Jacet in ſuo titulo conditus marmoreo tumulo teſte Ciacconio (3). Addit Oldoinus ex Paulo Corteſio (4), claruiſſe virum hunc etiam ex Theologicorum notitiâ, plurimumque contuliſſe ad explicandam genealogiam Christi, ad cujus difficultates extricandas aſſerit, hoc principe viam patuiſſe. Scripſiſſe dicitur *Canones Medicos*, *Problemata ad opus de Febribus Iſaaci Medici*, *Distinctiones predicabiles*, *Poſtillas in Biblia*, & alia quædam.

1302 III. ANDREAS ANAGNIUS Minorita vir ſanctiſſimus ex MS. Antoniano, quo nititur Salomonius (5) poſt Lignamineum (6), & Pignorium (7) Patavii Philoſophiæ ac Theologiæ operam dedit. Nec tamen hic ponitur ut alumnus gymnaſii noſtri ex ſapientiâ clarus, quamvis ex hac etiam eum claruiſſe cum Eynſengrenio non dubitet Oldoinus (8). Notatur hic ut ſanctitatis exemplar eximium, templiſque dignum & aris. Ex illuſtri Comitum Anagniæ familia ad vitam venit Alexandri IV. pronepos & Bonifacii VIII. propinquus, ſeu avunculus, ut aliqui ſcribunt (9). A primâ ætate Minoritarum inſtitutum profeſſus eſt, in eoque rigidiſſimæ ſanctitatis iter ſtatim ingreſſus ita ſupra res omnes mortales animum uni Deo addictum erexit, ut vel Purpureum galerum ſibi, ſive ab Alexandro IV., ſive à Bonifacio VIII. impoſitum modeſtè contempſerit. Wadingo teſte (10), miſſum ad ſe pileum reſpuit, ac remiſit, profeſſus, velle ſe in religioſa humilitate, quam elegerat, permanere, quò faciliùs ſe ſimilem redderet duci ſuo Christo, qui humiliavit ſemetipſum uſque ad mortem, mortem autem Crucis. Feruntur de eo mira quædam; Aviculas quaſdam ipſi ægroto præparatas noluiſſe comedere, impreſſo ſigno Crucis, ac juſſu interpoſito effeciſſe, ut aſſæ ad vitam redirent, deplumes evolarent, mox etiam inter volandum garrirent. Studioſiſſimum fuiſſe Deiparæ Virginis, probat volumen ab eo editum de Partu Virginis. Laudatur à S. Antonino (11): ejuſque ſanctimoniam Maraccius (12) tradit tam certam fuiſſe Bonifacio VIII., ut paſſim aſſereret, dignum à ſe illum judicari, qui ſtatim ab obitu inter Cœlites referretur; idque ſe curaturum, ſi ſuâ ætate eum mori contigiſſet (13). Contigit autem ex plurium ſententia ſub ipſo Bonifacio an. MCCCII., quamvis incertum tempus obitûs ejus Wadingus exiſtimet.

1304 IV. BENEDICTUS XI. Pontif. Max. ante Pontificatum *Nicolaus Boccaſinus* humili loco natus in vico S. Bartholomæi Tarviſii dicitur patre Boccaſio Notario: ex quo patris officio ab humilitate natalium vindicatur ab Oldoino (14). In pueritiâ & adoleſcentiâ præceptis grammaticis imbutus à patruo Boccaſio presbytero parocho Eccleſiæ S. Andreæ; ubi adolevit, Venetiis patriciorum filios mercede docuit. Ordinem deinde PP. Prædicatorum profeſſus à tyrocinio poſito, Patavium miſſus, hic omnium diſciplinarum

(1) apud Salom. in Miſcel. ad Inſcrip. Gymn. (2) ad Molin. de antiq. Patav. Gymn.
(3) in Hugone Atrato Card. (4) ad Ciaccon. T. 2. p. 239. (5) in Collect. & Miſcell. citat.
(6) ad Inſcript. Gymn. (7) d. Epiſt. ad Molinum. (8) d. T. 2. p. 323.
(9) Ciaccon. & Panvin. in Vit. Bonif. VIII. Chriſtoph. Cajet. in Vit. Bonif.
(10) in Annal. & in Script. Ord. Min. (11) P. 3. hiſt. T. 24. c. 9. §. 4. (12) in Biblioth. & Purp. Marian.
(13) Barth. Piſan. lib. 1. Maracc. ibid. Arturus Martyrol. Franciſc. (14) Tom. 2. p. 343. ad Ciaccon.

narum curriculum emenſus eſt frequens auditor in gymnaſio noſtro, quod præ reliquis maximè coluit, quamvis illi eſſet ad illud perincommodus acceſſus quotidiè venienti ex humili tunc & parvo cœnobio extra urbis pomerium ſito, ubi mox ſumptibus publicis S. Auguſtini baſilica ſtetit, quam ipſe poſtea Benedictus jam Pontifex dedicavit. Narrat hæc, multis additis Salomonius (1) ex codice perantiquo cœnobii ſui, quod ad marginem annotationibus plurimis Lignamineus illuſtravit. Jam doctor, nec minus ob ſapientiam, quàm ob vitæ integerrimæ famam clariſſimus in eodem ſacro Sodalium ſuorum Ordine per omnes honorum gradus traductus ad ejuſdem ſupremam præfecturam pervenit in comitiis Argentoratenſibus anno MCCXCVI. Dominicanæ familiæ Generalis, ut dicunt, Magiſter. Nec tamen eo munere, quod apud Prædicatores perpetuum eſt, diu ſupra biennium functus eſt. Nam eum ex vitæ Sanctimoniâ, conſiliorum prudentiâ, & ſcientiarum omnium gloriâ florentem Bonifacius VIII. an. MCCXCIX. Presbyterum Cardinalem S. Sabinæ renunciavit, abſentem, ac tunc ad cenſuram ſui Ordinis Gallias pedibus peragrantem: ubi Romam venit, eum Pontifex idem Oſtienſem Epiſcopum ac Veliternum dixit. Eidem è vivis erepto III. Idus Octobris an. MCCCIII. plenâ Patrum ſuffragatione ſuffectus eſt XII. Kal. Novembris ejuſdem anni. Quàm ſanctè ſacram Rempublicam adminiſtraverit, quàm modeſtè de ſe ſenſerit in ſummâ dignitate, profeſſus, ſe matrem ſuam; quam pauperem ſciret, ornatam cultu veſtium ſplendido minimè cognoſcere; quanta charitate Chriſtianorum paci, Orthodoxorum Principum religioni, populorum univerſim pietati curas Pontificatûs breviſſimi ſolers impenderit, non eſt noſtrum referre, cùm ejus acta notiſſima ſint apud Platinam, Panvinum, Ciacconium, uberrimè autem explicentur ab Oldoino (2). Sedit menſes IX. Deceſſit Peruſiæ an. MCCCIV. ætatis LXIV. Sepultus ibidem in templo Prædicatorum claruiſſe miraculis dicitur.

Scripſit *Commentarium in Pſalmos, & in Matthæi Evangelium, Homilias* multas.

V. PETRUS RAICHSPALT Archiepiſcopus Moguntinus S. R. I. Septemvir anno 1320
MCCLXI. Patavii erat inter minores Comites & Adminiſtros Henrici de S. Petronilla Friſenſis, & Rectoris gymnaſtici Tranſalpini; ejuſque manu Statutum vetus gymnaſii fuiſſe ſcriptum, tum Porcellinus (3), tum Salomonius ex Lignamineo (4), aliiſque priſcis monumentis, teſtantur. Confirmant hoc ipſum, quæ de illo narrant Germani Philologi, colligitque ad ſui theatri ſpectaculum Paulus Freherus (5), ex Melchiore Adamo (6). Treviris ad Moſellam natus eſt parentibus modicis & ad inopiam vergentibus. Puer ob indolem egregiam literarum ſtudiis addictus, cum domi ad ſumptus res non ſufficeret, ludum literarium mutare coactus eſt. Ergo digreſſus ad exteros, poſtquam victum oſtiatim canendo quæſivit aliquandiu: mox operam locavit ut civium liberos in puerilibus diſciplinis informaret. Adſcitus deinde in familiam Henrici de S. Petronilla, Bononiæ primùm, poſtea Patavii Philoſophiæ ac Medicinæ ſedulò ſtuduit; atque etiam humanioribus literis, ex quibus litaſſe dicitur Muſis. Hinc ex his omnibus clarus, magnique nominis Medicus habitus in Germania, Archiatrus apud Comitem Lucemburgenſem Henricum fuit familiaris ejuſdem, & ad ſanctiora conſilia paſſim admiſſus. Hoc mandante an. MCCCV. ad Clementem V. Pictavis tunc agentem profectus eſt, veniam impetraturus, qua mortuo per eos dies Gerardo Comiti ab Epſtain Antiſtiti Moguntino Balduinus Henrici frater ſufficeretur, adoleſcens annorum octodecim. Cum Pontifex petitionem ſacris Canonibus repugnantem rejeciſſet, jamque Legatus Petrus, re infectâ, pararet reditum, contigit, ut Pontifex in difficilem morbum incideret, ex quo Medici penè non de vita ejus deſperarent. Tradunt, in re trepida Petrum ad conſilium evocatum, ſalutaribus remediis feliciter uſum, triduo Clementem ab ægritudine ſontica liberaſſe, qui ſtatim vices ſe dignas de ſe optimè merito retulit: ac Medicum ſuum, quamvis deprecantem, ac recuſantem, adhibitâ Cardinalium ſuffragatione, Archiepiſcopum Moguntinum dixit: ratus virum pium ac religioſum, plenum fidei, ſolertem induſtriâ, moribus autem inſignem, & in ſacris literis verſatiſſimum, uti corporum gnarus curator erat, ita animorum quoque futurum. Datis proinde literis ad clerum, & populum Moguntinum cum pallio eum remiſit Moguntiam, quæ obſequentiſſima ſummi ſacrorum Principis mandatis, hominem cœteroqui ex virtute ac ſapientia Germaniæ notum libentiſſimè recepit. Judicium Pontificis ſuis ipſe pulcherrimis geſtis comprobavit. Nam dignitatem hanc ſacram adminiſtravit ſumma cum laude per annos quindecim, quibus & Henricum Lucemburgenſem patronum olim ſuum ad Imperii faſtigium evexit, eoque ad Bonum Conventum in

Etruria

(1) in Collectaneis ex Lignamin. ad Inſcrip. Gymn. (2) ibid. p. 141. 347. (3) Præfat. ad Matric.
(4) In Collectan. citat. (5) Tom. 1. P. 1. Sect. 2. p. 13. (6) Vit. Medic. German.

Etruria extincto, Ludovico Bavarico favit: ſimul Joannem Lucemburgenſem Henrici filium Regem Bohemiæ Pragæ coronavit. Eccleſiam ſuam donis, ditionibus, legibus, & inſtitutis ſanctiſſimis auxit, ordinavit, ornavit. Obiit Nonis Junij an. MCCCXX. Sepultus in Metropolitana Moguntiæ cum ſtatua hoc leonino Epitaphio ſignatur.

Anno milleno, trecentenoque viceno
Petrum Petra tegit iſtum, quæ Tartara fregit.
De Treviri natus Præſul fuit hic trabeatus
Redditibus, donis, & clenodiis ſibi pronis
Eccleſiam ditat, res auget, crimina vitat,
Hic pius & largus in Conſiliis fuit Argus.
Sceptra dat Henrico Regni, poſt hæc Ludovico
Fert pius, extremo Iohanni regna Bohemo
Hic quinos menſes, annos decatetra repenſos
Quos vigil hic rexit, quem Chriſtus ad Æthera vexit.

CAPUT II.

Albertus Patavinus Aloyſius. Marſilius Patavinus. Caſtellanus Leo. Iacobus de Dondis. Nicolaus a Rido.

1328 VI. ALBERTUM PATAVINUM ex Eremitana familia primum inter illuſtres Theologos nominat Scardeonius (1). Ex eodem Ordine Aloyſium Albertum producit in medium Portinarius (2), quem non ſolùm alumnum gymnaſii noſtri, ſed in eo Profeſſorem Theologiæ publicum aſſerit. Uterque unus, & idem ſit, cumque nuſquam gymnaſtica monumenta Theologiæ Profeſſorem Albertum Eremitanum agnoſcant, is alumnus gymnaſii noſtri, in quo liberales artes, & ex gravioribus diſciplinis unam dumtaxat Philoſophiam didicerit, quippe ut remur ante medium ſæculum XIV. nullus apud nos publicè explanandis arcanis Theologicis inſudaverit. Hinc à Scardeonio Ægidii Romani diſcipulus fuiſſe dicitur, & Eremitarum religioſam familiam maxima cum gloria ſui nominis illuſtraſſe: primus omnium in Academia Pariſienſi Philoſophiam, & Metaphyſicam, denique Theologiam ſummâ diſcipulorum frequentiâ longo tempore fuiſſe profeſſus. Eodem auctore (3), accitus Romam à Summo Pontifice vir continentiſſimæ vitæ, & ut literarum ſtudiis, ita & morum integritate præclarus concionibus, tum ibi, tum per Italiam habendis diu multumque inſudavit, eamque ad populum dicendi, declamandi adverſus vitia, provocandique ad Chriſtianas virtutes rationem, qua Itali utuntur, iniit primus, poſteriſque imitandam uſurpandamque reliquit. Revocatus rurſus in Galliam obiit præmaturam mortem Lutetiæ III. Nonas Aprilis an. MCCCXXVIII. ætatis XLVI. Scripſit ex Scardeonio præter plurimos & quidem aureos multos libros,

Interpretationem cum expoſitione inſigni in Pentateuchum.
In Evangelium Chriſti.
In Epiſtolas Pauli.
In Divinas Sanctorum Patrum Sententias.

Ex Portinario (4).

Commentarium de Paradiſo Terreſtri.
Libros de Prædeſtinatione, & Reprobatione.

Patavii ſtatuam habet inter clariſſimos cives Patavinos in foribus Prætorii ad Septentrionalem plagam, cum titulo præſtantiſſimo literis aureis deſcripto, quæ nimio jam ſitu corruptæ legi non poſſunt.

1330 VII. Conſtat (5), MARSILIUM PATAVINUM impium quidem, ſed doctum hominem, alumnum fuiſſe noſtri gymnaſii, ex quo prodiit omnibus liberalibus diſciplinis inſtructiſſimus unâ exceptâ Theologiâ, ex qua una ſceleratè deſipuit. Nobili Mainardinâ familiâ natus (6), ubi diu acrem ac ſtudioſam indolem, tum humanioribus literis, tum philoſophicis diſceptationibus multum admodum excoluit, Minoritarum Ordini nomen dedit, robuſtâ jam ætate & majoribus inſtitutionibus idoneâ: miſſus in Germaniam Theologiæ ſtuduit, & Ochami ſe ſectæ inter præcipuos addixit, atque ita in

caſtris

(1) lib. 2. Claſſ. 7. p. 147. (2) lib. 7. c. 6. n. 149. (3) loc. cit. (4) ibid.
(5) Lignamin. ad Inſcr. Gymn. Pignor. de Ant. Pat. ad Molin. Salom. in Collect. (6) Scardeon. lib. 2. Claſ. 7. p. 149.

caſtris Nominalium ſtetit, ut præ cœteris ex impietate claruerit. Erat inter Ochami ſectatores Michael Cæſenas, ut ætate & dignitate, quippe Ordini toti præfuerat, ita auctoritate quoque venerabilis. Huic placuit Minorum Ordinem tum ex pluribus, tum ex eo peculiariùs præferre reliquis Ordinibus Sacris, quòd ſummam, atque adeo Apoſtolicam paupertatem profiteretur, eam ſcilicet ipſam, quâ Servatorem Chriſtum, dum in terris ageret, uſum opinabatur, rerum omnium ita ſecuram, ut ne earum quidem, quæ uſu conſumuntur, propietatem ullam habuerit. Hanc ſententiam acriter tutabatur Ochamus, cui ſe ſubſidiarium militem addidit Marſilius, ſtetitque deinceps pro ipſo acriùs cùm illa ſententia damnata eſt à Joanne XXII. decretumque ſanctione Pontificiâ, quod conſtat ex Evangelio, rerum, quas poſſidebat, Chriſtum habuiſſe dominium. Hinc porro in Eccleſiâ lacrimæ, pluriumque tragœdiarum eventus memorandi: Nam cerebroſiores Minoritæ, quorum agmen ducebat Michael, ſtipabat cum aliis Marſilius, tutabatur Ochamus, ad Ludovicum Bavarum transfugêre, atque hujus patrocinio, indictâ habitâque Piſis Pſeudo Synodo Joanni XXII. exautorato ſolemniter Peudo-Pontificem Petrum Corbarienſem ſuffecêre, totoque niſu pro poteſtate Principum adverſus Pontificiam depugnarunt. Notiora ſunt hæc ex hiſtoria communi (1), quàm ut pluribus enunciari deſcribiye mereantur à nobis, qui hæc pauca memoravimus, ut datam occaſionem ſcribendi Marſilio ſignificaremus. Is enim magnus quidem Philoſophus, at non magnus Theologus, dum damnatam ſectariorum ſuorum ſententiam tueri nititur, ut errantibus evenit, ultra fines controverſiæ progreſſus, Evangelicam, quam jactabat, pauperiem omnibus Eccleſiaſticis neceſſariam aſſeruit, negavitque Sacerdotem eſſe poſſe, qui dives eſſet, aut opes convenire obligatis Eccleſiæ; quo dogmate palam præluxit VViclepho in Synodo Conſtantienſi damnando. Mox libro altero edito cauſam profanæ poteſtatis adverſus Eccleſiaſticam dignitatem egit injurioſiùs, ac Ludovico Bavaro ita favit, ut Romanorum Pontificum jura in ditionibus illis, quas poſſident, planè ſubvertere atque in nihilum redigere ſuo ingenio pro viribus conatus ſit. Opus hoc utrunque, quod anno MCCCXXIV. vulgavit, damnavit Eccleſia, nomenque auctoris diris devotum inter Cacodoxos ſcripſit: jacuitque cum auctore ſuo utrunque famoſum quidem ex impietate, at & anecdotum; quod tamen Lutherani ex abditis erutum, blattiſque, queis rodebatur ſubtractum, & elegantiſſimis characteribus in Germania excuſum, in publicam lucem produxere hoc titulo *Defenſor Pacis*, quo bellum atrox indixerat veritati. Adverſus hæc opera ſcripſit Albertus Pighius in libro de Eccleſiaſtica Hierarchia, in quo fatetur quidem, neminem Marſilio diligentiùs, vehementiùs, aut etiam copioſiùs adverſus Pontificiam poteſtatem depugnaſſe, hominem tamen Ariſtotelicum potiùs quam Chriſtianum, & Stagyritæ potiùs, quam Nazareni diſcipulum, in ſophiſmatibus ludere, argutiis magis è penu Nominalium depromptis, quàm rationibus orthodoxis, & Theologicis uti, quas proinde Albertus validiſſimè rejicit, refellit, & conterit. Quid actum poſt hæc ſit de Marſilio, neſcimus; Pignotius & Salomonius eum ad bonam frugem tandem converſum dicunt, ejuraſſe male ſana dogmata, tantique mox habitum ab ipſo Joanne XXII. ut eum ad inſulas Mediolanenſes provexerit: idque Patavinorum monumentorum fide conſtitui non dubitant. At Scardeonius ex iiſdem monumentis, Marſilium quendam Patavinum Archiepiſcopum Mediolanenſem creatum an. MCCCXXVIII. ſcribit, verùm an hic ſit ille, quem hic deſcripſimus, ignoraſſe ſe profitetur, nec ille Archiepiſcopus quid egerit, quâ vitâ, moribuſque uſus fuerit, certo deprehendere ſe potuiſſe dicit: conjicit autem, forte hunc ipſum à Sectariis Pſeudopontificis Corbarienſis, & Imperatore Ludovico Mediolanenſem Archiepiſcopum dictum titulo tenus, malè partam dignitatem Patavii jactitaſſe, donec Corbarienſi exautorato, & in poteſtatem redacto, Cæſenate profligato, exterminatis perduellibus reliquis, Ordo Seraphicus ex toto, quod magna ſui parte ſequebatur, obſequio Romani Pontificis adhæſit. Tunc enim Patavinus Marſilius, apud Orthodoxos famoſus, deteſtabilis omnibus interierit circa an. MCCCXXX. nam quicunque de illo ſcribunt, ultra eum annum vitam illum minimè produxiſſe nos admonent.

VIII. CASTELLANUM BASSIANENSEM, quem Scardeonius ſine nomine cele- 1337
brat (2), & Poetis Patavinis annumerat, quòd ejus ætate Baſſianum Patavinorum
eſſet municipium, Pignorius & reliqui antiquitatis Euganeæ Scriptores (3), Leonem
nominant, atque, tametſi Baſſiani natum, jure Patavinum appellandum eſſe conten-
dunt, quòd Patavii ab infantia vixerit, ſemper gymnaſii Patavini fuerit alumnus, in
albis ut civis Patavinus relatus, & juris urbani particeps. Tradunt gibboſum fuiſſe,
diſtor-

(1) Vid. Continuat. Bar. in Joanne XXII. (2) lib. 2. Claſ. 7. p. 236. (3) de Ant. Scrip. Pat. ad Molinum.

diſtortiſque cruribus pene non claudum utroque poplite, facie tamen pulcherrima, tantæque, cum loqueretur, gratiæ, ut à collo ad verticem Endymion, reliquo corpore Therſites eſſet: fuiſſe porro in pangendis verſibus tum Italicis tum Latinis naturâ ipſâ atque exercitatione expeditum adeo, ut vel dormiens inter ſomniandum faceret verſus. Laudatur à Scardeonio ut vates egregius ex libris duobus, quibus pacis Veneræ titulum indidit; deſcripſitque ſancitam Venetiis pacem inter Fridericum I. Ænobarbum & Alexandrum III. Principe Venetorum Sebaſtiano Ziano, an. MCLXX. Hos libros elegantiſſimi carminis dedicavit Franciſco Dandulo Duci an. MCCCXXVII. nec luſit in illis more Poetarum, ſed veram facti celeberrimi hiſtoriam Muſis tractandam citra fabulas tradidit, verſificator potiùs ex iis dicendus quàm Poeta, quo nomine dignus erit ex illis, quæ multa ipſi tribuit Pignorius (1), Pſalterium Davidicum heroico carmine redditum, multiſque de ſuo ſacris emblematibus intertextum; Juſtinæ virginis certamen cum Maximiano; Martyrium Danielis Martyris & Levitæ Patavini; De morte Cloridis Eclogam, Epigrammata, & Elogia, Epitaphia verſu conſcripta. Obiiſſe creditur an. MCCCXXXVIII.

1350 IX. JACOBUS DE DONDIS patricius Patavinus, à primis annis totum ſe Philoſophicis, Aſtronomicis, & Medicis credidit ſtudiis: claruitque præ cæteris inter Euganeos ex his artibus & ſcientiis. Artem Medicam fecit Clugiæ, deinde Patavii; iſque primus horologii, quod in foro Nobilium eſt, extruendi auctor & inventor fuit. Præfuit quoque fabrilibus operis Antonii Patavini, quo artifice, atque opifice machinæ à Jacobo excogitatæ, horologium hujuſmodi Ubertini Carrarienſis juſſu ac ſumptu confectum eſt an. MCCCXLIV. Inde tum ipſi Jacobo fuit, tum deinceps ejus familiæ cognomen eſt ab horologio. Claret hæc inter præcipuas Patavinas, & nobilitate & opibus, alterâ quidem parte adſcripta patriciis Venetis, alterâ Marchionum titulis glorioſâ. Obiit Jacobus Patavii circa an. MCCCL. Memoratur à Vergerio (2), Scardeonio (3), Portinario (4), cæteriſque Scriptoribus Patavinis. Sepultus extra templum urbis primarium in arca marmorea ſublimi loco poſitâ extra baptiſterium ad meridiem in pariete cum hoc elogio (5).

Ortus eram Patavi Jacobus, terræque rependo
Quod dedit, & calidos cineres brevis occulit urna.
Utilis officio Patriæ, ſat cognitus Orbi:
Ars Medica mihi, cœlumque & ſidera noſſe:
Quò nunc corporeo reſolutus carcere, pergo:
Utraque namque meis manet ars ornata libellis.
Quin procul excelſæ monitus de vertice turris
Tempus, & inſtabiles numero quod colligit horas,
Inventum cognoſce meum, gratiſſime Lector,
Et pacem mihi vel veniam, tacituſque precare.

Scripſit. *De aggregatione Medicamentorum ad omnes ægritudines.*
De Modo conficiendi Salis ex aquis calidis Aponi.
De fluxu & refluxu Maris. Opus poſthumum editum Venetiis Anno MCCCLXXII.

1360 X. NICOLAUM A RIDO virum doctiſſimum patricium Patavinum Medicina, ex qua maximè præſtitit, gymnaſio noſtro debet, unde prodiit laureatus Hippocrates ſæculi ſui, quo glorioſiſſimo titulo eum dignum exiſtimat Pignorius (6). Floruit ſub Carrarienſibus, maximæque fuit auctoritatis apud Ubertinum. Scripſiſſe eum de re medica plura tradit idem Pignorius, quæ perierint, idemque ſcribit Scardeonius (7), apud quem præſtiterit etiam inter Apollineos vates Poeta clariſſimus, multaque decantaverit egregiè, ac præſertim Prognoſtica metrica ægrotantium, ex quibus laudatur à Jacobo Forolivienſi ſive Forlivio (8). Obiiſſe creditur circa an. MCCCLX.

CAPUT

(1) loc. cit. & ex illo Salom. in Miſcell. (2) in Ubertino. (3) lib. 2. Claſ. 9. p. 205.
(4) lib. 7. c. 7. p. 270. 272. (5) Salom. in Scrip. Pat. p. 29. n. 136. (6) de Ant. Scrip. Pat. ad Molinum.
(7) lib. 2. Claſſ. 9. p. 208. (8) in Aphoriſ. Hippo. lib. 1.

C A P U T III.

Ludovicus Donatus Card. Bonaventura de Peraga Card. Joannes & Gabriel de Dondis. Lombardus Sericus. Bartholomæus Uliaricus Card.

XI. LUDOVICUM Cardinalem DONATUM patricium Venetum Purpura provexit 1385
ad pœnam. A puero Minorum Ordinem & inſtitura profeſſus (1) Patavii bonarum artium ac diſciplinarum tyrocinium poſuit, atque Theologiæ doctor, hanc ſuos & Paravii, & Venetiis, & in aliis per Iraliam Minoritarum gymnaſiis docuit. Decurrir deinde honorum ſacrorum curriculum inter ſuos, arque Ordinis ſui Generalis Procurator in curia fuit. Mox Inquiſitor pravitatis hæreticæ, & in Provincia S. Antonii Miniſter, eo munere clarus, in ſchiſmate Occidentali Urbani VI. partes ſecutus eſt adversùs Leonardum de Chifono Miniſtrum Generalem, qui Clementi VII. Pſeudopontifici adhæſerat. Huic exautorato Ludovicus datus Vicarius, mox etiam Generalis Miniſter Ordinis dictus eſt in comitiis Strigonienſibus. Eum ob viræ ſeveritatem, & inſignem doctrinam Eccleſiæ venerabilem Urbanus Cardinalem S. Marci renunciavit ex probabiliore ſententiâ, quam recipit Oldoinus (2) an. MCCCLXXIX. Verùm apud eundem Urbanum poſtea in ſuſpicione fuit, quaſi cum Cardinalibus S. Cyriaci & Rearino Legatus ad Carolum III. Regem Neapolitanum miſſus, adversùs Pontificem conjuraſſet. Hinc Luceriæ an. MCCCLXXXV. carceri mancipatus cum ſociis, tanquam reus læſæ Majeſtatis, crudeliter tortus, mulrarуſque honoribus omnibus, in Januenſi navigatione cum Sociis culeo inſutus demerſus periit menſe Decembri ejuſdem anni. Ferunt affectum aſperrimis cruciatibus nihil aliud pronunciaſſe, niſi illud Petri Apoſtoli: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut ſequamur veſtigia ejus* (3).

XII. BONAVENTURA BADUARIUS de Peraga, aliàs Peraghinus Cardinalis nobi- 1386
li genere Baduariorum de Peraga natus Patavii an. MCCCXXXII. (4) adoleſcens Eremitarum S. Auguſtini ſacrum Inſtitutum profeſſus in patrio gymnaſio omnium diſciplinarum opibus animum diligenter inſtruxit, doctorque Theologus cœpit ſummo cum plauſu & utilitate populorum conciones habere (5). Docuit deinde Theologiam Bononiæ, commendatuſque virtutum egregiis meritis, quæ fama ſapientiæ multum admodum augebat, per omnes Ordinis ſui gradus ad ſupremam in eo digniratem Veronæ in comitiis Generalibus provectus eſt an. MCCCLXXVII., nec diu poſt ab Urbano VI. in Senatum adſcitus Cardinalis S. Cæciliæ fuit circa an. MCCCLXXIX., id quod latè probat contra Pavinium & Ciacconium Oldoinus (6). Vir fuit doctiſſimus indeque Franciſco Petrarchæ carus, in cujus funere Orationem habuit; miræ quoque probitatis Præſul, ex hac Caterinæ Senenſi maximè placuit, ut conſtat ex ejus Epiſtolis. Pontifici verò ex Theologicâ doctrinâ tanti habitus, ut ſcholarum Theologicarum per Italiam cenſuram illi commiſerit, qua integerrimè functus eſt quoad vixit. Nunquam Româ diſceſſit poſt Purpuram, quam ſuo ſanguine imbuit ſagittâ transfixus dum à Ponte Ælio ad Vaticanam Baſilicam eques in mula, ut ea ferebant tempora, proficiſcebatur. Cædis auctorem ſuſpicio fecit Franciſcum Carrarienſem juniorem, quòd vir integerrimus & libertatis Eccleſiaſticæ tutor acerrimus, hanc lædentibus iniquiſſimis poſtulatis ejus, quanta potuit animi conſtantiâ, & vi rationis obſtitiſſet. Id & Scardeonius refert (7), & aſſerit Paulus Corteſius (8). Emortualis annus incertus eſt, aliis alium diverſiſſimè deſignantibus: Oldoinus annum ſignat MCCCLXXXVII. (9) probatque inſcriptione tumuli, quæ in templo S. Tryphonis, nunc S. Auguſtini oſſibus ejus impoſita eſt ad ſacellum S. Nicolai Tolentinatis. Martyris titulo eum dignantur multi, Eremitani omnes (10), quorum in Chronicis Beatis adſcribitur. Scripſit.

Comment. In libros Sententiarum.
In Jacobum & Joannem.
Meditationes in Vitam Chriſti D. N.
Speculum Mariæ.
Vitas Sanctorum.
Ternarium de regimine Conſcientiæ.

(1) ex Monument. Antonian. Cœnobii Salum. in Miſcell. (2) ad Ciacc. Tom. 2. p. 643.
(3) 1. Petri 2. V. 21. [4] Pignor. de Ant. Script. Pat. ad Molin. (5) Scardeon. Claſſ. 7. lib. 2. p. 148.
(6) Tom. 2. p. 659. [7] ibid. p. 249. [8] lib. 1. de Cardinal. (9) ibid.
(10) in Indice SS. Eremit.

Breviloquium deducens effectus omnes à primâ Cauſâ.

Sermones de Tempore, de Sanctis, & ad Clerum.

Orationem in funere Franciſci Petrarchæ rudem & impolitam, facundam tamen & copioſam.

1380 XIII. JOANNES DE DONDIS ab Horologio (1) Jacobi filius, origine & nobili-
1388 tate Patavinus, Clugiæ tamen, ubi Medicinam, ut diximus, pater faciebat, natus eſt, in patrio deinde Lycæo educatus, ex eo prodiit Philoſophus maximus, Orator eloquentiſſimus, præſtantiſſimus Medicus. Archiatrus ſuâ ætate celeberrimus vixit in patriâ, ibidemque mortuus eſt an. MCCCLXXX. V. Kal. Octobris, ut colligo ex inſcriptione arcæ marmoreæ ad baptiſterium templi majoris (2), quam ſatis barbaram & mendoſam dabit Salomonius. Octavo poſt anno ibidem ſepultus eſt Joannis frater (3), & Jacobi filius Gabriel Medicus non minor utroque, fortè major, quippe claruit ex hac arte non ſolùm apud Euganeos, verùm etiam per totam Italiam. Natus & ipſe Clugiæ, Venetias autem magnis præmiis accerſitus praxim feliciſſimè profeſſus eſt, easque ſibi ac poſteris divitias comparavit, quas ante eum Medicorum nemo. Venetiis obiit, relatuſque Patavium jacet apud fratrem, & patrem cum epitaphio (4). Scripſit omnino nihil, cùm frater ejus Joannes plurima ſcripſerit, quorum hæc maximè memorantur, Volumina III. Planetarii, quibus docuit rationem conſtruendi mirabilis inſtrumenti, quod motus Planetarum cœleſtes ſpectantibus proderet. De Balneis Patavinis librum unum, alterum de cauſis caliditatis aquarum Aponenſium, tertium de naturâ earundem. Ex his ſummus Philoſophus habitus eſt, dictuſque Ariſtotelis anima. Ex iiſdem amiciſſimus fuit Franciſco Petrarchæ, quamvis erga Medicos non admodum æquo, laudaturque ſæpe in ejus epiſtolis, quarum apocopas aliquot leges apud Scardeonium. Hoc teſte, Petrarcha tabulis extremis Joanni aureos quinquaginta legavit, ut annulum emeret ad amici legantis memoriam geſtandum ſemper in digito. Vide ad hoc Tomaſinum (5).

1390 XIV. LOMBARDI SERICI, quem alii cum Pignotio Lombardum *Amulium* vocant (6), ex lapide poſito ad S. Luciæ Patavii revocat Scardeonius ad an. MCDXC. (7) Sed certè vel error graphicus in illo marmore ſit, vel marmor illud Serico poſitum poſt annos ab obitu centum, ejus, qui marmor illud inſcripſit, pinguiſſimam ignorantiam indicet, cùm eo anno ſignari obitus ejus minimè poſſit, qui ibi auditor Petrarchæ palam aſſeritur. Deceſſerit ergo an. MCCCXC. ſive Venetiis, ſive Patavii, nam de hoc dubitatur, tranſlatuſque Patavium ibi jacet, ubi habet hoc elegans epigramma ad Deiparam Virginem,

O' Regina lucis alma Syderum,
Intacta parens puerpera Virgo,
Salutiſque noſtræ digna propago
Parce; jam parce mitiſſima, quæſo
Hanc animam Chriſto redde benigna,
Et miſerere canentis Oſanna.
Hoc Epigramma, lector, implorat
Huic ſaxo, ut commodes animum,
Utroque Deum ignoſcere Chriſtum
Roges, Vatis Petrarchæ auditori
Lombardo Patavino, qui diem ſuum
Clauſit extremum
MCCCXC. XI. Auguſti

Vir fuit hic ab adoleſcentia humanioribus ac ſeverioribus diſciplinis omnibus in patrio gymnaſio peregregiè ad ſapientiam ſubactus (8), atque, ut omnes Patavini Scriptores aſſerunt, undequaque doctiſſimus. Conjugium exoſus, nullis amicorum hortatibus ad illud adduci potuit (9): quippe ajebat inſanum eſſe, qui, cùm poſſet ſibi ipſi vacare,

(1) Scard. lib. 2. Claſſ. 9. p. 206. Portin. lib. 7. c. 7. p. 270. 271. (2) Salom. Inſcrip. Pat. p. 26. n. 137.
(3) Scardeon. ibid. p. 207. (4) Salom. ibid. n. 137. (5) in Petrarc. Rediv. c. 15. p. 84. 85. c. 23. p. 154.
(6) de Ant. Script. Pat. ad Molinum. [7] lib. 2. Claſſ. 9. p. 234. [8] Pignor. ibid.
(9) Scard. ibid. p. 233.

vacare, in tricas ſe curarum indueret, cuſtodiam obiturus uxoris, natorumque, atque familiæ. Vixit ergo quoad vixit in cœlibatu caſtiſſimè, Franciſci Petrarchæ, cujus auditor fuit, collega ſtudiorum intimus, & acer ſolitudinis ipſius æmulator. Ajebat Muſarum ac Palladis initia capi in urbibus poſſe, magniſque gymnaſiis, hæc tamen non niſi procul ab urbibus abſolvi conſummarique, in ſilentio ac ſeceſſu. Hinc in agro plerunque erat, abhorrebatque adeo à civitatum frequentiâ, ut quamvis ſummo deſiderio teneretur Petrarchæ viſendi, qui tunc in Canonicorum collegium adſcitus Patavii degebat, metu tamen reviſendæ urbis ab ejus adſpectu ſe contineret: id quod datâ etiam Epiſtolâ ſignificavit ipſi Petrarchæ, a quo hanc ipſam ob cauſam commendatur, & ut in propoſito conſtanter permaneat, pluribus admonetur. Plures enim ad hunc Petrarcha Epiſtolas dedit, ex quibus mutua inter hos viros clariſſimos benevolentia, mutua charitas, amor ac fides deſcribitur graphicè. Hanc, qui primus è vivis exceſſit, Petrarcha profeſſus eſt erga Sericum amicum, quem teſtamento in ſecundis hæredibus ſcripſit: reſponditque Lombardus, ut potuit, cùm ſuperſtes amico ac præceptori Epitomen ejus de viris illuſtribus proſecutus eſt elegantiſſimo ſupplemento, quod Franciſco Carrarienſi ſeniori eloquentiſſimè dedicavit. Hoc ejus opuſculorum, quæ extant, poſtremum fuerit, nam ante conſcripſerat librum de Memorandis Mulieribus eruditum ad Magdalenam Scroviniam matronam ejus ætatis virtute, doctrinâ; & pulcritudine celeberrimam. Petrarcha vivo ediderat Dialogum de Vitâ Solitariâ, quem ſummopere, multiſque ipſe Petrarcha commendat (1). Lucubraſſe eum alia quoque quamplurima veriſimila eſt, aſſeruntque poſt Scardeonium, & Pignorium Patavini Scriptores omnes, quorum fidei adſtipulamur, contenti his interim, quæ retulimus, & quorum fragmenta aliqua vidimus.

XV. BARTHOLOMÆUS ULIARIUS honeſtâ gente Patavii natus (2), poſtquam 1396
capacem animum & avidiſſimum ſcientiarum imbuit Philoſophicis in patrio gymnaſio diſciplinis, Ordini Minorum, quos Cœnobitas appellant, nomen dedit, in quo tum Theologiæ, tum ſacrarum Paginarum myſteriis initiatus, utranque facultatem in exedris publicis extra patriam profeſſus eſt, ac magiſter creatus eximium ingenii, ac facundiæ ſpecimen, & in concionibus, & in diſputationibus præbuit. Evectus gradatim ad apicem dignitatum inter ſuos, peregrinationes crebras ſuſcepit, ut verbum Dei & Eccleſiæ dogmata ubique ſedulò propagaret. Fuiſſe illum deinde Anconitanum Epiſcopum ſcribit Ughellus (3), quam dignitatem ejus paſſim Scriptores Patavini diſſimulant; & forte Anconæ perparum ſederit, inde pulſus ſæviente Romano ſchiſmate, quo tunc Præſulum jura plerunque perturbabantur. Anconâ ergo Florentiam ſeceſſerit, atque ibi per annos aliquot, quà docendo, quà concionando ſuis adeo moribus ac virtutibus animos civium in ſui benevolentiam attraxit, ut Epiſcopo Florentino defuncto, unanimi omnium conſenſu, ſuffectus fuerit. Probavit electum non Bonifacius VIII., quòd lapſus memoriâ Scardeonius tradit (4), ſed Urbanus VI. ſiquidem poſt biennium, quod omnes tradunt, à Bonifacio IX. ad purpuram Romanam adſumptus eſt, & Presbyter Cardinalis S. Pudentianæ ad Titulum Paſtoris an. MCCCLXXXIX. quo ipſe Bonifacius init Pontificatum. Vide ad has Epochas, quæ diligentiùs exequitur Oldoinus (5). Claruit in oſtro Romano Bartholomæus propè ſeptennio, quo exacto, dum Legatus à latere proficiſcitur in Siciliam, apud Cœnobitas ſuos Cajetæ ſenio confectus occubuit, an. MCCCXCVI. Conditus ibi eſt cum hoc Elogio (6).

Unica Cardinei fueras qui gloria cœtus,
Hæc te petra tegit Patavinis mœnibus ortum.
Almas inter nunc animas lætaris Olympo.
Miſſus eras partes demum Legatus ad iſtas,
Quum tibi vivaces mors invida ſuſtulit annos.
Unanimis quidquid condignum munere famæ
Scire datur, ſtudiis ſublimi mente locaſti.
Longa tuum meritis clarum per ſæcula nomen
Non adimet ſuprema dies: tuaque inclyta virtus
Nunquam morte cadens, omni memorabitur ævo:

(1) Epiſt. 4. lib. 14. Senilium. (2) Pignor. de Ant. Scrip. Pat. ad Molinum Scardeon. & alii.
(3) Tom. 3. p. 159. n. 51. (4) lib. 2. claſſ. 6. p. 148. (5) ad Ciacc. Tom. 2. p. 707.
(6) apud Scardeon. ibid.

Hic jacet reverendiſſimus in Chriſto pater Dom. Bartholomæus de Uliariis de Padua Dei gratia S. Pudentianæ presbyter Cardinalis Paduanus, regni Siciliæ Apoſtolicæ Sedis legatus, qui obiit XVI. Aprilis MCCCXCVI. Indict. IV.

CAPUT IV.

Marſilius à S. Sophia. Alexander V. P. M. Galeatius Gatarius. Emmanuel Chryſoloras.

1404 XVI. DE MARSILIO A S. SOPHIA diximus aliqua, ubi de Claris Artium Profeſſoribus ex hac familia, ex operis noſtri propoſito agentes ejus incidit obiter mentio. Nunc de eo inter alumnos gymnaſii noſtri clariſſimo ea damus, quæ peculiariùs annotat Scardeonius (1). *Marſilius*, inquit, *Nicolai filius inter omnes ſuæ ætatis homines peritiâ rei Medicæ, & Philoſophiæ, & in omni ſcientiarum genere ante alios claruit, ſuâque luce Patavium, & omnem medicam diſciplinam illuſtravit. Scripſit enim multa de ſanandis ægritudinibus ſcitu digniſſima. Compoſuit Commentarios ſuper Aphoriſmos admirabili ſubtilitate, qui ubique leguntur. Fuit is apud latinos alter ſanè à Petro Apono, ut memoratus à nobis Tortellius refert, Medicinæ illuſtrator eximius. Hujus ſcripta partim habentur impreſſa, & jam publicè divulgata, partim, ut audio, nondum edita. Extat Opus Medicinæ practicæ in novum Tractatum libri Rhaſis ad Almanſorem. De curatione morborum particularium, nunc primùm Haganoæ impreſſum, anno Domini MDXXXIII. Is ob illuſtre Sapientiæ nomen anno Domini MCCCCII. Marignanum accitus, Galeatium Ducem Mediolani extremum fermè ſpiritum trahentem, ut fertur, per aliquot dies ultra præſcriptum, ſi fas ita credere, in vita detinuit. Verùm & ipſe haud multo poſt Bononiæ, dum ibi Medicam diſciplinam publicè doceret, defunctus eſt, & ibidem ſepultus in æde D. Franciſci cum hoc eleganti Epitaphio.*

Vivat ut æternùm vitæ jam munere functus,
Hoc præſtat Virtus, quæ facit una Deos.
Sic invecta polo ſuperâ mens regnat in aula,
Undique per terras inclyta fama viget.
Quæ mortalis erat, jacet hìc pars condita, magnì
Exuvias animi colligit urna brevis.
Quàmquè procul latè reſonet ſua gloria, ſaxum
Accipit exiguis nomina magna notis.
Marſilius Patavus, cui dat gens alma Sophia,
Bononiæ Medicus, dum docet, occubuit.

Id autem evenit ei, ut extra patriam moreretur, quod Carrarienſi Principi parum gratus haberetur, quaſi ſecutus partes Galeatii Principis Mediolanenſis, cùm Patavii imperaret. Atqui poſtea ex pacis fœdere, patriæ redditus, tutiùs tamen deinceps ſibi Bononiæ, quàm Patavii liberales ſcientias profiteri viſum fuit. Hujus meminit Baldus in ſecundo Volumine conſilio CXLVII. Hæc ipſis Scardeonii verbis dedimus, ut viri tanti nomen in alumnos noſtros hoc teſtimonio perennet ad poſteros certiùs, utque teſtimonium ipſum à mendis expurgaremus, queis ex incuriâ typographi pluribus deturpatur.

1410 XVII. ALEXANDRUM V. Pontificem Max. alumnum fuiſſe gymnaſii noſtri, certiſſimum eſt ex iis, quæ Pignorius (2) Dominico Molino Senatori ampliſſimo ſcribit, confirmatque propoſitis monumentis Antoniani cœnobii. Ea ipſa producit ad teſtimonium Salomonius latiùs adjectis aliis (3), quorum fides eſt in Chronico cœnobii ſui, in Collectaneis Lignaminei, & Cortellerii libro de Familiis. Denique in catalogo quodam indulgentiarum, quas Antonianæ baſilicæ conceduntur ab Alexandro V. & Sixto IV. quos Patavii ſtuduiſſe, atque ex noſtro gymnaſio doctores Theologos prodiiſſe, auctor catalo[illegible] ut certum ponit, cenſetque viros gratiſſimos memores quæſitatum hìc opum,

(1) lib. 2. Claſſ. 9. p. 103. (2) Ep. 2. de Antiq. Urb. Patav. [illegible]
(3) in Miſcell. & Collect. ad Inſcript. Gymn.

hìc opum, quibus ad ſacratum verticem dignitatum ſibi viam ſtravere, has beneficiis ſacris liberaliter compenſaſſe. Quod tot Scriptorum auctoritas ſancit, ſanctum nobis itidem eſto; glorieturque hoc etiam tantæ virtutis ac dignitatis alumno Antenoreum lycæum, cujus poſteritati notitiam ejus breviſſimè damus. De patria Alexandri V., ante Pontificatum PETRI PHILARGI, Biographi certant (1), & adhuc ſub judice lis eſt. Alii eum Novarienſem exiſtimant, natum in vico Churſinallo, filium Dominorum ejuſdem vici, confirmantque hoc ipſum verſibus quibuſdam rudibus & impolitis, qui hoc ipſum enunciant. Alii Bononienſem illum affirmant, ipſumque Alexandrum teſtem dant in quodam Joannis Canonici Chronico propalam aſſerentem inter poſtremos vitæ fugientis anhelitus, ſe civem eſſe Bononienſem, humili gente progenitum in urbis regione, quæ Saragoſia dicitur, puerum placuiſſe Minoritæ cuidam Fraterculo (cujus loco ſunt qui Mercatorem Venetum ſubſtituunt): ab hoc Venetias deductum, inde cum ipſo Pariſios migraſſe, ubi fuerit *Magiſtratus*; deinde profectum Candiam diu vixiſſe, dictum idcirco de Candia. At Ticinenſes, quibus Oldoinus favet non admodum ſolidis rationibus (2), quas hic refellere nullum operæ pretium eſt, eum ſibi vindicant, ajuntque, Candiæ natum in oppido agri Ticinenſis ex gente Philarga, quæ nunc etiam civium ibi juribus gaudeat. Sed has de patria Petri Philargi ſententias in ſolidum rejicit communis opinio, quæ hunc Pontificem Græcum hominem, & Cretenſem pronunciat, natum in Creta inſula & urbe ejus Metropoli Chandace, quæ nunc Candia eſt, honeſtâ ſanè, ſed paupere familiâ, quæ etiamnum poſt ſubactam à Turcis inſulam extat, & alicubi fortaſſis mendicat. Ibi parentibus peſtilentiâ, quæ ſub an. MCCCXXX. illam urbem penè non omnino delevit, ereptis, egenus puer dicitur mendicaſſe, donec eum Minorita quidam Venetus, indole pueri delectatus, piè alendum educandumque ſuſcepit, mox veſte cuculloque religioſo contectum, primum inter laicos vivere juſſit, deinde in altiorem ordinem ſuæ Societatis evectum, literis addiſcendis admovit, deductumque Venetias, atque inde Patavium, hic ſeverioribus diſciplinis imbuendum curavit. Confirmantur hæc latè à Salomonio (3), qui concivem ſuum, à relatis opinionibus, multis congeſtis, ex tabulario Cretenſi, quod extat Venetiis, patriæ noſtræ vindicatum reſtituit opinioni communi, quam præ cæteris probat Ughellus (4). Unàque rem conficit propoſitâ inſcriptione vetuſtiſſimâ, quæ in cœnobió Cretenſi D. Franciſci extabat etiam mea ætate, exhibeturque ex eodem archivo, quà ejuſdem cœnobii chartophylacium continet. In ea hæc literis longobardicis memorabantur.

Petrus Philargus, Petrus de Candia Cretenſis,
Doctor Paduæ, Pariſiis Magiſter, Epiſcopus
Mediolani, Alexander V. Papa Piſis, in hoc
Conventu converſus, ex gratia Clericus
Anno Dñi MCCCLIIIIIII.

Utrunque hæc epigraphe probat, eum & Cretenſem fuiſſe, non Italum, non Hiſpanum (qualem illum etiam nonnulli ex Candia, quæ Gandia in Regno Valentino urbecula eſt, arbitrati ſunt ineptiſſimè) & inter alumnos gymnaſii noſtri eſſe recenſendum. Patavii proinde ſeverioribus diſciplinis imbutus, inde doctor Pariſios venerit, receptuſque libenter inter Magiſtros, atque in album Pariſinorum doctorum cooptatus publicè docuit, ſcripſitque doctiſſimè. Extant in Bibliotheca D. Marci (5) commentarii ejus in primum, & ſecundum Sententiarum. Videtur autem, poſtquam publicè Theologos profeſſus eſt, concionibus habendis laborem utiliùs impendiſſe; nam extat itidem in eadem bibliotheca volumen inſcriptum: *F. Petri de Ordine Minorum Sermonarius*, atque incipit à prima Dominica Adventus. Ex his potiùs, quam ex Theologicis explanationibus clarior ad dignitates ſacras ſenſim irrepſerit, quas plures feliciter geſſit, ut inde ad Summam aſcenderet. Ferunt enim eum primùm quidem fuiſſe Brixienſem Antiſtitem, deinde Placentinum, tum Vicentiæ Sacris præfuiſſe, mox renunciatum Gradenſem Patriarcham, inde ad inſulas Novarienſes translatum anno MCCCLXXXVIII., quo tempore privilegia ejus Eccleſiæ iterum ſancienda curaverit à Vincislao Cæſare, ex quibus S. R. I. Princeps renunciatus, inſignia Principatûs detulit ſolemni pompâ in foro S. Ambroſii Mediolani Joanni Galeatio Mediolani &

(1) V. Oldoin. ad Ciacc. Tom. 2. p. 781. 782. (2) ibid. d. p. 782. (3) loc. cit.
(4) Tom. 4. p. 253. n. 108. (5) in Catalogo p. 24. Scamno ſub n. 10. (6) Oldoin. ibid. p. 1721.

Inſubriæ Duci an. MCDII. unà que Mediolanenſis Archiepiſcopus dictus eſt, tantâ apud Principem illum gratiâ, ut eo palam arbitro conſiliorum ſuorum omnium uſus ſit, eundemque moriens tutorem filiorum ſuorum teſtamento reliquerit; nec diu poſt ab Innocentio VII. vocatus ad Purpuram an. MCDIV. Presbyter Cardinalis SS. XII. Apoſtolorum fuit, pertexitque ſanctiſſimè, quemadmodum reliquas, quibus ante præfuerat, ita Mediolanenſem ſanctiſſimè Eccleſiam adminiſtrare, atque opes ejus ampliſſimas non in arcam privatam ac ſuam vertere, ſed in pauperes, templorum ornatum, piorumque, ac doctorum hominum uſum erogare. Innocentio è vivis erepto, ſuffectus Gregorius XII. quod jurejurando promiſerat, differebat, nec agebat, ut ſchiſma deſineret, oblatâ æmulis abdicatione ſuâ: quamobrem cùm inter Cardinales in parte ſaniore Purpurati Senatûs actum eſſet de illo diſſidio, quo peſſum dabatur Eccleſia, re factoque abolendo, Petrus inter primos auctor cæteris fuit, ut judicio OEcumenicæ Synodi committeretur tum abrogatio incertorum Pontificum, tum nova unius inauguratio, qui non dubius paſtor univerſæ Eccleſiæ præeſſet. Ergo exarſit in eum Gregorii atrox ira, ſed impotens; quippe quem hanc ob cauſam è ſede Mediolanenſi dejecit, non diu poſt ipſe à Synodo Piſana Pontificiâ dignitate dejectus, Pontificem vidit electum Piſis an. MCDIX., & ab univerſo Chriſtianorum cœtu receptum: Brevi tamen ſedit in ſolio Petri: quo tempore, pro poteſtate in omnes munificus, quòd non plura conferret, facetè ſe conſueverat excuſare, profeſſus, ſe divitem Epiſcopum fuiſſe, Cardinalem pauperem, mendicum Pontificem. Inter lacrymas bonorum omnium, omnes extremis verbis ad pacem atque concordiam hortatus, obiit Bononiæ Pontificatûs menſe octavo, qui fuit Majus an. MCDX., non ſine ſuſpicione veneni propinati per Baltaſſarem Coſſam Cardinalem, & Bononienſem Legatum, mox Pontificem Joannem ordine XXIII.

1415 XVIII. GALEATIUS GATARIUS Patavinus & patrii alumnus gymnaſii, vir probus, inquit Scardeonius (1), Orator magnus, & ex legationibus, queis functus eſt cum laude, clarus, ſed eo clarior, quòd admiſſus ad ſanctiora conſilia, & particeps ſecretorum omnium Principis ſui Franciſci junioris Carrarienſis non, ut mos habet, hujus ingenio indulſit, aut placitis adulatus eſt, ſed recti, & utilis inſpector providus, illi ſemper auctor fuit, ut Venetorum imperata faceret, ſumpta inconſultè, ac temerè arma deponeret, pacis conditiones acciperet, otiumque mallet, grave licet, ac durum, quàm periculoſiſſimum bellum, ad quod oblato auro coram impellebatur à divite, ſed notæ infimæ homine Lamorato Bellipario. Vixit ad an. MCDXV. ex annotatis in ejus exemplari, quod vidimus conceſſum à Salomonio, qui de eo ſcribit in inſcriptionibus Patavinis (2). Scripſit Italicè ſummâ fide, ac nativâ ſimplicitate memorabilem Hiſtoriam de Principatu Carrarienſium ab an. MCCCXVIII. quo Jacobus Grandis à Populo Princeps eſt appellatus, ad an. MCDV. quo tota Carrarienſium familia in ſeptimo Principe Franciſco juniore prorſus interiit. Habetur hæc hiſtoria à paucis MS., cuſtoditurque ſuperſtitioſè: nobis illam nuper iterum percurrere licuit in codice, nobis humaniter commodato à VCl. Jo. Baptiſta Docto de Daulis Commendatario Equite Hieroſolymitano, cujus & fratris Comitis generoſa virtus, ſplendor nobilis, & in tantâ majorum ac familiæ gloriâ prudens & accurata modeſtia, quodque noſtra intereſt, amor erga nos ac benignitas planè gratuita hanc grati animi noſtri ſignificationem minime reſpuet. De Gatario præter Scardeonium Pignorius (3), Portinarius (4), rerumque Patavinarum Scriptores reliqui.

XIX. Scriptores Græcos non ex eâ, quâ fuere viri doctiſſimi, ſed ex ea parte, qua
1415 Græcas diſciplinas cum linguâ noſtrâ in Italiam detulere, tum Italia tum Europa univerſa debet gymnaſio Patavino, quippe hi non alibi, ſed Patavii Italicam & latinam linguam didicere, qua poſſent moribundæ Græciæ ampliſſimas opes in exteras Nationes effundere. Horum primus ad hanc Epocham venit EMMANUEL CHRYSOLORAS, qui eruditionem Græcanicam, ante annos circiter ſeptingentos barbarorum irruptionibus depulſam, in Italiam reportavit. Solum illi natale Byzantium fuit, nobiliſſimum genus, quippe ex ſorore nepoti Joannis Eudæmonis Palæologi, Meſazontis Conſtantinopoli, cui etiam ſucceſſiſſet, ni eum ſtudiorum amor, & ſcientiarum à primâ ætate cupiditas à ſtrepitu, curiſque politicis abduxiſſet. In has tamen eum revocavit & ſapientiæ fama, & noſtræ gentis neceſſitas: ex utrâque factum, ut qui unus omnium doctiſſimus habebatur in Græcia, unus itidem Joanni Palæologo Imperatori viſus idoneus ſit obeundæ legationi ad petendas Thraciæ periclitanti ſuppetias adverſus

Bajazetum

(1) lib. 2. Claſſ. 11. p. 254. (2) p. 204. in Marg. (3) de Ant. Script. Pat. ad Molin.
(4) lib 7. c. 7. p. 275.

Bajazetum imminentem Conſtantinopoli. Ergo vixdum ætate major Emmanuel ad hoc munus lectus, navigavit Venetias; quodque neque italicè, neque loqui latinè ſciret, nec muneri, quod erat obiturus, opportunum duceret, omnia per interpretem tractare, ſeceſſit Patavium, ubi ad an. MCCCXCVIII. latinæ linguæ operam dedit Joannis à Sancta Sophia Profeſſoris Medicinæ clariſſimi diſcipulus, quem etiam Philoſophos & naturalem hiſtoriam, ac Medicam diſciplinam publicè profitentem audivit. Narrat hæc ipſe Meſazonri avunculo ſcribens in epiſtola, quæ decima eſt inter editas à Margunio (1): nec aliam ob cauſam Beſſario hunc Græcis ad exemplum proponit, quo trahantur Patavium ipſius ſumptibus latinis literis vacaturi: quod infra probabimus, productâ epiſtolæ apocope ad Philanthropenum. Joanne præceptore mortuo Chryſoloras rediit Venetias, cœpitque inſtitutam pro legatione peregrinationem an. MCCCXCIX. Hac, ut alii ſemper, ita & hic defunctus eſt infeliciſſimè; quippe laboravit admodum, declamavit multum, quidquid ſecum attulerat pecuniæ prorſus inſumpſit, præter verba magnifica, ſpe maxima, re inania, retulit nihil, cùm interim Bajazetus mœnia quateret Byzantina an. MCDII., quo coactus obſidionem ſolvere, ut ſubigenti omnia Tamberlano, totius Orientis Triumphatori, terrori Aſiæ occurreret, victuſque & captus doceret, quam fragili loco ſtarent ſuperbi. Chryſoloras diro Græciæ hoſte ſublato, lætus Venetias rediit primùm, quodque viaticum redituro ad ſuos nullum ſuppeteret, mercede ibi Græca docuit, donec Patavio in poteſtatem redacto, à Venetis huc miſſus eſt eadem in gymnaſio docturus, docuitque hic aliquandiu, ut ex publicis monumentis conſtat, mox Florentiæ, Romæ deinde, demum Ticini; eò accitus ingentibus præmiis à Joanne Galeatio Inſubriæ Principe, Græcarum literarum notitiam fecit, amoremque excitavit eximium, tanto Italæ juventutis profectu, ut ex ejus gymnaſio ac diſciplinâ prodierint viri, quorum in re literaria fama perennis eſt, Leonardus Aretinus, Franciſcus Barbarus, Philelphus, Guarinus, Poggius, & alii. Ipſe excitus famâ Conſtantienſis Concilii, ad tollendum Eccleſiæ Occidentalis diuturnum ſchiſma indicti, cupiduſque tanti Spectaculi Conſtantiam venit, ubi XVII. Kal. Maii anno MCDX., quo dudum XLVIII. vitæ annum peregerat, vivere deſiit. Virum doctiſſimum, cujus pleraque negligentiſſimè delibat, Jovius tradit præter Grammaticos canones ſcripſiſſe nihil (2). Sed extant ejus epiſtolæ Græcæ elegantiſſimæ ſæpius excuſæ, extat opus eruditiſſimum de antiquâ & novâ Româ. Beſſario, ex quo multa hic tradidimus ommiſſa per Jovium, notat ab eo Syntagma editum Græcè, quo ampliſſimè comprobat divini Spiritûs ex Patre & Filio ſempiternam proceſſionem.

C A P U T V.

Gregorius XII. Pont. Max. Paulus Venetus. Ioannes Ligdat. Hieronymus Valle.

XX. GREGORIUS XII. ante Pontificatum *Angelus*, gente *Corrariâ* Venetiis patriciâ, Nicolao, & Polixena progenitus Patavii ſtudium ſcientiarum à prima 1417
juventute decurrit, ut late comprobat ex monumentis gymnaſticis & tabulariis Canonicorum S. Georgii de Alga Tomaſinus (3), quem præit Pignorius (4), ſequitur Salomonius (5). His teſtibus doctor Theologus in patriam rediit, & militiæ Clericorum adſcriptus mirâ vitæ morumque integritate vixit, donec Epiſcopus Caſtellanus patriæ ſacris præfectus eſt. Poſtea Chalcidenſis in Eubæâ inſulâ (6), quæ tunc Venetorum imperio tenebatur, Archiepiſcopus renunciatus, mox titulo tenus Patriarcha Conſtantinopolitanus, in quâlibet, atque omnibus Eccleſiaſticis dignitatibus, virtute, doctrinâ, probitate, ac ſimplicitate vitæ apud omnes inclaruit. A Bonifacio IX. relatus inter Referendarios Apoſtolicos, ut ſcribit Ughellus (7), auctuſque adminiſtratione Chiſamenſis Eccleſiæ, Nuncius Apoſtolicæ ſedis miſſus eſt ad Ladiſlaum Neapolitanum Regem, ut rebellem Neapolim ad Regis obſequium revocaret; re ex voto peractâ ipſam Neapolitanam Eccleſiam, quæ tunc vacabat, adminiſtravit. Præfuit deinde Piceno Legatus, eoque munere fungentem Innocentius VII. abſentem dixit Cardinalem Presbyterum Tit. S. Marci, & ad ſe accitum intimorum participem conſiliorum habuit. Hoc mortuo ad quandam Interregni ſpeciem Romanus Pontifex octogenarius, vel octo-

(1) Typ. Michael. Margunii 1580. (2) Elog. p. 41. 42. (3) in Append. lib. 1.
(4) De Ant. Pat. Urb. ad Molinum. (5) in Collect. ad Inſcrip. Gymn. (6). Oldoin. ad Ciacc. T. 2.
(7) Tom. 5. p. 1286.

vel octogenario major, ut ſibi repugnans Panvinius tradit, potius ſeptuagenario major, quod affirmat Antoninus, creatus eſt ea lege, ut Pontificatum primo quoque tempore ad tollendum ſchiſma, deponeret, quando idipſum Petrus de Luna Benedictus XIII. factitaſſet: id Gregorius jurejurando, & ante & poſt receptam dignitatem, ſe præſtiturum ſpopondit. Cæterum in ſummo Magiſtratu ſpecie boni deceptus, eùm tergiverſando, moras & dilationes quærendo quod fuerat pollicitus vel differret, vel omnino negaret, decreto Piſanæ Synodi, dignitate unà cum Competitore multatus ſubſtitui ſibi Alexandrum V. vidit, eùm ſediſſet jam legitimus Pontifex ſupra biennium: quamvis etiam deinceps à multis viris doctiſſimis ſanctiſſimiſque verus Pontifex habitus fuerit: nam & inſignia dignitatis retinuit, ac ſemel iterumque an. MCDVIII. novos Cardinales creavit. Timens attamen ſibi ab auctoritate Synodicâ ſeceſſit, quæſivitque latebras, tum apud Ladislaum Regem, tum in Carniâ, tum denique penes Ariminenſes Regulos Malateſtas, apud quos vixit toto tempore Joannis XXIII. Sub hoc habita Synodus Conſtantienſis, tres Pontifices de Supremâ poteſtate, atque ejus jure contendentes juſſit ſeſe Magiſtratu abdicare. Benedictus non paruit, tutuſque patrocinio Regis Aragonum Peniſcolæ orbi orthodoxo execrabilis contabuit, Joannem ipſa Synodus è Pontificatu dejecit, profugumque & carceri mancipatum compeſcuit. Solus Gregorius per Carolum Malateſtam, (quem tamen bonus ſenex, & imperandi in ultimâ ſenectute cupidiſſimus executum fuiſſe nimis citò, mandata, quæ dederat, queſtus eſt) ſponte ſua Pontificatum reſignavit Patribus Synodi; quæ honorifico decreto edito, eum Epiſcopum Cardinalem perpetuum, Portuenſem nimirum vel Tuſculanum, Cardinalium principem & anteſignanum ita dixit, ut à Romano Pontifice mox eligendo ſecundus eſſet: eundem perpetuum in Piceno Legatum ſanxit: acta ejus probavit omnia, ab eoque provectos ad Purpuram recepit. Ipſe ſenio vel ægritudine animi confectus, utroque fortaſſis, paulo ante, quàm Martinus V. ad ſolium ſupremæ poteſtatis eveheretur, mortalitatem explevit Recineti an. MCDXVII. octogenario, vel nonagenario major. Jacet ibi in templo primario cum Epigraphe octaſticha videnda apud Ughellum (1). Fertur poſtremis Caſtellani Epiſcopatus annis hic Regulas Ordinis Canonicorum Sæcularium S. Georgii de Alga conſcripſiſſe, ac nepotibus Antonio & Gabrieli Cundulmerio ſervandas dediſſe, Bonifacii IX. auctoritate firmatas. Auctor eſt Tomaſinus, cui ſubſcribit Coletus (2) ex Angelo Maria.

XXI. PAULUM VENETUM ſub initium ſæculi XV. Theologum maximum non
1429 deſunt, qui ſcribant, apud nos fuiſſe Theologiam profeſſum publicè, quos tamen gymnaſtica monumenta refellunt, in quibus is legitur non ſemel inter diſcipulos, nuſquam inter publicos Profeſſores. Hinc nos eum alumnis Artium, quod certum eſt, accenſemus. Ferunt (3), eum humili genere Utini apud Carnos natum à patre Opiſſice puerum admodum Venetiis educatum jam adoleſcentiam egreſſum Ordini S. Auguſtini inter Eremitanos nomen dediſſe, imbutum probe artibus optimis in Patavino gymnaſio, præſertimque ſcholaſtica Philoſophia, apud ſuos Theologiam didiciſſe, & ex utrâque conſecutum inſignia Magiſterii totâ deinceps, quâ late patet Italiâ, præ cæteris claruiſſe. Notat Quenſtedius (4), habitum in Logicis & Phyſicis ſcriptis inclytum ac nominatiſſimum. Bergomenſis apud Poſſevinum ſcribit (5), ab hoc in universâ Dialecticâ Philoſophiâ, eunctos ætatis Magiſtros, omnes atque Theologos fuiſſe ſuperatos. Trithemio quoque (6) Paulus Venetus in Ariſtotelica Philoſophia Italorum nemini ſecundus eſt. Vixit & docuit ſemper Patavii, atque hic morte defunctus tumulum habet in baſilica Eremitana cum hac epigraphe iconi appoſita.

Hic jacet S. Theologiæ Doctor clariſſimus
& Theologorum Monarcha
Magiſter Pat. Fr. Paulus Venetus
Ord. Eremitarum S. Auguſtini
Qui obiit An. Dom. MCCCCXXIX.
Die X. Menſis Junii
Cujus Anima requieſcat in pace.

Edita

(1) Tom. 8. p. 230. n. 33. (2) ad Ughell. Tom. 5. p. 1286. c. 2. (3) Freher. Tom. 1. P. 1, Sect. 3. p. 86.
(4) Dialog. de Patriis Vir. Doct. (5) in Apparatu. [6] De Scrip. Eccleſ.

Edita ſunt ejus Opera, quæ etiam habentur MSS. in Bibliothecis Patavina (1) S. Jo. in Viridaria, & Veneta S. Marci (2).

Contra Judæos liber I.
Sermones de Tempore, de Sanctis, de Quadrageſima.
De Conceptione B. Virginis.
De Incarnatione Verbi Dei.
De Excellentia Verbi Dei.
Super Sententiis libri IV.
Ad libros Phyſicorum libri VIII.
In libros de Generatione & Corruptione lib. II.
Summa Philoſophiæ Naturalis lib. VI.
Logica parva.
De Conceptione Mundi lib. I. qui Aſtronomiæ Janua dici poteſt.
De Compoſitione Mundi.
De Circulis componentibus Mundum.
De Quadratura Circuli.

XXII. JOANNES LIGDAT unus eſt ex antiquiſſimis alumnis Patavini lycæi, Ejus 1440
in monumentis gymnaſticis vix obiter ſemel mentio eſt, memoratur attamen à Ghilino (3), ut diuturnus hoſpes Patavii. Natus circa an. MCCCLXXX. Ligdati in vico Fani S. Edmundi, quod nunc Suffolcia Britanniæ urbs eſt, inde ſibi cognomen fecit. A puero Monaſticam D. Benedicti regulam profeſſus eſt, primaſque literas didicit in cœnobio, undè deſiderio graviorum ſublimiorumque diſciplinarum excitus, primùm in Gallia Pariſiis, deinde in Italia Patavii, diu ſe harum ornamentis excoluit; nec alius ſit à Joanne Anglo, quem à ſe in antiquiſſimis quibuſdam albis Salomonius inventum, notatumque ſcribit, ac vir bonus Joannem Scotum principem Scotiſtarum exiſtimavit: cum nedum patria, quæ Scoto Caledonia, Anglo Anglia, & Ordo ſacræ Familiæ, quæ Anglo Benedictina, Scoto Franciſcana fuit, alterum ab altero diſcriminent, ſed etiam ætas, quæ Scoto annum MCCCVIII. emortualem præſtituit, natalem Anglo MCCCLXXX. Hic porro Patavii ſtudiorum ſpatia emenſus evaſiſſe dicitur eloquens Rhetor, peritiſſimus Mathematicus, acer Philoſophus, gravis & acutus Theologus, quodque mirere magis, elegans & venuſtus Poeta; id quod velim intelligas de Poeſi & Rhetoricâ, ut ea tulere tempora, ſubruſticâ, nec ſatis comptâ. Redux in patriam humaniores literas nobilem juventutem docuit, multaque cum Theologica tum hiſtorica ſcripſit; poetica Britannicè cecinit. Latina his titulis inſcripta leguntur atque edita.

De audienda Miſſa Commentarius.
De Gaudiis Cœlorum.
Vita S. Albani Protomartyris Britanniæ.
Vita S. Edmundi Regis libri II.
Vita S. Fremundi Principis.
Vita S. Ethelſtani.
De Cantico Amoris.
Candelarium Rhythmicum.
Præcepta Moralia.
De Philoſophorum Secretis.
De Alexandro & Ariſtotele.
Parlamentum Volucrum. Apologi de Ruſtico & Avicula, De Equo & Ove & Anſere.

Opuſcula his titulis. *Contra temerarium Judicium inter rationem & Juſtitiam. De Rege Arturo, & ejus menſâ Rotundâ. De Arte Militari. De Officio Regis. Acta Guidonis Warvicenſis. De Guidone & Colbrando. Proprietates Nationum. Proverbia. De Fabro Dominam reformante. De duobus amantibus. De homine dictando. De Fortunâ.*

Sales & Satyræ. Poemata. Odæ. Eclogæ. Bucolica. Comœdiæ, Tragœdiæ. Præceptiones linguæ Gallicæ. Multa vertit ex Poematibus & Fabulis Græcis & Italicis in linguam Britannicam. Deceſſit in patria an. MCDXL. ætat. LX. Sepultus in templo cœnobii ſui ſignatur hac Sapphicâ Strophâ.

Mortuus ſæclo, Superis ſuperſtes
Hic jacet Ligdat, tumulatur urna,
Qui fuit quondam celebris Britannæ
Fama Poeſis.

XXIII. HIERONYMUM VALLE Patavinum gymnaſticis in patria inſtitutionibus 1443
imbutum non una ars Medica, ex qua inter clariſſimos XV. Sæculi Medicos à Scardeonio numeratur (4), celebrem facit, aſt ædepol longè magis Poeticus ſpiritus, & in pangendis elegis elegantiſſimè flebilis Muſa, quam non veretur Pignorius poſt laudatum Scardeonium (5), ſplendidæ magni Naſonis facilitati comparare, imò etiam, quod hyperbolem in Elogiis permiſſam dixeris, æquiparare. Medicinam fecit in patriâ feliciter,

(1) Vid. Indic. Tomaſ. de Biblioth. Patav. (2) V. Catal lib. Bibl. Venet. (3) Vol. 2. Theatr. p. 130, 131. (4) lib. 2. Claſſ. 10. p. 239. (5) de Ant. Scrip. Pat. ad Molin.

feliciter, laboreſque corporis ad hanc utiliter contulit, mentem & calamum ex ingenio carminibus indulſit; extatque prolixa ſatis ejus, ſed & elegans ac nitida & ad luctum provocans elegia de Cruciatibus Chriſti Servatoris noſtri ad Petrum Donatum Pontificem Patavinum. Ipſe ſcripſiſſe ſe alia multa gloriatur, nempe carmen Heroicum de geſtis virorum illuſtrium Patavinorum, Elegias aliquot ad Elyſiam puellam, alia quoque, quæ his carminibus ejus glorioſè ſignantur, memoranturque Muſæ ſuæ (1).

Te duce geſta patrum cantavi, te duce feci
Vivere perpetua poſteritate Viros.
Te duce formoſam legi mihi ſorte puellam,
Et ſibi, dum cuperet, carmina multa dedi,
Jam noſtrum varias nomen portatur ad urbes,
Dicere ſi de me, & ſcribere vera licet.

Floruit circa an. MCDXLIII. emortualis annus ignoratur, ſepultus eſt in Eremitana baſilica, ubi vultus ejus Mantineæ clari Pictoris penicillo deſcribitur poſtetis. Memoratur à Geſnero (2); mors ejus propinato Ravennæ veneno tribuitur, cùm Romam peteret, vel comes Legatorum Venetorum, ut habet Pignorius, vel uti Scardeonius refert, ipſe Veneti Senatûs ad Romanum Pontificem Legatus,

CAPUT VI.

Joannes Marcanova. Eugenius IV. Pon. Max. Joannes Siculus Cardinalis. Franciſcus Lignamineus. Antonius Baratella.

1445 XXIV. JOANNES MARCANOVA Patavinus clarus alumnus gymnaſii Patrii (3), inde Philoſophus maximus, Medicus celebris receptâ ſtudiorum laureâ prodiit. Mirâ curationum facilitate morbos raro pharmacis adhibitis, quibus Pharmacopolarum fraudes diteſcunt, compeſcere ſolebat abſtinentiâ unâ, quam Medici Diœtam appellant: plerumque dicax in Medicos, quorum Philopharmaciam inſectabatur ſyllogiſmo ex Hippocratis doctrina deducto. Nam hac dictante, tutiſſimum eſſe, in principiis morborum, ſi quid purgandum videatur, purgari oportere, dummodo materia turgeat. Atqui, addebat, raro materia turget; ergo raro purgandum etiam in morborum principiis. Parergon artis Jatricæ ſibi fecerat ſtudium antiquitatis, & quidquid otii ſupererat à curationibus, huic utiliter impendebat. Ex hoc claret peculiariùs apud poſteros: quippe qui collectas ex eo ſtudio ac labore opes in commentarios facundiſſimè, &, ut ea ferebant tempora, eleganter etiam redegit. MSS. hi ſunt in volumine, quod habet bibliotheca Patavina S. Joannis ad Viridaria; nam ea, quæ nomine alterius in hanc rem impreſſa prodierunt, Scardeonio teſte (4), ex his Marcanovæ obſervationibus excerpta ſunt à plagiario. Porro hæc Sylloge Antiquitatum, quæ extat, hoc Epigrammate in fronte operis ab ipſo Auctore, ut videtur, lectoribus commendatur.

Ut videas antiqua Virum monumenta priorum,
Quid Maris & terræ multa pericla ſubis?
Ecce, quod ut videas, totus peragrabitur Orbis,
Pagina nunc oculis ſubjicit una tuis:
Quæ ſi fortè tuæ ferat oblectamina menti,
Auctori grates dicere, ne pigeat.

Scripſit etiam *de Dignitatibus Romanorum*, *de Triumpho*, *de Rebus Militaribus*. Floruit circa an. MCDXLV. Sepultus eſt ad D. Auguſtini, ut annotat Salomonius (5); Memoratur à Portinario (6).

1447 XXV. EUGENIUS IV. Pontifex Maximus, ante Pontificatum *Gabriel Condulmerius*, (ex Monumentis cœnobii S. Joannis Canonicorum S. Georgii in Alga, quæ ſtudioſè ad hoc

(1) apud Scard, ibid. (2) in Biblioth. (3) Pignor. de Ant. Script. Patav.
(4) lib. 1. Claſſ. 10. p. 239. 240. (5) de Inſcrip. Pat. p. 65. n. 110. (6) lib. 7. c. 7. p. 275.

ad hoc opus noſtrum Salomonius eorundem Cœnobitarum, cùm adhuc ſtabant, doctor Philoſophus ac Theologus) Venetâ familiâ populari ſed priſcâ, quæ deinde patricia fuit, in agro Patavino natus eſt, vixitque diu Patavii, ubi altus educatuſque eſt, ac minores majoreſque diſciplinas, & artes liberales perdidicit Philoſophiam præſertim, atque Matheſim, ex cujus parte, quâ complectitur Aſtrologiam, ſibi maxima portendi, mirificè delectabatur (1). Rediit adultæ jam ætatis juvenis Venetias, vixitque apud ſuos in ædibus majorum, quas ferunt ſitas ad templum Venetum eſſe adhuc integras. Ibi fato ereptis parentibus divino quodam afflatu percitus, & propemodum coactus ad rerum mortalium contemptum, patrimonium opulentum erogavit in pauperes (2), & Antonio Corrario, quem condiſcipulum habuerat Patavii, ſocio Canonicorum ſæcularium ad S. Georgium in Alga Ordini, initium fecit, legibus acceptis à patruo Antonii Angelo Corrario Epiſcopo Caſtellano, qui ubi ſummus Pontifex Gregorius XII. ad ſedem toti Eccleſiæ præfectam aſcendit, Gabrielem & Antonium illius Ordinis fundatores è ſeceſſu ſacro vitæ diu exactæ religioſiſſimè, invitos licet ac reluctantes vocavit in aulam; & Antonium quidem Bononienſi, Gabrielem Senenſi præfecit Eccleſiæ. Hunc non diu poſt geminatis honoribus Clericum officio Quæſtorio ac Præfectum Ærarii dixit; mox autem, quamvis refragante Cardinalium collegio ad Purpuram evexit, ac Presbyterum S. Clementis renunciavit. Interfuit Conſtantienſi Concilio, à quo ad dignitates, quibus decreto Piſanæ Synodi Gregorium ſecutus exciderat, reſtitutus magno deinceps in honore fuit apud Martinum V., qui ejus operâ uſus eſt in Legatione Piceni primùm; deinde in Bononienſi, & in prima quidem Gabriel Provinciam undequaque nutantem in fide continuit, Anconæ portum excavavit, purgavitque, munivit, ac reſtauravit: in alterâ verò Bononiam ſeditionibus, inteſtiniſque odiis peſſumdatam, & inter obſequium ac rebellionem non ſine ingenti reipublicæ diſcrimine fluctuantem adventu ſuo compoſuit, pacavitque. Hinc Romam regreſſus, haud multo poſt mortuo Martino ſuffectus eſt V. Nonas Martii an. MCDXXXI. plenâ omnium Purpuratorum ſuffragatione. Quid egerit in Pontificatu, quanta domi foriſque paſſus ſit, quantâ fortunæ ac dexteritatis varietate, & arte cum Patribus Baſileenſis Concilii decertaverit: ut hos tandem indictâ Florentinâ Synodo vicerit, unàque Eccleſiæ Græcæ & Latinæ pacem, atque concordiam procuraverit, docebit te communis hiſtoria ex Platinâ, Panvinio, Ciacconio, Victorello & aliis, quorum dicta complectitur accuratè Oldoinus (3). Virtutes ejus ac merita, indeque gloriam immortalem Canonicorum S. Georgii de Alga Congregatio ad S. Salvatorem in Lauro Romæ ſignificavit hac Epigraphe, quæ quod fertur ab Aldo Manucio conſcripta, hìc à nobis ponitur non otioſè,

Memoriæ
Eugenii IIII.
Summi & Optimi Pontificis
Hic in pace gravis, in bellis pro Chriſti Eccleſ. impiger,
In injuriis patiens, Religioſorum amator, ac in eruditos Viros munificus,
Concilii Baſileenſis inſolentiam
Adverſùs Pontificiam Romanam Poteſtatem
Concilio Florentiæ celebrato refrænavit, ac fregit:
In quo
Joannes Paleologus Græciæ Imperator
Romanum Caput agnoſcens
Ejus pedibus ſe, multaſque exteras, ac remotas Nationes
humiliter ſubſtravit,
Congregatio Canonicor. S. Gregorii in Alga Venet.
Fundatori religioſiſſimo Pietatis cauſa P. C.
Sedit An. 16. Deceſſit Romæ in Vaticano An. 1447. 23. Feb. ætat. 66.

XXVI. JO. SICULUS Meſſanenſis Patavii monaſticum inſtitutum amplexus eſt in cœnobio S. Juſtinæ (4) inter primos, quos Ludovicus Barbus auctor Congregationis 1449
Juſtinianæ

(1) Pignor. in Antiq. Pat. ad Molin. Lignamin. ad Inſcrip. Gym. (2) Tomaſ. in Append. ad Annal. lib. 2, & in Annal.
(3) Tom. 2. p. 867. 890. (4) Salom. in Collect. ad Inſcrip. Gymn.

Juſtinianæ in collegium adoptavit, & moribus Monacho dignis inſtituit. Studebat enim Patavii cùm opus illud egregium Ludovicus Dei nutu aggreſſus eſt, & à profanâ Philoſophiâ ad Chriſtianam religioſamque multos traduxit. In eo cœnobio Joannes poſt pietatis tyrocinium ſacras diſciplinas proſecutus Theologiam ſibi comparavit è noſtro gymnaſio, cujus proinde bis fuit alumnus, inſcriptuſque eſt albis gymnaſticis iterum iterumque, ut annotat Porcellinus (1). Addit ex Monumentis, quæ vidit in illo cœnobio, in quo magiſtrum ſe fuiſſe, ac Monachos Philoſophiam ac Theologiam docuiſſe, gloriatur Salomonius (2), Joannem hunc in gymnaſio docuiſſe, quod affirmare non audeo, nullâ fultus auctoritate majore, ac gymnaſticis monumentis omnino tacentibus. Hoc certum, claruiſſe Joannem & vitæ ſanctimoniâ & ſapientiâ inter cœnobitas ſuos uſque adeo, ut à Ludovico Barbo ſecundus S. Juſtinæ Abbas fuerit, Mauro Papienſi, quem condiſcipulum in gymnaſio habuit, ſuffectus an. MCDXXXVIII. teſte Cavacio (3). Vix anno functus eſt eo munere, accituſque Romam ab Eugenio IV. præfuit, eo jubente, cœnobio S. Pauli extra Urbis Muros: mox ejuſdem Pontificis legatus ad Alfonſum Aragonium (4), & Renatum Andegavenſem, ut pacis & amicitiæ fœdera confirmaret, eo ardore animi, & firmitate judicii provinciam illam adminiſtravit, ut provehi ad Purpuram Cardinalis Tit. S. Sabinæ meruerit an. MCDXLVI. Tantæ dignitati vix triennio ſuperſtes fuit, deceſſitque Neapoli XII. Kal. Februarii an. MCDXLIX. Sepultus ibidem apud Benedictinos.

1462 XXVII. FRANCISCUS LIGNAMINEUS Patavinus Artium doctor clariſſimus nuncupatur in epigraphe, quam exhibet Scardeonius (5). Is Romam profectus in aula Pontificia inter præcipuos maximè claruit ſapientiâ, mentis acumine, probitate vitæ, & in rebus graviſſimis pertractandis dexteritate. Ex his animi dotibus cariſſimus fuit Eugenio IV. qui inter participes ſecretorum ſuorum lectum præ omnibus habuit, ditavitque opulentiſſimis ſacerdotiis, quibus non ad luxum, ſed ad pietatem uſus templa reſtituit, ædes inſtauravit, prædia redemit. Sancti Benedicti Novelli Prior ab eodem Pontifice creatus, præfectuſque illi cœnobio, quod Patavii nobiliſſimum eſt, hoc Monachis Olivetanis reſignavit auctum ædificiis (6), ornatum bibliothecâ an. MCDXLI. quo ad Feltrenſes infulas provectus eſt, mox tranſlatus ad Præfecturam Sacrorum Ferrarienſium plures legationes ad ſummos Principes feliciter obivit nomine Eugenii, à quo deſtinabatur ad Purpuram, quam illi mors Pontificis ejuſdem eripuit. Ejus geſta longo carmine cecinit, & ad Superos prope dixerim extulit Muſa Porcellii Poetæ Neapolitani, cujus fragmentum unum edidit Scardeonius (7), plura & prolixa Pignorius (8), ex quibus conſtat, eum ſcripſiſſe multa; Libros duos alterum *de Naturali*, *de Morali alterum Philoſophia*. *Diſquiſitiones Aſtronomicas in Capita LX*. *Epigrammaton libellum ad Ludovicum Cardinalem Patavinum*. *Commentarium de Inventoribus Artium*, *& de Deo Trino*, *& Uno Theologicum Tractatum*. Obiit Romæ III. Idus Februarii an. MCDLXII., quem ſignat lapis ejus ſtatuæ ſuppoſitus in templo S. Mariæ novæ cum hoc epigrammate (9).

Franciſco extincto Patavino antiſtite Feltri
Et quondam mæſtæ Præſule Ferrariæ
Extinctum humano eſt, quantum virtutis in uno
Corpore! non totus Orbis habere poteſt.

Nec hi verſus pugnant cum eo, quod diximus, primùm eum Feltrenſem Epiſcopum fuiſſe, deinde Ferrarienſem: nam ſtat utrunque ex notatis à Pignorio, & confirmatis à Salomonio docentibus reſignatam à Franciſco Ferrarienſem Eccleſiam Jo. Baptiſtæ fratri (10), itumque iterum ad Feltrenſem, quam abſens adminiſtravit ad obitum uſque.

1462 XXVIII. Nemo unus Poetarum intra ſæculum XV. pluribus luſit ANTONIO BARATELLA LAVREGIO. Natum in oppido Campi S. Petri, quod Patavinum municipium eſt, excepiſſe viſæ ſunt Muſæ, educatumque miſiſſe ad gymnaſium noſtrum, ut hic philoſophicis viribus inſtructus laureatus Philoſophus ad ipſas rediret, quas auguſtiùs coleret, & robuſtiùs ad viriles cantus excitet. Summopere delectatus amœna ſolitudine, omni fœnore ſolutus, civiliumque rerum planè ſecutus amica coluit rura, & in villa

(1) ad Matric. Artiſt. not. 8. (2) loc. cit. (3) hiſt. Cœnob. S. Juſtin. lib. 5. p. 224. (4) Oldoin. ad Ciacc. Tom. 2.
(5) lib. 2. Claſſ. 6. p. 232. (6) Lancellot. hiſt. Olivet. Cavacia hiſt. S. Juſt. lib. 2. p. 132. Salom. Inſcrip. Pat. p. 110.
(7) ibid. (8) de Ant. Script. Pat. ad Molin. (9) apud Scard. & Salomon. loc. cit.
(10) Vid. Scard. ibid. p. 133.

in villa Lauregiæ diu vixit in edendis carminibus omnis generis feliciter occupatus. Horum titulos, adjecto verſuum numero, quem Scardeonius ad ſeptuaginta quatuor millia (1), & ſexaginta producit, laborioſè ſatis Pignorius recenſet (2), videndus ſi placebit (nos enim lectorum & noſtro tædio parcimus.) Laudatur à Guarino Veronenſi (3), cui conjunctiſſimus fuit, ut patet ex amæbæis Epigrammatis, à Polentono verò (4) Poeta natus aſſeritur, cui nimirum Ovidianam in pangendis carminibus facilitatem natura tribuerit. Præter barbara nomina, quibus apud Scardeonium inſcribuntur ejus Poemata (5), duo alia ſummopere laudat Pignorius, alterum quod Metamorphoſes inſcripſit Fontium, rivulorum, collium, ruſticarumque tum anuum, tum puellarum, alterum Juſtinadem, quo Martyrium Juſtinæ Virginis heroico carmine cecinit. Devexâ jam ætate Utinenſium precibus dedit, ut apud illos mercede conductus Rhetoricam doceret, ibi conſenuit, ac mortalitatem explevit circa annum MCDLXII. certè ante obitum Polentoni, qui de illo ut dudum è vivis erepto ſcribit (6).

CAPUT VII.

Xycus Rictius Polentonus. Ludovicus Scarampus ab Arena Mediarota Card. Nicolaus de Comitibus.

XXIX. XYCUS RICTIUS vel *Ricius Polentonus* Patavinus Modeſti, de quo diximus, pater ex Pignorio (7) vir Philoſophus, & Aſtrologus, ex hac ſcientiâ Candi de Cando, ex illa Cajetani Thienæi diſcipulus, cùm poſſet ex his doctrinæ partibus haberi maximi apud cives ſuos, maluit ex ſtudiis humanitatis gloriam ſibi apud poſteros quærere. Vir doctus à Scardeonio (8), undè ſua habet Portinarius (9), dicitur, & in hujuſmodi ſtudiis peritiſſimus. Scriba fuit Paravinæ Reipublicæ, ſcripſitque multa lectu digniſſima, ex quibus clarere cœpit ab an. MCDXXXIII., quo edidit volumen ingens *de Illuſtribus Scriptoribus latinis*, cujus autographon Scardeonius habebat, ceſſit deinde in rem Illuſtriſſimæ familiæ de Lazara Comitum Paludis Majoris ad Conſilvanum, ut nos docet marginalis nota ad locum Scardeonii (10). Ex hoc opere pleraque habet tum Scardeonius ipſe, tum verò maximè Pignorius, quo teſte vivendo attigerit an. MCDLXIII. ex Necrologio ditis ſacerdotii S. Leonardi, ubi conditus eſt cum fratre, habetque epigraphen in diſticho ſatis inepto (11). Extant argumenta à Xycone conſcripta in decem Orationes Ciceronis in Catilinam, & in mutuas invectivas Saluſtii & Ciceronis. 1463

Libri VI. Exemplorum Memorabilium.
Liber adverſùs Luſores.
Dialogus, quo luſus Hebræorum ridiculi deſcribuntur.
Tractatus de Confeſſione ad Petrum Donatum Antiſtitem Patavinum, ex quo citatur à Petro Albiano (12).
Comment. De Miraculis D. Antonii Patavini.
Vita B. Helenæ Enſelminæ.
Vita latina Petrarchæ, quæ Anonymo tribuitur, editaque eſt à Tomaſino (13), ab hoc Xyconi tribuitur (14).

XXX. Ad fortunas penè dixerim regias, dignitatemque ac poteſtatem uno Pontificatu minorem gymnaſium noſtrum aluit, inſtruxit, aptavit LUDOVICUM SCARAMPUM ab Arena Mediarotam Cardinalem Patavinum. Is neque claro, neque diri genere natus in ea Regione Patavii, quæ Arena dicitur (fuitque mox ab eo empta, deinde ab hæredibus ejus diſtracta ceſſit in jus Nobilium Foſcarorum, qui eam etiamnum obtinent) arti Medicæ diſcendæ perſpicax & experrectum ingenium addixit, ex eâque doctor, in patriâ Medicinam fecit privato ſtipendio: claruiſſeque eum inde multis probare conatur Pignorius (15), quo auctore, hæc ipſa ars illi viam ſtraverit ad neceſſitudinem cum Franciſco nondum Cardinali Condulmerio, & ad gratiam amoremque Eugenii IV. nondum Pontificis. Ab hoc Romam accitus, repentè abollam Hippocratis mutavit in ſagum, & à literis animum convertit ad arma ſub Martino V. Pontifice Max. apud quem cùm operam ſuam probaſſet factis egregiis, Tragurienſem primùm Eccleſiam abſens adminiſtravit, deinde Florentinus Epiſcopus Florentinæ Synodo 1465

(1) lib. 2. Claſſ. 10. p. 237. 238. (2) de Scrip. Ant. Pat. ad Molinum. (3) in Epigram. ad ipſum.
(4) de Vir. illuſtr. (5) d. p. 238. (6) In Dialogo Hebræorum. (7) de Ant. Scrip. Pat. ad Molinum.
(8) lib. 2. Claſſ. 10. p. 236. (9) lib. 7. c. 8. p. 277. (10) d. p. 236. (11) Salom. Inſcrip. Pat. p. 194. n. 40.
(12) in Theſau. Eccleſ. (13) in Petrarch. Redivivo p. 185. 194. (14) ibid. p. 7. & 35.
(15) de Ant. Scrip. Pat. ad Molinum.

interfuit ſub Eugenio, cui cariſſimus, ejuſque nepoti Franciſco Card. Condulmerio arctiſſimâ familiaritate conjunctus ad majora & maxima provectus eſt: nam bello jam clarus, & in togâ ſacrâ imperator egregius, quæ feliciter arma contra Turcas tractaverat, pro patrono Eugenio in Chriſtianos fortiùs feliciùſque convertit, ubique victor, & inſigni profanarum virtutum gloriâ conſpicuus, incredibili verò in rebus agendis dexteritate mirabilis. His artibus & Romanorum rabiem adversùs Eugenium repreſſit, pacavitque, & ditionem Eccleſiaſticam à Tyrannis diſcerptam, atque peſſumdatam, obſequentem & integram Apoſtolicæ Sedi reſtituit. De rebus ab eo fortiter bello geſtis, cum adversùs hos in Italiâ, tum in Pannoniâ contra Turcas, & in eoſdem in oris Orientis maritimis, multa ſingillatim Oldoinus (1). Hinc ad Purpuram vocatus poſt cædem Vitelleſchi Cardinalis ejus conſilio patratam, non ſolùm ejus opibus ampliſſimis ac ærario propemodum regio potitus eſt, verùm etiam infulas habuit Aquilejenſis Patriarcha renunciatus, primus è ſubjectis imperio Venetorum, quibus tamen ab initio non æquior fuit Deceſſoribus ſuis, quippe Carniam integram repetebat, virque militaris arma ſpectabat; à quibus tamen abſtinuit ſe, blanditiis Venetorum, eorundemque conſtantiâ, & juſſibus Eugenii ad pacis conſilia revocatus, quæ tunc ſanè dilata ſunt, dum Ludovicus negotiis maximis impeditus, in utroque Patriarchatu Aquilejenſi & Gradenſi, mox Legationibus ad Philippum Mariam Inſubriæ Ducem, & Genuenſem, ac Florentinam Reſpublicas, totus fuit in conciliandâ ſibi rerum omnium adminiſtratione ſub Eugenio in aulâ Romanâ, quam civibus Patavinis opplevit, tantâ cum Romanorum invidiâ, ut vel Mulionibus in proverbium veniret (2), cum Mulas agentes increpanteſque dicebant: *Eia eia villane, ſi eſſes Paduanus fieres Papa, vel Caſtellanus*: quo dicto Ridium Patavinum ſugillabant, quem, quòd Vitelleſchum Cardinalem interemiſſet, Eugenius Ludovici hortatu arci Adrianeæ præfecerat. Eugenio è vivis erepto, ad res cum Venetis penitus tranſigendas adjecit animum Ludovicus; hiſque accuratè perpenſis, in eam tandem ſententiam deſcendit, ut, perpetuâ deinceps lege pacis, jus totum poteſtatis in Carniâ Venetorum eſſet, ſibi ac Patriarchis Aquilejenſibus penſio quotannis trium millium aureorum ſolveretur, atque etiam jus plenum in oppidis S. Viti, & S. Danielis. Hac tranſactione jurgium illud, quod Venetos diu & Patriarchas Aquilejenſes vexaverat, compoſitum eſt an. MCDLX. Sedente Pio II., Franciſco Foſcaro Principe, cùm Venetus etiam Senatus Ludovicum ipſum Cardinalem patriciæ Nobilitati adſcripſit, eique prædia & munera conceſſit ampliſſima, de quibus aliiſque, ac præſertim de ipſa tranſactione, multis eruditè propoſitis diplomatibus uberrimè ſcribit Ughellus (3). Ex hoc & Oldoino conſtat Ludovicum Cardinalem fuiſſe hominum ea ætate ditiſſimum, quippe opes immenſas congeſſerat, & opulentiſſimis ſacerdotiis erat inſtructus. Atque utinam hæc omnia in bonum publicum vertiſſet, neque ex tantâ fortunâ ad vitia deflexiſſet, quibus non ſibi dumtaxat nocuit, verùm etiam curiæ, quam tot magiſtratibus occupabat. Ferunt hunc primum in illam regium fermè ſplendorem, qui res ſacras maximè denigrat, equos, canes, familiam ingentem, convivia lauta, ſupellectilem pretioſam, cupediorum & luxus monſtra invexiſſe, ex quibus dictus eſt Cardinalis Lucullus, vapulatque apud Scriptores ſuæ ætatis acerrimè, quos inter Jo. Jovianus Pontanus eum apud Inferos galero æreo candente contectum, luſit ac cecinit. Acceſſit invidiæ ex opibus, earumque non optimo uſu contractæ, rixarum inter eum, & Paulum Barbum Cardinalem Eugenii nepotem ac diſſidiorum cauſa: quippe hic ægerrimè ferebat primas Ludovico datas ab avunculo, ille parem habere Barbum minimè patiebatur; pugnabantque eò acrioribus odiis, quò ſtudioſiùs diſſimulabantur, tum ſub Eugenio, tum ſub Nicolao V. Calliſto III. & Pio II., cui cum Barbus fuiſſet ſuffectus Paulus II., dicitur Ludovicus lento morbo ex mærore concepto contabuiſſe, quamvis eum Paulus Epiſcopum Albanenſem renunciaſſet, ditique Sacerdotio Claræ Vallis apud Mediolanum cumulaſſet. Obiit Romæ III. Idus Martii anni MCDLXV. ætatis LXIII. Sepultus eſt in ſuo titulo S. Laurentii in Damaſo ſine titulo, quem illi anno XI. ab obitu magnificè ibidem extruxit Henricus Hunis Archiepiſcopus Tarentinus, addito prolixo ſatis elogio, quod leges apud Scardeonium (4), Oldoinum (5), & Tomaſinum (6), apud quem idem præſtant Equites Delii Patavini longo Elogio in eorum Academia nobili propoſito (7). Condito teſtamento ſcripſit hæredes ex re mobili, regiâ ſupellectili, & immenſâ pecuniâ Ludovicum, & Nicolaum Scarampos, quos alii ejus nepotes tradunt, alii alumnos & familiares: nec deſunt, qui nothos filios putavere: ex reſiduâ immobilium ac prædiorum

hæreditate

(1) ad Ciacc. Tom. 2. p. 919. (2) Scard. lib. 2. Claſſ. 6. p. 129. (3) Tom. 5. p. 125. 126.
(4) ibid. p. 131. 132. (5) ibid. p. 921. (6) Elog. lib. 1. p. 15. (7) ibid. p. 16.

hæreditate ſucceſſores ſuos eſſe voluit Andream fratrem, & ex eo nepotem Franciſcum. Verum illos quidem exhæredes fecit Paulus II. quos in cuſtodiâ detinuit, indeque fugientes cùm comprehendiſſet, tandiu habuit in carcere, donec opes hæreditarias omnes undoquaque conquiſitas in fiſcum tranſtulit; atque inopes particulis quibuſdam donatos, dimiſit; laudaturque Paulus ex hoc ipſo apud Ughellum (1) à Gaſpare Veronenſi aſſentatore Pauli putidiſſimo, quem ex hoc ipſo vituperant reliqui. At hęredes immobilium, hæc nepotinis ſumptibus exhauſere, diſtraxere agros, omnia conſumpſere. Adeo quæſtus cenſuſque ex re Sacra congeſtus exitio eſt familiis poſteriſque, quibus per fas & nefas quæritur; ratoque non evertit domos totas, in quas ſacræ divitiæ ex inſtituto pauperibus debitæ transferuntur. Scripſiſſe dicitur Cardinalis Mediarota Scarampus mirâ quadam eruditione refertas epiſtolas ad Franciſcum Barbarum, cujus filiorum luſtricus pater erat: extabantque hæ apud Pignorium, Tomaſino (2) teſte, cujus dictum Pignorius (3) ipſe confirmat.

XXXI. Eadem ętate, qua Mediarota Cardinalis Patavinum nomen Romæ inſigni di- 1468
gnitatum ac luxûs oſtentatione celebrabat, floruit Patavii ſapientiæ gloriâ NICOLAUS DE COMITIBUS vir doctiſſimus, Aſtrologus per ea tempora celeberrimus. Is nobiliſſimâ (4) gente Patavii genitus, quæ nunc etiam opibus, virtute, ac ſplendore ſingulari patriciis quoque Venetis adſcripta eſt, Philoſophicis meditationibus ab adoleſcentiâ in gymnaſio patrio mentem inſtruxit, ac perpeti labore, ut ſcribit Pignorius (5), excoluit, receptuſque in numerum Philoſophorum ſedit inter collegas Patavinos doctor auctoritatis eximiæ: claruitque equeſtribus ornamentis, & præſtantis eloquentiæ laude, orator, & eques patriam illuſtravit doctiſſimis libris, quibus penè omnia Stagiritę documenta complexus eſt. Eorum titulos longâ ſerie recenſet idem Pignorius, iiſdemque bibliothecam ſuam inſtructam fuiſſe gloriatur. At Scardeonius eum poſteritati commendat ex Aſtronomicis commentariis, quos ad filium ſcripſit, in octo capita laborioſè diſtributos, quorum primo agebat, de qualitatibus temporum ſub formâ generali, ſub qua particularia originem ſortiuntur. Secundo, de Aeris alternationibus in anno contingentibus. Tertio, de iiſdem contingentibus in menſe. Quarto, de fieri ſolitis in die. Quinto de iis, quæ contingunt in hora. Sexto manſiones Lunæ ex certa ratione ad tempus præſens obſervanda ſignificabat, quo certius pluviæ, imbres, venti, ac reliquæ aeris affectiones, impreſſioneſque prænoſcerentur. Septimo horum omnium notiones ad aſtrorum poſitum revocabat, ad exortum, occaſumque lunæ, & cometarum, aliorum phænomena, eorumque ſigna in quibuſdam animalium actibus prænoſcendorum. Addebat his appendicem de ſignis terræ motuum, peſtilentiæ imminentis, aut epidemiæ, corruptionis aeris, fertilitatis ſterilitatiſve, unde caritas, vel ubertas annonæ. Sed & huic, ut Aſtrologis cæteris ex hac rerum prænoſcendarum ſcientiâ commodi obtigit nihil; ęrumnâ potiùs & inopiâ extremis vitę temporibus laboravit. Nam à Florentinis accitus Pręturam egit ſplendidè ac liberaliter, & ex Antenoreâ munificentiâ. Verum cùm fidejuſſiſſet pro Strozziis ejus urbis patriciis in maximâ ſummâ pecunię, quod plerunque uſuvenit, pro debitoribus, qui decoxerant, ſolvere creditoribus coactus, poſſeſſiones ac prędia ſua vendidit, ac redux in patriam in Montem Silicem ſeceſſit, ibique in otio literarum delituit uſque ad mortem, quę illum ibidem tetris abſtulit, condiditque tumulo in ęde D. Franciſci ſub rubro lapide anno MCDLXVIII.

CAPUT VIII.

Beſſario Cardinalis Epiſc. Nicænus. Jo. Antonius Campanus.

XXXII. BESSARIO CARDINALIS, de cujus genere Miniatus (6) quidam multa 1472
fabulatur ineptè, Trapezunte natus eſt an. MCCCXCV. neque parentibus affinitate regia claris, neque nobilibus. Excultus à puero bonis literis, & ineunte juventute Monaſticum magni Baſilii profeſſus inſtitutum ſtudiorum cauſa Conſtantinopolim venit, auditiſque Philoſophis plurimis, poſtremò adhęſit Gemiſto, cui agnomen Pletho, Philoſopho Platonico, ac Platonicorum per ea tempora facilè Principi. Is eum (7) & inter diſcipulos plurimi ſemper fecit, & ita Manueli Palęologo Imperatori ex eruditione, facundiâ, & rerum ſacrarum notitia commendavit, ut ultrò in aulam receptus, quam in ſui admirationem compulit vi mirę integritatis, modeſtię, religionis, quas

(1) ibid. p. 126. 127. (2) ibid. p. 14. (3) loc. cit. (4) Scard libr. II. Claſſ. 9. p. 214.
(5) de Ant. Scrip. Pat. ad Molinum (6) de glor. decidu. Famil. Comnenæ
(7) Beſſar. Ep. I. ad filios Plethonis

in eo virtutes opinio ſapientię ſtudioſiſſimę veritatis augebat, à Joanne Palęologo titulo tenus Metropolites Nicænus dictus, (nam tunc Nicea Turcis ſuberat, & regiis Turcarum urbibus annumerabatur) inter primos Antiſtites lectus eſt, quos cum Latinis decertaturos in Italiam deducebat. Photianorum partes tum in Synodo Ferrarienſi, tum in Florentina tutatus eſt acriter, donec citra nefas id illi licuit; aſſeritque (1) ſanctè, jurejurando interpoſito, Philanthtopino ſcribens, quod nos quoque de nobis teſtari poſſumus, conatum ſe omni ope, ſtudioque, quę vera cenſebat, validiſſimis rationibus confirmare; ubi falſum eſſe cognovit, quod verum exiſtimaverat, in id totis ingenii viribus collineaſſe, ut ſaltem, quod falſum agnoverat, aliqua ratione defenderet; cùm hęc quoque ratio penitus defeciſſet, nec aliter pro falſitate pugnare licebat, quam negatâ pernegatâque, ac planè contemptâ Occidentalis, & Orientalis, atque hujus in primis, Eccleſiarum auctoritate, dediſſe manus pro veritate, contra quam niſi per ineptias hiſcere non poſſet; ſtetiſſe fortiter, auctoremque fuiſſe, quotquot aderant Gręcis, ut ſancitis communis Fidei dogmatibus, ea pax, unitas, & concordia inter utramque Eccleſiam pangeretur, ſine qua neque res ſacra, neque politica ſtabit unquam in Græcia. Hæc ipſe Beſſario, quo ſpectant tum ejus laudes apud Orthodoxos, & his longè glorioſiores Photianorum vituperationes, quibus is aſſeritur auctor præcipuus editi in Florentina Synodo decreti, vi cujus ſchiſma planè delirum, ſi minus potuit ex toto reſtinguere, at ſanè potuit ridendum edere, ejuſque ſectatores, hoſtes Græciæ, quam jactant, ut pertinaciſſimos, ita & ignorantiſſimos, comprobare. Hinc in eodem Concilio Beſſarionem virum tantum, & de univerſa Eccleſia, & Græcia ſua egregio hoc facinore optime meritum, Eugenius IV. Romanæ Eccleſiæ vindicavit, atque una cum Iſidoro Theſſalonicenſi Rhutenorum Metropolita provexit ad Purpuram, non qua ipſe clareſceret, ſed quam ipſe ſui famâ nominis, teque virtutum ſuarum augeret. Idem deinde Pontifex, poſt obitum Gregorii Protoſyncelli Patriarchæ Græci Romæ, quo ſe receperat, defuncti, Beſſarionem hortatus eſt, ut ad ſolium Eccleſiæ Byzantinæ, ad quod ab Imperatore, & Orthodoxis vocabatur, aſcenderet: paruitque vir doctiſſimus, aſſumpſitque Conſtantinopolitani Patriarchæ titulum. Sed poſt Synodum Florentinam, ab illa ſtatim, nutante Conſtantinopoli Eccleſiarum concordiâ, quò faciliùs commodiuſque labanti conſuleret, ſeceſſit Venetias; utque latinam linguam, quam tunc vel penitus ignorabat, vel diſcere cœperat, perdiſceret, ſimul rationem agnoſceret, qua penes Latinos ſcientiarum theoremata explicarentur, Patavium venit cum Græcis aliquot eruditiſſimis; ſeque magiſter ſua ætate inter ſapientiſſimos maximus diſcipulum dedit gymnaſio noſtro, quod hanc illi gloriam eximiam debet, ex qua tum eum, tum alios Græcorum doctores accenſere poſſit alumnis ſuis. Habitaſſe eum ad S. Sophiam, refert Tomaſinus(2), cum tradit, magiſtro latinæ & Italicæ linguæ uſum pro ſe ac familiaribus ſuis Joanne quodam Sclengia Cretenſi, qui cœtui ſe Canonicorum S. Georgii in Alga jam pridem addixerat inter primos Ordinis Patres. Addit Salomonius (3) ædes à Beſſarione inhabitatas eas nunc cenſeri, quas Piſaurorum Sereniſſima domus magnificentius extructas Patavii poſſidet, & nunc auget ſui nominis gloriâ huc ſæpe ſecedens Senator ampliſſimus eques Joannes Piſauro, vir legationibus magnificè obitis, Patavinâ Præfecturâ glorioſiſſimè adminiſtratâ, integritate, prudentiâ, gravitate, quibus auguſtum Venetæ ſapientiæ collegium implet, Reipublicæ, cui ſubſumus, undequaque venerabilis. Patebat hìc hoſpitium Beſſarionis viris ſapientibus, ac præſertim Profeſſoribus publicis, quos ubi brevi latine ſatis intelligere didicit, ipſe cum hoſpitibus ſuis frequens audiebat, affirmatque (4) ſibi ac ſuis admodum profuiſſe, quæ his docentibus didicit: quòd intacto Platone, Ariſtotelem appoſitè ad orthodoxam Eccleſiæ ſententiam interpretarentur. Narrat hæc ipſe Philantropino ſcribens, ex ejuſque fide licet nunc eum, licebit autem inferiùs Græcos & Latinos aliquot familiares ejus gymnaſii noſtri claris alumnis adſcribere. Rebus Conſtantinopoli deſperatis, rediit Romam ſub Nicolao V; ſub quo captâ urbe Orientis Regiâ, ipſe utcunque naufragio Græciæ opem ferre, ac reliquias ejus in ſinum recipere, has cum principibus literatorum hominum in Italia immiſcere, harum contubernio gloriari, comitatuque per urbem incedere. Habitabat in Quirinali ad SS. Apoſtolos: deducebatur autem in Vaticanum non exculto quidem & numeroſo, ſed uno virtutis nomine maximè decoro famulatu. Quandoquidem, ut ſcribit Jovius (5), præclara Græcæ Latinæque linguæ lumina, peregrinorum requiſita oculis circa eum in triviis civium digito monſtrarentur. In his enim ſæpe conſpecti ſunt Trapezuntius, Gaza, Argyropulus, Philelphus, Blondus, Leonardus, Poggius, Valla, Sipontinus, Campanus, Platina, Domitius, nul-

lo ævo

(1) Epiſt. 2. ad Philanthrop. (2) In Chronotaxi Gymn. Patav. & in Append. Annal. lib. 2.
(3) In Collect. ad Inſcrip. Gymn. (4) Dict. Epiſt. ad Philantrop. 2. (5) Elog. p. 43.

lo ævo perituri: quibus viris domi ſtipatus, uſque adeo extra invidiam glorioſâ ſui famâ fruebatur, ut Eugenius, Nicolaus, & Pius eum ſibi ſucceſſorem, ſi fas eſſet, adoptare percuperent. Refert idem Jovius, non defuiſſe Beſſarioni ad Pontificatum ſtudia Cardinalium, & quidem præcipuorum, poſt obitum Pauli II. quamvis tunc non defuerit ex illo ordine, qui Neophytum illum appellaret, ac tanto viro Græcam barbam objiceret, & Monaſticam in ritu Græco veſtem, quam ſemper mordicus tenuit, Græcum ſe ſemper Epiſcopum more, ritu, cultuque, aſſerens; mentiturque vel delirat Coreſius (1) poſt Margunium (2), qui Beſſarionem ad Sacra Latina tranſiiſſe, impudenter affirmat. Ergo cum tres ſummæ auctoritatis Cardinales in cellâ Conclavis abditum adiere, ut Pontificem ſalutarent: cum verò à Janitore Nicolao Perotto non admitterentur, quòd parcendum lucubranti diceret; ſtomachati proterviam famuli, avertêre ſe cum indignatione, ac dixere: ergo nec prenſanti, nec roganti quidem ſumma dignitas inculcanda eſt, ne cum ad faſtigium honorum aſcenderit, ſuperbis ac ſtolidis janitoribus pareamus; ſtatimque Sixto IV. dedere ſuffragia. Ferunt, his agnitis Beſſarionem dixiſſe; *hæc tua, Nicolae, ſedulitas, & mihi Tiaram, & tibi Galerum eripuit.* Sub Sixto IV quos ingenti ſumptu codices Græcos atque Latinos collegerat, Venetias transferendos curavit, eoſque primùm legavit Monachis S. Georgii Majoris, mox voluntate mutata, Procuratoribus D. Marci; atque adeo Reipublicæ Venetæ habendos ac ſervandos & publicæ utilitati Græcorum præſertim publicitùs exhibendos curavit, quibus ex ejuſdem Reipublicæ voluntate accerſitum Roma Sabellicum præfecit, nec diu poſt vivere deſiit. Nam cum à Sixto Legatus à Latere miſſus ad Ludovicum XII. ſummo apud Gallos honore fuiſſet receptus; quòd urgentiùs inſtaret apud Regem pro pace ſancienda cum Duce Burgundiæ, ajunt Ludovicum, apprehenſâ ejus barbâ, dixiſſe: *Græca per Auſonios fines ſine lege vagantur*; eumque re infecta, cultum tamen donatumque ex merito dimiſiſſe. In reditu morbo correptus, donationem bibliothecæ Venetis factam teſtamento condito confirmavit, ac decumbens Ravennæ deceſſit XIV. Kal. Decembris an. MCDLXXII. ætat. LXXVII. Corpus Romam translatum conditum eſt ad SS. Apoſtolos in marmoreo tumulo, quem ſibi vivens paraverat, cum hac epigraphe.

Beſſario Epiſcopus Tuſculanus S. R. E.
Card Patriarcha Conſtantinopolitanus
Nobili Græcia ortus, oriunduſque
ſibi vivens poſuit
Anno Salutis MCCCCLXVI.
Τοῦτ' ἔτι Βησσαρίων ζῶν ἄνυσε σώματι σῆμα.
Πνεῦμα δ' φεύξεται πρὸς Θεὸν ἀθάνατον.

Vertit latinè apud Jovium Majoranus.
Beſſarion feci hunc tumulum, qui conderet oſſa.
Venerat unde olim, Spiritus aſtra petet.
Glorioſius de eo alius hoc diſticho.
Græcia me genuit, fovet Italis ora; Galero
Roma colit; Vita ſum Numa, & Arte Plato.

Vix non otioſe quis recenſeat ſingillatim, quæ ſcripſit Beſſario. Horum indicem ab Allatio confectum ex bibliotheca Vaticana, atque alterum à nobis excerptum ex edito indice Venetæ, alibi ſtudiis noſtris ſepoſuimus: hic editorum, quæ vidimus, operum titulos damus.

Comment. de Articulis Fidei adverſus Marcum Epheſium.
De Euchariſtia liber ſingularis.
Defenſio Platonis contra Calumniatorem, hoc eſt Georgium Trapezuntium.
Orationes tres de Bello Turcis inferendo.
Conſolatio ad Imperatorem Græcorum.
Epiſtolæ tres prolixæ ad Alexium Philanthropinū.
Epiſtolæ duæ ad Plethonis Filios.
Epiſtola quinque ad Gregorium Protoſyncellum, & Gennadium Conſtantinopolitanos Patriarchas.
Epiſtola aliquot breves, familiares, aut erudita.
Laudes Trapezuntis Patriæ.
Deſcriptio Iſthmi, addita eſt deſcriptioni Peloponneſi Plethonica.
Latina fecit Ariſtotelis, & Theophraſti τὰ μετὰ τὰ φυσικά.
Xenophontis de dictis & geſtis Socratis.

(1) Lib. de error. Latin. (2) Ad Can. 49. Apoſt.

1477 XXXIII. Juriſconſultum JO. ANTONIUM CAMPANUM claris artium Alumnis annumeramus, quod neque ex Juriſprudentia claruerit, & jam adultæ eruditionis vir in Patavino gymnaſio Græcas literas dumtaxat didicit, Demetrio Chalcondyla præceptore. Natus (1) eſt in viculo Gavella apud Galluſium oppidulum Campaniæ parentibus planè ruſticis, & egenis. Eum mater enixa ſub lauro eſt, pater puerum paſcendo pecori addixit, cumque in puero quædam indoles fortunâ major ſe proderet, cum ruralis ſacerdos in famulatum adſcitum primas literas docuit. Miſſus deinde (2) Neapolim, datuſque obſequio nobilis adoleſcentis pædagogus, ea occaſione diligens, operoſus, & ad Muſarum delicias propenſus juvenis, priſcos auctores lectitando, recentiores curioſiùs audiendo, præſertimque Laurentium Vallam, qui tunc inter eruditiſſimos Italos ingenti famâ florebat, eos in humanioribus literis proceſſus fecit, & gloriam conſecutus eſt, parem qua ſe maximis gereret. Ad tricas deinde Legum applicuit animum, quarum causâ dum Senas proficiſcitur, in itinere à graſſatoribus circùmventus, ac ſpoliatus, & prope nudus confugit Peruſiam. Ibi ut ſibi alimenta pararet, Rhetoricam docuit, eamque ſibi laudem atque admirationem brevi conciliavit, ut non ſolùm vitæ honeſtiſſimè tranſigendæ opes ſuffecturas habuerit, verùm etiam Peruſina civitate donato, auctoque laureâ Juriſprudentiæ, ſuperfuerit ad incundas peregrinationes per ea tempora viris eruditiſſimis uſitatas. Pervagatus clariores Italiæ Academias, finem itinerum fecit Patavii, ubi ſe diſcipulum ex magiſtro præbuit gymnaſio noſtro, ut ex albis gymnaſticis conſtat, & linguæ Græcæ, ut diximus addiſcendæ ſub Chalcondyla ſtrenuam operam triennio poſuit. Reverſus Peruſiam Geſta Braccii celeberrimi ſæculo XV. Imperatoris commentario latino complexus eſt, ſi non peccaſſet in hiſtoricam veritatem, interjectis Poeticis commentis pluribus, ex eo libro par priſcis Scriptoribus habendus. Ex illo tamen ob ſummam elegantiam ſtyli incredibilem laudem & admirationem adeptus, ſummâ itidem famâ apud aulicos Romanos inclaruit: hinc porro accitus à Caliſto III. ab Epiſtolis Pontificiis fuit: mox ob ſimilitudinem ſtudiorum à Pio II. ad intimam familiaritatem receptus, eodem tempore præfuit aulæ Alexandri Olivæ Saxoferratenſis Cardinalis, unàque amorem ac patrocinium impenſiſſimum promeruit Jacobi Amannati, ſub nomine Cardinalis Papienſis inter eruditos ſæculo XV. notiſſimi. Ab eodem Pio II. Crotonienſis in Calabriâ Præſul renunciatus, paulo poſt Aprutinas, hoc eſt Interamnatis apud Samnitas Eccleſiæ infulas, Epiſcopus induit; unde etiam ad Purpuram fuiſſet evectus, ni brevis Pii Principatus hoc illi decus invidiſſet. Paulo quoque II. fidem ac virtutem ſuam probavit abundè, habuitque ab hoc prædives Sacerdotium, dictus Archipresbyter S. Euſtachii, quò libentiùs commodiuſque comitem ſe, ac participem conſiliorum daret Franciſco Piccolomineo Cardinali in Germaniam Legato. Ibi fertur tam facundè & copiosè in conventu Principum peroraſſe, ut Germanos ad bellum ſacrum ſuſcipiendum adduxerit. Redux ex illa legatione, juſſu Sixti IV. præfuit Tuderto, mox Fulginatibus ac Typhernatibus, quæ poſtrema præfectura illi fortunæ mutationem maximam fecit. Nam cùm, citra culpam ejus, Typhernates factioſi in ſeditionem exarſiſſent, in Campanum crimen ſeditionis ab aulicis verſum eſt apud ferocem Pontificem: unde is reus non ſui criminis & munere multatus eſt, & extra ditionem Eccleſiaſticam exulare juſſus. ærumnoſe deinceps vixit, & exilia mutavit ſæpè, modò apud Ferdinandum Neapolitanum Regem, modò alibi: tandem infelix & egenus Senas ſeceſſit, ut ſe Pii II. memoriâ recrearet. Sed ægrum animum locus levare non poteſt: jamque ſenex, intercepturſque crebris aſſultibus morbi comitialis, ibidem interiit an. MCDLXXVII. celebratus penè dixerim omnium Poetarum carminibus, quorum aliqua leges apud Jovium (3), Gaddium (4), Oldoinum (5), Nicodemum (6), & alios, ex quibus, quæ diximus, fuſiùs proſequitur Ughellus (7).

CAPUT IX.

Theodorus Gaza. Petrus Baldus. Nicolaus Perottus. Palladius Fuſcus ſeu Niger. Andreas Brentius.

1478 XXXIV. HIs deſcribit Philanthropino (8) Beſſario felicitatem Italiæ, florenteſque in ea literas: *εἰσὶ δὲ παρ᾽ αὐτοῖς Ἀκαδημίαι πολυτελεῖς καὶ μαθημάτων παντοίων ἐξαίσια φροντιστήρια, ἐν οἷς οἱ καθ᾽ ἡμᾶς, εἴπερ ἂν βούλοιντο, τὰ τῶν λατίνων μαθεῖν, καίγε τῆς αὐτῶν γλώσσης μεταχεῖν, οὐ μὴν αὐτοὶ*

(1) Ughell. Tom. 1. p. 369. 371. nu. 42. (2) Jovius in Elog. p. 39. 40.
(3) Ibid. p. 40. (4) De Scrip. non Eccleſ. (5) In Athen. Peruſ. p. 23.
(6) Ad Toppii Biblioth. p. 6. (7) ibid. (8) Epiſtol. 2.

αὐτοὶ πρὸς τὸ κορυφαῖον τῆς τε Φιλοσοφίας, καὶ Φιλολογίας ἀνήξουσιν, ἀλλὰ καὐτοὶ τοῖς λατίνοις ἔσονται πρὸς τὰ τοιαῦτα ὁδηγοὶ πανυπέρτατοι. Καὶ διότι Χρυσολωρᾶς καὶ Γαζῆς, καὶ ὁ δεινὸς Τραπεζούντιος, ἐν Πατταβίῳ διαβιώσαντες ἀρκαστῶς, οἱ σοφοὶ ἁπλῶς ἐν Ἰταλίᾳ νομίζονταί τε, καὶ λέγονται. Πρὸς ὧν τὸ παράδειγμα ἡμεῖς παλινοστήσαντες ἐν Ἐνετίαις, κατὰ τὸ δυνατὸν, ἐπεμελήθημεν, τοὺς ἀφικνουμένους εἰς ἡμᾶς ἐκ τῆς Ἑλλάδος ἄνδρας σοφούς τε καὶ ἐπιστήμονας εἰς Πατάβιον διὰ τὸ πλησίον μεταπέμψαι, ἵνα τοῖς ἡμῶν ἀναλώμασι τὰ τῶν λατίνων μεμαθηκότες, οὐ μόνον τῶν ἐν ἡμῖν, ἀλλὰ καὶ τῶν λατίνων διδάσκαλοι γένωνται τὸ καθεξῆς. *Sunt autem hic Academiæ opiparæ, & maxima Schola omnis generis Scientiarum, in quibus noſtri, ſi voluerint latina diſcere, & quidem linguam ipſorum adipiſci, non modo ipſi verticem Philoſophiæ ac Philologiæ pertingent, verùm etiam ipſis erunt Latinis excellentiſſimi duces. Enim verò & Chryſoloras, & Gazes, & acer Trapezuntius Patavii, quod ſatis eſt, immorati Sapientes in Italia ſimpliciter cenſentur, dicunturque. Ad quorum exemplum nos cum rurſus fuimus Venetiis, pro viribus conati ſumus, eos qui ad nos veniunt è Græcia, viros doctos, & ſcientiis imbutos apprimè Patavium propter vicinitatem dimittere; ut ſumptibus noſtris latina docti non tantùm noſtrorum, ſed & latinorum præceptores fiant in poſterum*. Proſequitur in eâdem epiſtola Beſſario decem nominans Græcos, quos in hoc noſtro gymnaſio ad latinam eruditionem alebat; hortaturque Philanthropinum, ut filios mittat, imò ipſe cum filiis veniat, parem generi ſplendidiſſimo, quo apud ſuos cenſebatur, habiturus cultum, ipſo Beſſarione ſumptum ſuppeditante. Atqui ex his conſtat, Theodorum Gazen, ſeu Gazam Patavii latinas literas didiciſſe. Jovius (1) præceptorem ejus Victorinum Feltrenſem nominat, quem in Matriculis Profitentium apud nos Grammaticam & Rhetoricam legimus. Addit Jovius, Gazam uſque adeo diligenter latinas literas didiciſſe, ut dignoſci non poſſet, an exactiùs & certiùs ab eo latina Græcè, an Latinè græca verterentur. Id quod eò mirum eſt magis, quod natu grandior in Italiam Theſſalonicâ ex urbe natali tunc venerit, cum Amurathes II. Græciam, ac præſertim vicinas Macedoniæ regiones victor infeſtiſſimus quatiebat, hoc eſt circa an. MCDXLIII., quadrageſimum ætatis Gazæ; qui ex his Græcis ac latinis interpretationibus, cùm Romæ inclareſcere cœpiſſet, jamque præcipuæ claſſi eruditorum adſcriptus opinioni publicæ reſponderet, commendante Beſſarione ſacerdotium idoneum alendæ familiæ obtinuit in Brutiis, quò ſeceſſit, undè non niſi ſenex regreſſus eſt Romam, ut quaſdam lucubrationes ſuas non elegantes dumtaxat, verùm etiam à ſe in membranis eleganter & accuratè deſcriptas Sixto IV. Pontifici offerret. Sed cùm ex munere ne pecuniam quidem præmio librarii dignam retuliſſet, indignatus durum, ſordidum, & agreſte regnantis judicium, Iovio teſte (2): effugere hinc licet, inquit, poſtquam optimæ ſegetes in olfactu præpinguibus aſinis ſordeſcunt: atque hæc effatus rediit ad Brutios, ubi mortalitatem perſenex explevit an. MCDLXXVIII. Extant ejus calamo editi.

Grammatica libri IIII.
De Menſibus Atticis liber I.
Vertit è Græco Latine, Ariſtotelis de Animalibus libros IX.
De Generatione Animalium libros V.
Problematum Sectiones XXXVIII.
Alexandri Aphrodiſſei Problematum libros II.
Theophraſti Hiſtoriam de Plantis.
Hippocratis Aphoriſmos.
Æliani librum Tacticorum.
Dionyſii Halicarnaſſei de Compoſitione Orationis.
Chryſoſtomi Homelias V. de incomprehenſibili Natura Dei.
Vertit è latino Græcè, *Librum Ciceronis de ſenectute, & de Somnio Scipionis.*

XXXV. PETRUS BALBUS hoc notatus ab Ughello (3) cognomine, in albo gymnaſtico 1480
an. MCDXXII. & tribus ſequentibus conſtanter Barbus patricius Venetus ſcribitur, faventque albo apud ipſum Ughellum inſignia Petri, quæ Barborum ſunt. Balbum attamen eum oſtentat tumuli ejus inſcriptio, ut ſuſpicari liceat, eum familiâ quidem inter Venetas patriciâ Balbum fuiſſe, agnatione vero Barbum, nam certiſſimè Pauli II. affinis fuit. Studuiſſe illum Patavii clarum eſt ex monumentis Gymnaſii, atque hinc in patriam, mox & Romam veniſſe, Philoſophum ac Theologum, peritiſſimum verò linguæ græcæ. Diu Romæ vixit dives pinguibus Sacerdotiis, ſed adeo alienus à dignitatibus, dum perpetuò in literis occupatus Minervæ militat, ut vix à Pontifice affine ad earum aliquas evocari potuerit, quas conſultiſſimè ac ſanctiſſimè geſſit, tandemque ad infulas Tropejenſes evectus eſt. Has abſens adminiſtraſſe videtur, quippe qui ſemper vixit Romæ, ubi etiam vivendi finem fecit V. Idus Septembris anni MCDLXXIX. ætatis LXXX. Sepultus eſt in baſilicâ Vaticana cum Epigraphe, quæ juſſu Sixti IV. tumulo ejus inſculpta ſanctitatem vitæ viri doctiſſimi, atque modeſtiam celebrat. Vertit multas Nazianzeni Orationes, aliquas Baſilii & Chryſoſtomi capita de Charitate, quorum titulos leges apud Ughellum.

XXXVI.

(1) Elog. p. 48. (2) Ibid. p. 49. (3) Tom. 9. p. 468. n. 25.

Digitized by Google

1480 XXXVI. NICOLAUM PEROTTUM Sentinatem Archiepiſcopum Sipontinum, de cujus nobili genere aliqua ſcripſit in Petrareha Redivivo Tomaſinus (1), unum ex iis fuiſſe, qui jam vir, & Beſſarionis familiariſſimus, ejus & juſſu & ſumptu in hoc noſtro gymnaſio Græcis literis ac latinis, atque etiam Theologiæ operam dedit, certum eſt, tum ex iis quæ in Beſſarione diximus, tum ex ejuſdem Cardinalis epiſtolis. A puero cum inopiâ conflictatus fortunæ damna virtute, ac labore in literis poſito pertinaciter feliciterque redemit, apertoque ludo, utili compendio rudimenta quædam Grammatices pueris ediſcenda publicavit, Hinc in aulam Juliani Cardinalis Cæſarini receptus, cum eo fuit Florentiæ cùm ibi Synodus habebatur, placuitque ejus ingenium Beſſarioni uſque adeo, ut illum à Cæſarino Cardinali obtinuerit, ut ſibi ad purpuram evecto inter aulæ præcipuos à latinis libellis eſſet. Eum idem Beſſario ſecum deduxit (2) Patavium, atque hìc reliquit inſtituendum triennio gravioribus diſciplinis. A. MCDXLIX. Romam ad Patronum rediit, commendatuſque Nicolao V. doctorum virorum Mecænati non mediocribus Sacerdotiis ditatus in ipſâ Beſſarionis aulâ multa ſcribens ac publicè diſſerens claruit ex ingenti eruditione Græca & latinâ, ſed ex hac maximè utiliſſimis lucubrationibus editis. Has deperiſſe (penè dixerim) fertur Æneas Silvius Piccolomineus Cardinalis, qui mox Pius II, ipſo anno primo Pontificatus ſui MCCCCLVIII. eum (3) Sippontinum Archiepiſcopum renunciavit, quod munus diu videtur abſens obiiſſe, nam ad obitum uſque Pauli II. Romæ fuit in aula Beſſarionis, quocum interfuit comitiis Sixti IV. atque ob nimiam ſedulitatem patrono Tiaram eripuit, ut diximus ex Jovio (4) in Beſſarione, & deinceps (5) Peruſiæ & Umbriæ Rector ſummo cum imperio præfuit: jamque ſenex, & curarum pertæſus à Sixto miſſione honorariâ obtentâ Sentinum ſeceſſit, recepitque ſe in villam, quam ſenectuti ſuæ conſtruxerat, ac Fugicuram appellaverat: ibi obiiſſe creditur an. MCDLXXX. Epiſcopatus XXIII, ut ſcribit Ughellus, quo teſte, ſuo tempore Perotti muſæum adhuc extabat, curâ Torquati Perotti Amerini Epiſcopi ſervatum cum ſatis prolixo elogio ab eodem Torquato poſito an. MDCXXIV. Opera, ex quibus claret Sipontinus.

Oratio celebris habita Bononiæ de laudibus Friderici III. Imperatoris, cujus fuit (6) à Conſiliis, & à quo ibidem lauro Poetices redimitus, cùm ſtemmatis ejus largitori munifico gratias egit hoc extemporario Epigrammate,

Cinxiſti viridi, Ceſar, mea tempora lauro.
Ecce meas ornat ſacra corona comas.
Non mea me Virtus tali nunc munere dignum,
Sed dulce effecit Principis ingenium.

Verſio latina Polybii maximi habita.

Theologicæ (7) diſputationes aliquot, & in his egregia de Proceſſione Spiritus Sancti ex Filio.

Grammatica latina cum Scholiis & exceptionibus.

Commentarius in Martialem cum Cornucopia, opus erudititiſſimum & utiliſſimum, quod tamen ipſe vivens non publicavit, quòd multa obſcena contineat, & omnino aliena ab ea dignitate, quam Epiſcopus gerebat. Illud nepos ejus poſthumum edidit, de quo Latomius apud Jovium (8).

Cornu nobile copiæ Perotti.
Non quale Oleniæ puer capellæ
Sanxit Iupiter, intulitque Cœlo:
Sed quale Herculea manu revulſum,
Ætoli Fluvii perenne vulnus,
Thymo & baccare Najades replerunt:
At doctum, variumque, multiplexque,
Et cunctis opibus, cupediiſque,
Quas Muſæ OEnotrides amant, refertum.
Hic eſt ille liber, ille Martialis
Interpres, latiæ illa lingua linguæ
Cornu nobile copiæ Perotti.

XXXVII.

(1) c. 18. p. 109. 115. (2) Epiſt. 2. ad Filios Plethon. (3) Ughell. Tom. 7. p. 857. n. 36. (4) Elog. p. 43. (5) Jovi. Elog. p. 33. Ughell. ibid. (6) Ughell. ibid. (7) Beſſar. Ep. 1. ad filios Pleth. (8) p. 33.

XXXVII. PALLADIUM FUSCUM, ſive *Nigrum*, Patavinum intet eos numerat Scardeonius (1), qui floruere circa an. MCDXLV. At ille certè non ante an. MCDLXX. floruerit, vixeritque ad annum ſaltem MCDLXXXIII. Nam ipſo Scardeonio teſte præceptor ſuit Hannibalis Griſonii Juſtinopolitani Quæſitoris ſacri an. MDXLII. quo multa ad ſuum tribunal delata de impietate Vergerii nunciat datis epiſtolis Jo. Caſæ Nuncio Apoſtolico Venetiis. Palladius bonis artibus excultus in Patrio gymnaſio, inſtructuſque Philoſophia, ex qua doctor laureatus in publicum prodiit, ex traditis per Pignorium (2), hac deſertâ toto conatu in Parnaſſum contendit, ſeque unda Permeſſide penitus imbuit. Poeta clarus, Rhetor illuſtris, & poemata multa ſcripſit, & carmine flebili civium ſuorum funeribus elegantiſſimè parentavit. Primus dicitur edidiſſe commentarios doctiſſimos in Catullum, qui formis impreſſi legerentur ubique, & ſi credimus Pignorio, tanti haberentur ab illo ſummo Catulli cultore Andrea Naugerio, ut his pro pulvinari ſæpiſſimè, dum libris indormit, uteretur. Scripſit *de Bello Turcico librum, de Inſulis libros tres, de ſitu & Ora Illyrici duos, & collectanea rerum non vulgarium* ad imitationem Auli Gellii. Laudatur ex eruditione Græca & latina, & ut reparator utriuſque in Iſtria commendatur à Sabellico (3), in iis, quæ de Coriolano Cyppico ſcribit: addit Pignorius carmen de ejus laudibus editum à Franciſco Buzzachareno Poeta nobili Patavino, ex quo colligit, quod refert Scardeonius, eum accitum Juſtinopolim, quæ caput Iſtricæ gentis eſt, ita juventutem bonis artibus & diſciplinis, cum Poeticis, tum Rhetoricis inſtruxiſſe, ut eò tranſtuliſſe Athenas Atticas & Latium Terentianum viſus ſit. Obiit ibi circa annum, ut conjicimus, MCDLXXXIII. Sepultus eſt in templo principe. 1483

XXXVIII. ANDREAS BRENTIUS, aliis *Brenta*, Patavinus eximius Philoſophus eſt Scardeonio (4), tantus verò Pignorio, ut nondum annum ætatis trigeſimum egreſſus in Patavino Philoſophorum collegio Philoſophorum princeps haberetur; quippe Philoſophiæ Rhetoricam artem conjunxerat Græcis Latiniſque ornamentis excultam, atque ex hac magis inclaruit, accituſque Romam ſtudia humanitatis magno in honore ac celebritate nominis habitus profeſſus eſt, præſertim poſtquam Hippocratis librum de Inſomniis in latinum ſermonem convertit præfixâ operi epiſtolâ elegantiſſimâ ad Sixtum IV. Pontificem Mecænatem ſuum, in calce verò adjectâ diſſertatione pereruditâ ad Nicolaum Eupalatinum, qua verba explicat Hippocratis jubentis cœleſti Jovi ſupplicare terram, non Minervæ, Mercuriove, aut Apollini, terræ heroibus, quo rationem reddat, cur Hippocrates internas hominis partes lunæ, medias ſoli, externas ſtellis attribuit. Edidit quoque tranſlationem Hippocratis de Natura hominis. Scripſiſſe eum etiam Orationes aliquot, & ſyntagma Rhetoricum atque Poemata Pignorius tradit, quæ non alia fuerint à ſignatis per Scardeonium, quo teſte inchoata, mutila, ac diſperſa reliquit, Romę immaturâ morte ſublatus an. MCDLXXXIV. 1484

CAPUT X.

Sixtus IV. Pontifex Maximus Joannes Argyropulus.

XXXIX. SIXTUS IV. Pont. Max. Roborea gente apud Ligures nobili, de qua multa poſt Ciacconium & Panvinium Oldoinus (5), natus eſt ann. 1484
MCDXIV. in ſuburbano familiæ, in quod peſtilentiæ causâ Savone ſeceſſerat mater ejus, cui eum utero geſtanti, mox natum educanti mira quædam contigiſſe dicuntur, ex quibus Ordini Minoritarum à Deo Franciſcus (hoc enim ante Pontificatum Sixto nomen fuit), deſtinabatur. Ex horum obſervatione factum eſt, ut ab anno ætatis nono cœnobia Minoritarum frequentaret, & apud illos à Joanne Pinarolo, tum literis, tum moribus formaretur. Religioſæ familiæ adſcriptus ad ſeveriores diſciplinas in præclariſſimis Italiæ gymnaſiis incubuit, ad Dialecticam Cherii, Ticini ac Bononiæ ad Philoſophiam, ad hanc & arcana Theologiæ Patavii; in cujus gymnaſio magiſtri ac doctoris inſignia ſummo Theologici collegii cum plauſu, plenaque ſuffragatione conſecutus eſt, ut conſtat ex monumentis curiæ Epiſcopalis (6), & notat laudatus Oldoinus (7), cui ſi credendum ſit, Sixtus Theologica theoremata publicè etiam docuerit non Bononiæ tantùm, Ticini, Senis, Florentię, Peruſiæ, verùm etiam Patavii: quod non affirmo, cùm nuſquam inter Profeſſores gymnaſii noſtri nomen ejus appareat. Porro tantus vir eam ſibi apud omnes ſapientię famam conciliavit, ut eum plerique doctiſſimi per Italiam avidiſſimè audirent,

ſeque

(1) Lib. 2. Claſſ. 10. p. 240. (2) De Ant. Script. Pat. ad Molinum. (3) apud Scard. d. p. 240.
(4) ibid. p. 242. (5) ad Ciacc. Tom. 3. à p. 5. (6) Libr. Collat. ſub P. Donato Epiſc. p. 13. terg. (7) ibid. p. 4.

ſoque ejus diſcipulos profiterentur; quos inter ex Græcis meis Joannes Argyropulus (1), multa ſe, eo audito, didiciſſe gloriatur: Beſſarion autem Cardinalis (2) tanti eum faciebat, ut ejus prælectionibus frequenter adeſſet, ejus familiaritate, & contubernio delectaretur: quidquid in lucem latinè deſtinabat edendum, ejus judicio ac cenſuræ committeret. His virtutum ornamentis illuſtrem Franciſcana Familia per omnes dignitatum gradus circumductum ad ſupremam Ordinis præfecturam evexit, quâ functus diligentiſſimè, & ex re ac bono publico Minoritarum, cum diſceſſiſſet Ticino, ut Venetias proficiſceretur, ſacris ſcientiis in otio doctiſſimo impenſiùs vacaturus, abſens à Paulo II. in Senatum Apoſtolicum cooptatus eſt, Cardinalis Tit. S. Petri ad Vincula IX. Kal. Octobris an. MCDLXIII. Exceptus Romæ ſummâ omnium gratulatione, & adjutus Collegarum opibus, ne egeret in Purpurâ, tituli ſui ædes reſtauravit, ac mediocrem ſuæ domûs familiam ita in officio continuit, ut exemplum eſſet modeſtiæ ac probitatis. Ipſe, ſedulus deinde magis in tantâ dignitate, ſtudia, quibus fuerat innutritus, excoluit; ſcripſitque aliqua, quæ memorantur etiamnum non ſine laude, Librum de Chriſti Sanguine, ſeu de eo, an Chriſtus redivivus Sanguinem, quem effuderat, omnem reſumpſerit. Librum adversùs errorem Bononiæ ſenſim irrepentem ex cujuſdam ſcripto docente, Deum, ne adhibitâ quidem potentiâ, quam abſolutam vocant, poſſe quenquam addictum Inferorum pœnis, ab Inferis revocare. Henricum quoque Lovanienſem reprehendit, quod certam propoſitionibus de futuro contingenti veritatem ineſſe doceret contra Stagiritæ Sententiam: atque altero opuſculo conatus eſt D. Thomam Scoto conciliare, ne inter ſacras Familias, & ſcholas maximas deinceps jurgia Doctores committerent invicem. Legimus hæc olim per otium, utque virum doctum ex primis conatibus laudandum exiſtimavimus, ita ex duobus poſtremis vix ferendum putavimus; quippe in altero fruſtra laborat, in altero jamdudum rationum futilitas, quâ ſententia peripatetica labat apud doctos homines, in luce publica poſita eſt. At bis vacantem Sixtum interiore curâ, virtuti fortuna comes ad Pontificatûs apicem extulit. Nam cum Paulo II. mortuo de ſucceſſore in comitiis ageretur, ac plerique ſuffragatorum graviſſimum ac ſapientiſſimum omnium Cardinalium Beſſarionem Sedi Vaticanæ deſtinarent, repentè, tum importunâ ſedulitate Perotti, tum verò maximè, quòd verius eſt, Beſſarionis territi ſupercilio, vitamque & innocentiam reveriti, ſtudia in Sixtum convertêre, quem V. Idus Auguſti an. MCDLXXI. Pontificem Maximum renunciarunt. Acta ejus Pontificis multa, grandia, varia, brevitatem noſtri propoſiti ſuperant; petendaque erunt ex hiſtoria communi & Biographis ac præſertim ex Oldoino (3). Tria ſunt, quæ in tanto Pontifice poſteritas adnotabit: duo, quæ ſpectant ad laudem, quorum altero commendatur invicta ejus & memoranda planè fortitudo, quâ diu nutans in re profanâ Romanus Principatus ſtetit, res ſacræ reſtitutæ, ornatæ, auctæ, Romanique Pontificis auctoritas ac ditio amplificata eſt; altero munificentia ejus extollitur, quâ Roma, ædificiis magnificis extructis, deterſoque ſitu, ad antiquum regiæ majeſtatis decus adſpirare cœpit, quâque bonis artibus, quas Pauli II. in eas odium abegerat, in aulam poſtliminio revocatis, alimenta parata ſint in celeberrima bibliotheca Vaticana, cujus initia Sixto IV. debentur: id quod in fronte bibliothecæ illius additum ejus Simulacro teſtatur hoc elegans epigramma:

Templa, Domum expoſitis, fora, mœnia, pontes
Virgineam Trivii quod reparatis aquam:
Priſca licet nautis ſtatuas dare commoda Portus,
Et Vaticanum cingere, Sixte, jugum;
Plus tamen Urbs debet: nam quæ ſquallore jacebat,
Cernitur in Celebri Bibliotheca loco.

Illud quoque Sixto eximiæ vertitur laudi, quod Conceptum Deiparæ Virginis ab omni originis labe penitus liberum planeque peccati ex primo parente deſcendentis immunem, & privatus defenderit libro edito, & Pontifex, ſilere juſſis, qui contra dicerent, diem feſtum tanto Privilegio magnæ Matris celebrando quotannis religioſiſſimè conſtituerit. Ex tertio fama ejus oneratur, palamque ipſi vertitur culpæ immenſa erga carnem & ſanguinem largitas, munificentia, benevolentia, ſtudiumque plus nimio addictum

(1) Epiſt. ad ipſum Franc. de Ruvere. (2) Epiſt. latin. ad Card. Papienſ.
(3) ibid. p. 5. 45.

dictum familiæ Roboreæ ditandæ, provehendæ, & ad ſumma utcunque pertrahendæ; Quo factum, ut multa egerit, decreverit, tentaverit, quæ non minimam pudori ejus labem concilıant, præſertim in Scriptoribus, qui Pazzianæ conjurationis hiſtoriam explicant, pro qua legendi ſunt Varchius (1), & Anecdota Varıllaſii (2). Sedit annos XIII. dies IV. Obiit ſeptuagenario major an. MCDLXXXIV. Idibus Auguſti. Sepultus eſt in baſilicâ Vaticanâ ad ſacellum Sixti, ejuſque exuviæ æreâ continentur urnâ, ſepulcroque Romanorum omnium pulcherrimo, cum hac epigraphe.

Sixto IV. Pontifici Maximo
ex Ord. Minorum
Doctrina & magnitudine animi omnis memoriæ Pontifici,
Turcis Italia ſubmotis, Auctoritate Sedis aucta, Urbe inſtaurata,
Templis, Ponte, Foro, Viis, Bibliotheca in Vaticano Publicata,
Jubilæo celebrato, Liguria ſervitute liberata, cum modicè, ac plano
Solo condi ſe mandaſſet, Iulianus Cardin. Patruo B. M.
Majore pietate, quam impenſa F. C.
Obiit Idibus Sextil. hora ab Occaſu quinta
Anno Chriſti MCCCCLXXXIIII.
Vixit Ann. LXX. D. XXII. H. XII.

XL. Biennio à morte Sixti ad plures abiit qui ejus laureæ Patavii receptæ teſtis interfuit JOANNES ARGYROPULUS tunc Patavinæ Philoſophiæ atque Artium diſcipulus, anno ſcilicet MCDXLIV. Indictione VII. die Martis XVIII. Kal. Maii (3). Is vir celebertimus ex Jovio (4) numerum clariſſimorum alumnorum gymnaſii noſtri magnificè auget, quem aliunde ſcimus Patavii, ſumptibus Beſſarionis, optimis ſuiſſe diſciplinis excultum. Natus eſt Conſtantinopoli nobili genere, quippe nepos ex Sorore Philanthropini, & ex Argyrorum familia, quâ nulla inter privatas clarior in Græcia, ut colliges ex Schylitze (5), & Cedreno. In Italiam venit quadragenario major, exceptuſque à Beſſarione huc miſſus eſt: ubi & latinas literas didicit, & in Ariſtotele verſatus eſt: quamobrem in relato diplomate, quod Privilegium continet Franciſci Roborei, *Vir ſpectabilis* dicitur, *& peritiſſimus Artium ac Philoſophiæ Scholaris Magiſter Joannes Argyropulus Conſtantinopolitanus*. Hinc rediit Conſtantinopolim, ubi moratus per annos aliquot, antequam ea urbs à Turcis expugnaretur, in Italiam remeavit, fuitque apud Coſmum Medicem literatorum hominum patronum magno in honore; tanti à viro illo doctiſſimo habitus, ut Petro filio, & Laurentio nepoti præceptorem datum his loco parentis præſtituerit. Auctus quoque Florentiæ publico munere docendi eſt, ac juventuti lectiſſimæ Scriptores Græcos enarravit. Quo tempore multa Græca latinè reddidit, & in primis Ariſtotelis libros Ethicos, & Phyſicos, quos Mediceæ domui egregiâ præfatione Græca interpretationi præfixâ dedicavit; conſecutuſque eſt ex hoc opere miros Eruditorum plauſus, quos laudes exaggerabant applaudentis Gazæ. Is ſodalis, & amicus Argyrupoli modeſtè adeo, & peramanter vinci ſe ab eo profeſſus eſt, ut, quæ ipſe verterat in eadem parte librorum Ariſtotelis, concremarit, ne amiciſſimi hominis creſcenti famæ officeret. Nec ignoravit diſſimulavitque hoc Argyropulus: quamvis elatè ambitioſus, & amplioris fortunæ percupidus, qualem illum nobis ingerit Jovius (6): hoc ipſum amicitiæ, ſua pro amico negligentis, officium pluribus in Epiſtolis ad Gazam datis elegantiſſimè laudat, ſeque illo minorem ingenuè profitetur, & gratias agit, quas poteſt maximas, quòd per illum ipſi via ſternatur ad gloriam. Floruit deinceps Argyropulus Florentiæ ſummâ exiſtimatione doctrinæ, quam Græcum acetum, & ſuperciliosa dicacitas, paſſim ſolita quidquid Græcum non eſſet contemnere, ſenſim corrupit, in eamque ſententiam animum ejus induxit, ut Florentiâ diſcederet. Ergo cùm ejus ſermones & faſtidioſi & graves Florentinis eſſe cœpiſſent, præſertim quòd Ciceronem Græcas ignoraſſe literas prædicaret, (qua in re non omnino Argyropulus delirabat) cauſatus peſtilentiam, quæ tunc Etruriam devaſtabat, Romam venit, ubi Græcam Ariſtotelis Philoſophiam privatâ mercede profeſſus, abundè 1486

ad ſum-

(1) in Hiſt. Flor. (2) à p. 66. 96. (3) Tabul. Epiſc. in lib. diverſ. & Colbatio. p. 13. ter. in Privil. Franciſ. Rovere ſub fine. (4) Elog. p. 50. (5) in Michaele & Theodora; in Conſtantino & Romano.
(6) loc. cit. p. 51.

ad ſumptum ſuffectura habuit & liberalem, & ſplendidum. Sed cùm vini & cibi æquè avidus & capax, quod illi objicit Jovius, quæ multa ſtipendiis optimis parabat, multa quoque in ſingulos dies obliguriret, condito teſtamento inhiantes hæreditati probè ſupplantavit amicos, quos æris dumtaxat alieni reliquit hæredes. Deceſſit Romæ ſeptuagenarius ex immodico Melopeponum eſu contractâ febri anno MCDLXXXVI. Joannes Laſcares junior, ejus diſcipulus, eum civem & magiſtrum epigrammate Græco laudavit, quod Laſcaris diſcipulus Majoranus latinè reddidit apud Jovium (1). Scripſit Argyropulus præter notata ſuperiùs librum de Syllogiſmo conſtruendo, ac reſolvendo, hoc eſt Synopſim quandam Priorum ac Poſteriorum Ariſtotelis, ex quo laudatur à Pachymere juniore (2), Dogmata quoque nonnulla (3), quorum cùm titulos annotet Allatius, unum tantùm edidit in Græcia Orthodoxa (4) ad Lucam Notaram magnum Ducem Byzantii, inſcribiturque Scriptum breviſſimum de Proceſſione Spiritus Sancti, in quo habetur explanatio decreti facti in Synodo Florentina.

CAPUT XI.

Georgius Trapezuntius. Maphæus Gerardus Card. Hieronymus Savonarola.

1486 XLI. GEORGIUM TRAPEZUNTIUM inter eos enumerat Beſſario (5), quos Patavinum gymnaſium latinam linguam & Scholaſticorum argutias docuit. Is natus in Creta (6), & quidem Chandace, quæ urbs inſulæ caput eſt, quòd eſſet oriundus Trapezunte ex urbe tunc regia Ponti, agnomen inde ſumpſit, ſeque Trapezuntium maluit quam Cretenſem. Somnium igitur Gyraldi ſit apud Allatium (7), rati hoc ita placuiſſe Georgio, verito verſus Epimenidis & Callimachi, mendaces appellantium Cretenſes, malas beſtias, & ventres pigros. Cretenſi ex urbe in Italiam juvenis, ſed Græcis literis imbutus probè, migravit, atque ubi ſatis latinè dicere, & ſcribere Patavii didicit, philoſophicis quoque Græcorum ac latinorum certaminibus idoneus, Romam venit circa an. MCDXL. ubi cum feliciore ſtylo Græca cœpiſſet latinè vertere, primus Græcorum habitus eſt, habuitque diſcipulos plurimos, & ex his amplas ad vitam commodiſſimè traducendam opes. Eugenius IV. eum inter familiares cooptavit, & à Secretis Apoſtolicis eſſe juſſit. Ingenio fuit acri, vivido, ac planè verſatili, ſed iniquiore, & in alios pervicaci, mordaci, ac plerunque maledico. Præter unum Ariſtotelem, quem penè non inſtar numinis adorabat, contempſit cæteros, Platonem verò etiam ſcripto probroſo edito infamavit, dilaceravit: inde in illum omnium odia, & invectivæ Guarini Veronenſis, Ficini, Perotti, Anonymorum, & quod caput eſt Beſſarionis, qui in eum libros contra Calumniatorem celeberrimos publicavit, ac Trapezuntium non minore aceto ac ſale perfricuit, ex ingenio Gentis noſtræ. Hos omnium impetus cùm Georgius ferre ſolus minimè potuiſſet, ſeceſſit in Cretam unà cum Apoſtolio, quem Beſſario per ea tempora aulâ ſuâ ob maledicentiam & petulantiam intolerabilem expulerat. E Creta navigavit Byzantium an. MCDLXV. quo cùm Andreæ Chii martyrium contigiſſet, illi vel ipſe interfuit, vel ejus hiſtoriam, quam biennio poſt deſcripſit, ab iis accepit, qui trucidari à Turcis juvenem, quòd fidem prodere detrectaret, aſpexerant. Byzantio Romam regreſſus, ac fruſtra ſortem ſibi meliorem expertus, vivis hoſtibus, miſerrimam vitam agere coactus eſt, iiſque obnoxiam incommodis, quibus omnino ſuccubuiſſet oppreſſus tantarum ſimultatum turbine, ni eum egenum ac Romanis incolis omnibus deteſtabilem Alſonſus Rex Neapolim evocaſſet, annalique ſtipendio ſublevaſſet: id quod Andreas ejus filius refert (8), patre adhuc vivo. Jam ſenex profundæ ætatis rediit Romam, ac repueraſcens in ſenectute planè decrepira, rerum præteritarum memoriâ ſenſuque excidit penitus, obliviosſus uſque adeo, ut ne legere quidem, aut ſcribere ſciret. Jacobus Gordonus tradit (9), præfectum Urbano gymnaſio, dum Rhetoricam docet, gravitate morbi memoriam amiſiſſe, ſed ut Gordonus in re ipſa, quam tradit, minimè erraverit, errat certè in anno, quo Trapezuntii notat amentiam. Veriùs ergo alii ferunt, id illi accidiſſe ex dolore concepto, quòd ſua quædam opera cùm Sixto IV. dedicaſſet, nec niſi centum coronatorum præmium recepiſſet, tantâ ex conceptu virtutis ſuæ indignatione fu ſſe concuſſum,

ut prope

(1) loc. cit. (2) in Præf. Syntag. Logicor. (3) in Collect. ad Script. Græc. (4) Tom. 1. p. 400. 418.
(5) Epiſt. ad Philanthrop. 2. (6) Jovius Elog. 45. (7) Diatrib. de Georgiis in Trapezun.
(8) Præfat. ad Sixtum V. in Ptolem. (9) Op. Chronolog. ad An. 1414.

Digitized by Google

ut prope ad furorem actus ex Ælio ponte pecuniam acceptam in Tiberim abjecerit, addito epiphonemate: *Periere labores, pereat & eorum ingrata merces*; ac domum regreſſus cœperit eſſe ſtultus ac ſtupidus: pererrabatque Urbem deinceps ſolus (1), detrito pallio pileatus, & nodoſo ſcipione ſuſtinens membra fatiſcentia, & corpus effœtum ac ſtolidum, ut Raphael Volaterranus refert ejus (2), cum nondum obſtupuerat, diſcipulus. Obiit Romæ circa annum MCDLXXXVI. in ædibus, quas ſibi, rebus adhuc proſperis, dives percommodas extruxerat apud Minervam ad Minores Obeliſcos S. Mauri, quem vulgo Mautum nominant, ubi nunc Seminarium Romanum eſt. Extat etiamnum tumulus ejus in ipſo Deiparæ ſupra Minervam templo, ubi lapis cinerum ejus cuſtos, quà in templum à Scevophylacio itur, inſcriptionem habet, quæ pedum detritu conſumpta, præter Trapezuntii nomen legentibus objicit nihil. Scripſit multa Græcè & latinè, quorum pars magna edita eſt. Horum pleriſque Scriptorum Græcorum libros latinè reddidit, reliqua ſuo marte compoſuit. Vertit ergo latinè

Cyrilli Alex. Commentarium in Joannem, ejuſdemque Theſauros, ſeu de Trinitate libros XIV.

Homilias Chryſoſtomi in Matthaum multas.

Nyſſeni librum de Vita Moyſis & Baſilii in Eunomium.

Euſebii de Præparatione Evangelica libros XIV.

Rhetoricorum Ariſtotelis libros III. libros de Anima, Phyſicorum, de Generatione & Corruptione, Problematum, de Animalibus.

Ptolemai Almageſtum libri XIII.

Platonis libros de legibus juſſu Nicolai V.

Gregorii Nazianzeni Orat. de laudibus Baſilii Magni.

Præter interpretationes, hæc ejus nomine inſcripta nobis legere contigit.

Scholia, potius libros V. Rhetoricorum.

Comment. in Varias Orat. Ciceronis, præſertim in Philippicas.

In centum Sententias Ptolemai.

Dialecticam brevem ſed abſolutam.

Tractatus de Antiſciis cum libello, cur Aſtrologorum judicia plerumque fallantur.

Epiſtolam reſpondentem Anonymo ſatis argutam.

Comparationem Platonis & Ariſtotelis, quem longe illi præfert; in ea maledicentiam & dicacitatem damnes, rem ipſam, ſi ſapis, rationi conſonam dices.

Martyrium Andreæ Chii.

Expoſitionem in illa Joannis: ſic eum volo manere &c. quam obtulit Sixto IV. conaturque probare, Joannem non eſſe mortuum.

Orat. ad Turcarum Imperat. in Funere Michaelis Veneti.

Iſagogen cum Comment. in Magnam Compoſitionem Ptolemai.

Orationes aliquot, & Epiſtolas breves XXXVIII.

Exhortationem de recuperanda Terra Sancta.

Contra Theodorum Gazam, ea videtur potius Andreæ filii.

Reſponſionem ad Leonellum Eſtenſem contra Invectivam Guarini.

Dialogum de fide & Subſtantia Dei ſecundùm Ariſtotelis doctrinam.

De Virtute Fidei Chriſtianæ.

Epiſtolas in Pſalmum XLIV.

Epiſt. ad Jo. Palæologum, ut ſpreto Baſileenſi conventu naviget in Italiam.

Ad Heſaiam Monachum: utrum natura conſilio agat.

Orat. Antirrheticam contra Calumniatores ſuos.

Tractatum de Eleemoſyna.

Ad Joannem Cubocleſum de Proceſſione Spiritus S.

Ad Cretenſes de Proceſſione eadem, & de una S. Catholica Eccleſia.

Duas has poſtremas edidit G. L. Allatius in Græcia Orthodoxa (3), reliqua ipſe etiam recenſet in Diatriba de Georgiis (4), notatque quo quodque loco editum ſit, vel MS. ſervetur. Multa ex his Græca ſunt, plura latinè tantùm leguntur, quæ non dubitamus à Trapezuntio Græcè ſcripta, latinè deinde fuiſſe reddita, vel ab ipſo, vel ab Andrea filio, aliiſve.

XLII. MAPHÆUS GERARDUS Venetus Cardinalis male audit apud Ciacconium 1492
& Gammbertum ex ingenii ſtupiditate & ignorantia. Utrunque refellit Oldoinus (5), & quidem jure. Quamvis enim conſtet eum in ipſo deſinentis adoleſcentiæ flore inſtituta Monaſtica profeſſum Deo uni vacaſſe, tamen id non ita recipitur, ut inde colligere liceat, eum ante legitimam ætatem, nondum literis imbutum apprimè rebus mortalibus valedixiſſe. Certum eſt enim, virum ſanctiſſimum inter aulicos Petri Donati Pontificis Patavini aliquandiu vixiſſe, triennio vacaſſe Patavii Philoſophiæ ac Theologiæ, anno verò MCDXXXVI. in utrâque doctorem ad meliora fuiſſe converſum circa

(1) Jovius ibid. p. 47. (2) lib. 21. (3) Tom. 2. p. 469. 536. [4] in Trapezuntio.
(5) ad Ciaccon. Tom. 3. p. 134.

annum ætatis XXV. Quæ, ut ſileant monumenta gymnaſtica & Chronotaxis Tomaſini, facilè colliges ex literis Petri Delphini, collegæ, Socii, & familiaris ipſius Gerardi, qui ſparſim in Epiſtolis ſuis geſta capitis amiciſſimi latè proſequitur. Hoc, cujus dictis Oldoinus inſiſtit, teſte locupletiſſimo, Maphæus Gerardus Venetiis natus, non ſanè patricio, at honeſto civium genere, vir doctus & pius cùm in cœnobio Archangeli Michaelis Mauriani Camaldulenſem Ordinem fuiſſet profeſſus, annos circiter ſexdecim, Paulo Venerio viro ſanctiſſimo magiſtro uſus vitæ eremiticæ virtutes omnes, & rigidiſſimam vitæ rationem diligentiſſimè coluit, ſeque ſodalium ſuorum exemplar exhibuit tantâ ſanctimoniæ cum famâ, ut ad præfecturam Ordinis univerſi vel invitus ac reluctans pertractus ſit. Hinc Venetiarum Patriarcha Senatuſconſulto renunciatus iis moribus inter clericos vixit, quibus Eccleſiam ſuam vivere ſub tanto Antiſtite docebat. Eum abſentem Innocentius VIII. Cardinalem SS. Sergii & Bacchi, vel SS. Nerei & Achillei ſecretò pronunciavit, extinctoque Innocentio Purpuratorum collegium ad comitia pro Succeſſore Innocentii eligendo habenda nec dignitatis ſuæ gnarum, nec de ea cogitantem accerſivit, excepitque honorificè, & ad ſuffragium admiſit, quo Borgiæ faviſſe dicitur, deceptus aulicorum officiis, & immemor monitorum, quæ Venetiis diſcedens acceperat à Senatu, cujus ob eam cauſam indignationem promeruit. Poſt Alexandri VI. inaugurationem Româ diſceſſit cum Delphino, ex cujus epiſtolis hæc habemus. Vir profundæ ac decrepitæ ætatis ex itinere morbo contracto Interamnæ decubuit, ac ſui compos ad ultimum uſque vitæ ſpiritum, deſiit eſſe mortalis an. MCDXCII. ætatis LXXXII. Corpus peracto funere Venetias delatum in templo Majore S. Petri conditum eſt cum hac epigraphe,

Maphæus Gerardus Patriarcha Venetiarum
Dalmatiæque Primas Sanctæ Romanæ
Eccleſiæ Cardinalis MCDXCII.
Locus carnis proprius terra eſt.

1498 XLIII. HIERONYMUM SAVONAROLAM Ordinis Prædicatorum celeberrimum cucullum non Ferrariæ tantùm, ſed etiam Veronæ ac Patavio in primis debet hiſtoria. Ferrariæ natus anno MCDXLIII. non autem MCDLII., ut aliis placuit; utroque parente intra quatriduum morte ſublato, pueritiam egit Veronæ apud maternos avos Turcos, Veronenſes patricios; ibidem liberalibus diſciplinis quadamtenus imbutus eſt ab avi fratre Ordinem Prædicatorum profeſſo: cùmque ab ipſâ adoleſcentiâ primâ ſe Deo dicaſſet, caſtitatem perpetuam pollicitus, ad idem Prædicatorum Inſtitutum, vix quindecim annorum adoleſcentulus, aditum ſibi fieri multis precibus, ac lacrymis poſtulavit. Receptus anno ætatis XVI. miſſus Patavium eſt, ubi tum religionis, tum ſcientiarum tyrocinium poſuit, ac poſt quinquennium ſtudiorum relatus inter doctores Theologos, penè non ad publicum Philoſophiæ ſubſellium aſcendere Scholaſticâ juventute petente coactus eſt. Cùm ſe muneri, ad quod à Deo minimè vocabatur, ſubduxiſſet, Venetias contendit, atque ibi ad SS. Joannis & Pauli totum ſe concionibus habendis addixit; pervagatuſque Italiam verbum Dei ſummâ eloquentiâ, pietate, doctrinâ effudit in populos. Tradit ac probat hæc, quæ ex ipſo retulimus, Salomonius (1), conſtituitque monumentis cœnobii ſui S. Auguſtini, ac præſertim Deſiderii Lignaminei, de quo dicendum erit inferiùs. Venit demum Florentiam, atque ibi ſe per annos aliquot à concionando continuit, dum loqui etruſcè diſceret, & nativam dicendi barbariem excuteret: cœpit deinde conciones habere, & ſi credendum Heterodoxis Scriptoribus (2), an. MCDLXXXIII. in cœnobio D. Marci Florentiæ publicitùs dicere cœperit, quo Martinus Lutherus natus eſt, quo ululante bonâ ſui parte Eccleſia Germanica defecit à ſacra poteſtate Romani Pontificis. Ut ut ſit, brevi ad eam apud Populum Florentinum probitatis & ſanctimoniæ venit exiſtimationem, ut paſſim par cœlitibus, ac numine afflatis vatibus vulgò haberetur. Philippus Cominæus (3), qui cum eo ſæpè locutus eſt, ſcribit, eum, quantum perſpici per hominem poterat, fuiſſe moribus inculpatum, qui multos ad ſanitatem, vitæque emendationem perduxerit. Marſilius Ficinus virum Sanctum ſolitus appellare penè non adorabat. Reipſa cùm vitâ, ut videbatur, innocentiſſimus, vitiorum hoſtis acerrimus, ſumma arte doctus in concionibus populum ſuſpendere, terrere, monere, vaticiniis quoque nonnunquam ageret, & illo præ-

(1) in Collectan. ad Inſcrip. Gymn. (2) Jacob. Verheiden. apud Freher. Tom. 1. P. 1. Sect. 3. p. 95.
(3) apud Freher. ibid.

illo præſertim, quo adventum Caroli VIII. Galliarum Regis toti Italiæ, atque in primis Florentinis exitialem prædixit, ita prope omnium animos quatiebat, ut ex ejus ore, atque auctoritate penderent. Deſcribit hæc ipſa, & eorum exitum facundiſſimè Jovius (1), cujus verba hic damus, ne quid incerti de viro tanto, cujus apud poſteros anceps fama eſt, à nobis dictum quis exiſtimet. *Mediceis*, inquit, *Gallorum adventu Florentiâ pulſis, Hieronymus Savonarola ex Ordine D. Dominici Cucullatus, uſque adeo auſterâ vitæ diſciplinâ, ac erudito ſubtilique ingenio, & in ſacris concionibus admirabili facundiâ valuit, ut populum inſtaurandis religionibus deditum, & tum novo receptæ libertatis gaudio geſtientem, quò vellet facile impelleret, privatiſque familiarium, ac ipſis quoque ſummi Magiſtratus conſiliis miſceretur. Futura enim prædicere, veluti divino afflatum numine credebant, quando nihil validius eſſet ad perſuadendum ſpecie ipſâ pietatis, in qua etiam tuendæ libertatis ſtudium emineret. Sed nonnulli Optimates, aſtutis ingeniis adeundo conſulendoque ejus authoritatem in immenſum adaugebant tantâ quidem inſaniâ, quò illam ſibi aſtruerent, ut ad Carolum Regem Piſas legatus mitteretur, & integros quatuor annos Florentinorum animis & opibus imperaret. Verùm in eo Chriſtianis hercle moribus ac optimis literis ornatiſſimo ingenium ab occultâ ambitione, & nimio exitialique proferendæ veritatis ſtudio inflammatum adeo æſtuanter efferbuit, ut capitale judicium de ſuſpectis nobiliſſimis ſeptem civibus ſævâ ſententiâ præcipitarit, moreſque Alexandri Summi Pontificis veſanâ declamandi libertate, quum acerbè ſuggillaret, ſacroſanctam poteſtatem in dubium revocarit. Quamobrem reus majeſtatis, depoſcente Pontifice, concedenteque Senatu, & concrematis quidem templi foribus, nec incruenta irruptione comprehenditur: nam inimicæ factionis cives, damnatorumque propinqui arma ceperant: in eoque tumultu trucidatus eſt Franciſcus Valorius partium princeps, qui maturandæ reorum necis author extiterat. Cæterùm de Savonarola tormentis excruciato, confeſſoque, latronum more, in medio foro, miſerabile ſupplicium eſt deſumptum, ita ut ſtrangulati corpus extemplo cremaretur; diverſo quidem animorum habitu, quum alii ardentes odio, jure execratum, atque punitum ſucclamarent, alii verò lugentes tanquam indigna morte perempti è rogo cineres religiosè colligerent. Utranque autem pii atque impii nominis famam promeruit, ſi duobus contrariis cenotaphiis credendum eſſe cenſeremus. Sed alterum, quod lividus effudit, honeſtius ſupprimet pudor, ne ſupra miſerabilis ſupplicii dolorem inſontis fortaſſe viri manes hac etiam æterni criminis inurente nota crucientur.* Hæc Jovius, additque Epigrammata duo, quorum altero M. Antonius Flaminius inſontem Savonarolam prædicat ſic:

Dum fera flamma tuos Hieronyme paſcitur artus,
Religio ſanctas dilaniat comas.
Flevit, & ò dixit, crudeles parcite flammæ,
Parcite, ſunt iſto viſcera noſtra rogo.

Altero Jacobus Latonus rem ponit in medio, hoc modo:

Dicere me prohibet pietas, Hieronyme, quicquam,
Tuo quod olim nomini
Officiat: vetat aſt eadem me dicere, paſſum
Te præter æquum talia.
Illud nemo negat, vel Momo durior, eſſe
Quæ ſcripſeris piiſſima.
Quæ dum compono, tibi, neſcio numne dolere,
Vel gratulari debeam.

Superſunt hæc, ut de claro alumno Artium Patavinarum noſtra poſteritas notitiam ſibi utcunque paret: ſi plura velit, præſto eſt Varchius & alii (2). Obiit Savonarola cum duobus ſociis ejuſdem Ordinis eodem ſupplicio interemptis X. Kal. Junii anni MCDXCVIII. ætatis LV. Edita ſunt ejus celeberrima Scripta.

Tractatus dividens omnes Scientias.
Comment. in Prophetas aliquot.
Compendium Logicæ, Philoſophiæ naturalis & Moralis.
Dialogus inſcriptus: Solatium itineris mei.
Regula Religioſis obſervanda.
Interpretatio Quadruplex Orationis Dominicæ.
Tractatus de Myſterio Crucis, & de Gradibus aſcendendi ad perfectionem Vitæ ſpiritalis.

(1) Elog. p. 82. 83. (2) Hiſt. Florent.

Lamentatio Sponſæ Chriſti adverſùs Pſeudo-Apoſtolos.
Libri V. de Simplicitate Chriſtiana Vita.
Libellus contra Judiciariam Aſtrologiam.
Triumphus Crucis, ſeu de Veritate Fidei libri IV. ex quibus ſummopere placuit, & laudatur peculiariùs à Jovio.
Meditationes in Pſalmos Miſerere; In te Domine ſperavi; Qui regis Iſrael; reliquos interemptus non potuit abſolvere.
Oratio in Pervigilio Nativitatis D. N. I. C.
Explanatio alia Orationis Dominicæ cum precibus ex illa deductis.
Prophetica quædam.
Meditationem illi Sectarii appingunt eam, quam Lutherus edidit adjecta hæretica Præfatione.

C A P U T XII.

Michael Marullus. Bernardinus Plumatius. Petrus Carrerus. Gabriel Prezatus. Joannes Britannicus. Ludovicus & Typhis Odaxii.

1500 XLIV. MICHAEL MARULLUS Tarchaniota γνησίως Græcus eſt Jovio (1): at nobis ex monumentis Tranſmarinæ nationis Cretenſis eſt atque Cydonius, familiâ nobili Marullorum, qui Tarchaniotæ, potius Trachaniotæ dicebantur. Puer parentibus fato ſublatis à patruo Zacharia Scordyllio Venetias deductus apud ipſum Græcas literas, & Atticam ſcribendi elegantiam didicit, ſimul Romanas à Sabellico: venit deinde Patavium hortatu Beſſarionis, qui liberale ejus ingenium atque indolem experrectam miratus fertur patruo auctor fuiſſe, ut à Muſis, quibus jam tum litare cœperat, abſtractum Philoſophiæ adoleſcentem obligaret. Extat inter breves Beſſarionis Epiſtolas una ad Calliergium (2), qui Scordyllius eſt, quâ hoc ipſum illi ſuadet. Ergo huc miſſus per annos aliquot Philoſophus fuerit: notaturque inter diſcipulos in albis Quæſtoriis an. MCDLXIX. & ſequentibus tribus (3), hoc eſt uſque ad obitum Beſſarionis. Exinde quid egerit ignoramus. Si ſequimur, quæ de ipſo feruntur (4), è caſtris Palladis ad Martis ſtipendia venerit, militaveritque deinceps ad obitum uſque in Italia Nicolao Ralla Spartano duce inter alarios Equites: nec tamen id illi obfuerit, quo minus etiam labores ac ſtudia duri Martis tenerrimis Muſarum deliciis recrearet. Fertur enim ita Bellonam cum Pallade per intervalla feliciter adæquaſſe, ut non græco tantùm, ſed latino carmine admirandus evaſerit. Scilicet Gazæ & Argyropuli veſtigia ſubſecutus, in ipſo præliorum æſtu doctrinæ ſibi decora deproperabat aſſiduè, quæ non aliter Græco homini contingere poſſe cebatur, quàm ſi patrii ſermonis facundiæ Romana & Itala elegantia jungeretur. Hinc Florentiæ Alexandram ingenii eruditi puellam uxorem duxit Bartholomæi Scalæ, olim in ea Republica Vexilliferi filiam, ut & cum viro, qui Politianum Græcis ingeniis infeſtum retuderat, affinitatem contraheret, & elegantiam ſermonis Etruſci condiſceret. Sed vir inquieti ſemper ingenii Marullus nuſquam ſtabilem ſedem, ne contracto quidem tam ſplendido matrimonio, nactus in curſu ſemper ſtudiorum atque itinerum fuit, contentus ſicubi vacaſſet, muſis unis litare. Nam laborem transferendi ad latinas aures Græcorum ſcripta, ut ignobilem, & gloriæ ingenii ſui minimè parem contempſerat, ratus nihil ad gloriam referre, ſi Græcus græcè, & inter latinos verſatus latina eleganter dicas, ſcribaſve; nominis ac famæ intereſſe, ſi linguæ utriuſque peritus utrâque de tuo, quod ſapiat, dicas, aut ſcribas, & legentibus quod robuſtum, quod ingenioſum, quod novum, & inexpectatum objicias. Ergo poſt editós Epigrammatum libros, ac libellum amatorium Carminum, queis nihil elegantius, acutius, delicarius, ad majora parabat animum, quæ ut in otio aggrederetur, vacationem à militia obtinuerat. Sed dum Volaterris contendit Florentiam, atque amnem Cæcinam ſolito ex imbribus inflatiorem tranſvadare tentat, fallente equo, cæco vado violenter abreptus interiit nondum ſenex, eo anno quo Ludovicus Sfortia captus à Ludovico XII. trans Alpes in Galliam perductus eſt, nimirum an. MD. XVIII. Kal. Maii. Luxere illum, ait Jovius (5), pari mœſtitia Græci Latinique: quorum aliqua Epigrammata ſubjicit.

1506 XLV. Non dubium eſt BERNARDINUM PLUMATIUM Medicum Veronenſem clariſſimum, in Patavino gymnaſio & Medicinæ gnaviter addiſcendæ operam dediſſe, & in ea arte doctoris inſignia retuliſſe; quippe hoc aſſerunt & alba Quæſtoria, & alba

(1) Elogio V. p. 52. (2) Septima ad Calliergium. (3) in Collect. Salom. (4) Jov. ibid.
(5) ibid. p. 53. 54.

alba Collegii. Fuit Dialecticus acutiſſimus, Philoſophus gravis, Medicus peritiſſimus, quibus titulis cumulatur à Bernardino Paterno, & Alexandro Maſſaria, qui, teſte Andrea Chiocco (1), ejus doctrinam latiùs proſecuti probarunt, & illuſtrarunt. Floruit declinante ſæculo XV. Obiit XVI. ineunte an. MDVI. (2) Dialecticam Alberti Magni à ſe emendatam edidit. Scripſit in Hippocratis Opera, eumque docentem Eunuchos podagrâ minimè laborare ita excuſat, ut veritatem effati ad tempus, quo dictum fuerat, & ejus temporis ſobrietatem referat. Hanc igitur commentario addito commendat, & inculcat, profeſſus hanc unam morborum omnium medicinam eſſe, nec arte aliâ priſcos uſos cùm Romæ Medici deerant, quàm hac ipsâ in adverbio *ſemel* repetito quater contente, nimirum: Semel in die cibum ſumere: Semel in hebdomadâ cum uxore Venere uti: Semel in menſe vomere: Semel in anno ſanguinem mittere.

XLVI. PETRUS CARRERIUS ex Monte Silice municipio Patavino Medicus præ- 1506
ſtantiſſimus eſt Scardeonio (3), qui tamen de eo breviter ſatis & obiter. Fuſiùs Pignorius (4), qui hunc virum ſcribit, receptis in gymnaſio laureatis inſignibus Medicinæ, diu multumque peregrinatum fuiſſe eruditionis iatricæ cauſa; fuiſſe in Oriente, contendiſſe ad Sarmatas, inde in Germaniam veniſſe undè cùm Galliam luſtraſſet, & ad Pirenæos Hiſpaniam, ad Italos rediiſſe: undequaque opes, pecuniam, & laudem ſibi comparaſſe; hiſque probè inſtructum ornatumque ſeceſſiſſe Venetias, ubi robuſtâ, & impigrâ ſenectute, & lucubraverit multa doctè, & fecerit Medicinam ad obitum uſque feliciter. Teſtamento pauperes hæredes reliquit, obiitque dyſentericus an. MDVI. Unum illi Opuſculum de Venenis tribuit Scardeonius (5), illudque breviſſimè laudat, quòd in eo aptè omnia, ſubtiliter & doctè tractaverit, ac propterea, quaſi appendix Petri Aponi, hujus operibus hoc quoque Carrerii adjectum opuſculum ſit à typographis. Plura alia congerit Pignorius (6).

Commentariorum in Hipocratem libros VI.
In Galeni Artem libros II.
Scholia in Celſum.
Meditationes in Aretaum, & alios libros Medicos Græcorum.
Denique *de Embamate Clyſteris*, quem librum eruditiſſimum & utiliſſimum prædicat.

XLVII. GABRIEL PREZATUS Bergomas artem Medicam aliquandiu Bononiæ di- 1509
dicit, mox legibus Venetis revocatus Patavium, hic artis ejuſdem curriculum emenſus eſt, & inſignia recepit. Conductus deinde ſtipendiis præcipuarum urbium Italiæ praxim exercuit (7), ex qua clarus, accitus Bononiam, eamdem ab Exedra docuit ab an. MCDLXXVII. Tandem quietis domeſticæ ac liberalis otii cupidus Bergomum rediit, ibidemque fatis conceſſit an. MDIX. Tradit Donatus Calvus peſtilentiâ Bergomi graſſante an. MDIII. editum ab eo Tractatum doctum ſatis & elegantem, inſcriptum hoc titulo: *Flagellum Dei*. Opus bifariam diſpeſcitur, alterâ parte proponens *Præſervativa* Peſtis remedia, alterâ *curationem* eorum, quos peſtis afflaverat.

XLVIII. JOANNEM BRITANNICUM Brixienſem bis notatum reperio in tabulario 1510
Quæſtorio inter artium ſtudioſos an. MCDLXX. & MCDLXXI. (8) An ex his artium ſtudiis laureatus in patriam redierit, nullum gymnaſticum documentum me docet. Hoc unum licet aſſerere, ſi quidem doctor regreſſus in patriam eſt, hinc inſignia doctrinæ eum retuliſſe, quando ex Senatuſconſulto an. MCDXXIV. non alibi fas erat Veneto imperio ſubjectis, aut ſtudere, aut præmia ſtudiorum nanciſci, quàm in gymnaſio Patavino. Floruit declinante ſæculo XV. Obiiſſe creditur an. MDX., quo notatur à Rubeo (9), ex quo hæc de illo poſteritati noſtræ proponimus. Natus Palatioli in oppido agri Brixienſis, quòd è Britannia eſſet oriundus, Britannicum ſe dixit, atque hoc agnomine humilitatem fortaſſis generis ſui contexerit, nam ſe ipſe nobilem fecit literarum gloriâ, qua futuris ætatibus nomen ſuum feliciter commendavit. Scripſiſſe enim dicitur celeberrimum Commentarium in Satyras Perſii, alios quoque in Statium, & Ovidium, & Epiſtolas, atque alia Opuſcula varia, quibus tantum præſtitiſse Manutio creditur in cultu latinæ linguæ, quantum Manutius ipſe nitet inter omnes typographos.

XLIX. ODAXIOS Fratres Patavinos patrii gymnaſii clariſſimos alumnos, miris lau- 1511
dibus efferunt & Scardeonius (10), & Pignorius (11). Utriuſque ætas intra an. MDXI. fuerit, nec protrahi ulteriùs poteſt, quippe quæ Guidonis Ubaldi Feretrii Urbini Ducis

(1) in Elog. Collec. Illuſt. Medic. Veron. (2) Preher ex Chiocco Tom. 2. P. 3. p. 1216. 1217.
(3) lib. 2. Claſſ. 9. p. 214. (4) de Antiq. Script. Pat. ad Molin. (5) ibid. (6) loc. cit.
(7) Calvus Scen. liter. Script. Bergom. (8) in Collect. ad Inſcrip. Gymn. Salom.
(9) Elog. Brix. p. 223. (10) lib. 2. Claſſ. 10. p. 238. (11) de Ant. Script. Pat. ad Molin.

ætate nondum devexa concluditur. Horum alter LUDOVICUS Rhetor maximus & Orator inſignis, Græcâ & latinâ linguâ facundiſſimus, ob præclaram nominis famam à Friderico Feretrio Principe Urbinate magnis muneribus accerſitus filiis inſtituendis præceptor datus eſt, mox & ad ſecretiora conſilia admiſſus principem apud eum locum tenuit: nec alius ejus honor ſuit Friderico mortuo, apud Guidonem Ubaldum diſcipulum ſuum, quem Principem ſuum, ut filium deinceps & coluir ſummâ fide, & juvit præſenti conſiliorum prudentia, ut non immeritò Scardeonius ſcribat, eum Guidoni Ubaldo fuiſſe, ur Chiron Achilli. Lego in quibuſdam epiſtolis (1) Argentini Cardinalis ad Franciſcum Alidoſium Cardinalem, admodum laudari Ludovicum, quod aurhor Guidoni Ubaldo fuerit, ut, quando ob ſterile coniugium ſe orbum futurum agnoſceret, Franciſcum Mariam Roboreum Julii II. ex fratre nepotem in familiam ac jus futuræ ſucceſſionis adoptaret; id quod cùm non ante annum MDV. contigerir, Ludovicum ad eum annum ſuperſtitem fuiſse nullus dubito, nec tamen ultra tres quatuorve annos, vitam produxerit, quippe qui habuiſse dicitur elegantiſſimam orationem in funere ipſius Guidonis Ubaldi. Laudatur à Sabellico (2) ex Græcâ Latinâque facundiâ, quam etiam commendat impenſiùs Petrus Bembus, teſtanturque multæ ejus epiſtolæ (3) vulgò editæ ſparſim, libelli quidam Plutarchi latinè redditi, & à Poliriano (4) miris laudibus exotnati. Tabula quoque Ceberis in Latinum converſa, atque alia multa, tum vinctâ, tum ſolutâ oratione conſcripta, quæ ignota Scardeonio, quod nobis quoque peregrina ſint, nec alicubi viſa, Pignorii fidei relinquimus.

Frater Ludovici germanus ejuſdem ætatis (5) fuit TYPHIS ODAXIUS, cujus poſteritas ex iis, quæ filius Ludovici contentus bonis à patre quæſitis, reliquit agnatis Patavinis habenda fruenda, ſe ſatis commodè Patavii habuit, & Typhenſem ſe deinceps ex hoc Typhi nominavit (6). Hic apud Scardeonium & Pignorium Poeta lepidiſſimus ætatis hercle ſuæ, & urbis & orbis, fuiſſe dicitur magnæ deliciæ. Primus adinvenit ridiculum carminis genus, quod macaronicum dicitur; præluxitque Theophilo Folengo, quem vulgò notiorem facit nomen Merlini Coccaii. Deſcribit hoc novum verſificandi genus fusè Scardeonius (7), & poſt eum Tomaſinus (8): mihi ſatis ineptum viſum eſt, nec in eo unquam placuit quicquam præter ingenium, quo quandoque, ſed raròo, ad riſum provocor. Typhis Macaronicum Opus, quo ſe clariſſimum ſuo tempore reddidit, in morre cavit, ne ederetur, aut legendum in vulgus traderetur, igni potius tradi juſſit, ut Vulcanus iniuriosum ſæpe, plerunque Satyricum Gelaſinum abſumeret: attamen Opuſculum ejus pluſquam decies impreſſum eſt, diuque in Italiâ maximi habitum incredibili cum voluptate legebatur, donec Merlinus Coccajus ex Ordine S. Benedicti in idem muſas compulit, ac famæ ſtrepitum Typhi plaudentis oppreſſit.

CAPUT XIII.

Antonius Pizzamanus. Joannes Laſcares. Silveſter Prierius. Matthias Michovius.

1512 L. ANTONIUS PIZZAMANUS patricius Venetus non ex unâ ſapientiâ gloriam auget gymnaſii noſtri, cujus alumnus fuit, ut conſtat ex albis Quæſtoriis (9), & notat Pignorius (10), verùm etiam ex illis unus eſt, quorum ſanctimonia gymnaſticæ juventuti exempla præſtituit venerandæ imitandæque virtutis. Fertur oris venuſtiſſimi juvenis ita ſeveræ caſtitatis, pudoris integri, ſuperciliosæ, ac pene non trucis modeſtiæ cuſtos fuiſſe, ut ipſo aſpectu terreret vitiorum blanditias, ſolitus in omnibus amicorum, quos paucos & quidem probatiſſimos habebat, congreſſibus illud in anteceſſum ingerere, quo meminiſſent, initium ſapientiæ timorem Dei eſſe, nec voluptatem dici ullam poſſe, qua omnipotens rerum omnium Dominus læderetur. Studuit Philoſophiæ ac Theologiæ, cujus laurum recepit primus à Ludovico Ferrarienſi, qui primus (11) in hoc noſtro gymnaſio Theologos viâ regiâ D. Thomæ doctoris Angelici ad contemplationem rerum Divinarum ire docuit. Ad Feltrenſes illum inſulas provectum ſcribit Ughellus (12) anno MDIV. atque in ea dignitate, vitæ ſimul celebri ſanctimoniâ, & famâ non vulgaris doctrinæ floruiſſe. Deceſſit an. MDXII. ſepultuſque eſt in templo princi-

(1) In Collect. Andreæ Eudæmonioan. (2) Epiſt. ad Guidonem Ubaldum Feretr. Urbini Ducem.
(3) In Oper. de Guid. Ubald. (4) Epiſt. lib. 3. (5) Scard. ibid. in Ludovic. & Typhi.
(6) Salom. Inſcrip. Agri Patav. p. 147. poſt medium. (7) Ibid. p. 239.
(8) Elog. lib. 2. in Theophil. Folengo. (9) In Collect. Salom. (10) De Vir. illuſtr. Pat. Venet. ad Molin. (11) Tomaſ. Gym. lib. 3. c. 3. p. 281. (12) Tom. 5. p. 377. A. 1.

principe D. Petri. Corpus ejus poſt annos multos repertum integrum, & prorſus incorruptum tradit Leander, additque inclaruiſſe miraculis.

Scripſit *De intellectu, & Intelligibili.* *De Quærenda ſolitudine.*
De Dimenſionibus interminatis. *De periculis Vitæ ſolitariæ.*

LI. JOANNES LASCARES Senior natus Conſtantinopoli nobiliſſimo genere, quod 1515
ex regio traduce Nicænorum Imperatorum Byzantium incoluit ſub Palæologis, ut latè
conſtituit Joannes Laſcares Junior (1) ſenioris ex fratre nepos. Adoleſcens è patria,
quam Turcæ ſubegerant, cum patre Theodoro in Peloponneſum ſe recepit, exceptuſque
benignè à Thoma Celſo (2) claſſium Venetarum præfecto in Cretam translatus eſt; undè
mox excitus munificis oblationibus Beſſarionis Græcam juventutem ad Italas Academias
evocantis, Venetias venit Thomam eundem redeuntem in patriam comitatus. Beſſarionis igitur ſumptibus vixit, ſtuduitque Patavii, ac Græcæ linguæ jam tum peritus, cum
latinam hic didiciſſet, ſeverioribus diſciplinis imbutus eſt. Beſſarione è vivis erepto cum
congiarium defeciſſet, nec jam ſciret, quò naufragium fortunæ ſuæ circumferret, egente
adhuc familiâ in Cretâ, Venetias venit. Ibi audito Laurentii Medicei nomine, quod fama, ut Mecænatis locupletiſſimi Græcorum celebrabat, Florentiam ſe contulit, ab Oratore Veneto in comitatum adſcitus: ibi cum cœpiſſet ex Græcâ literatura, quæ tunc ſumma apud Italos ſapientia erat, clareſcere, hoſpitio libentiſſime receptus à benigniſſimo
Principe, bibliothecæ, quam apparaverat, curandæ præfectus eſt. Hanc procuranti venit
in mentem ſiquidem pecunia præſto eſſet, poſſe eam bibliothecam augeri ſpoliis captivæ
Græciæ redemptis, quæſitiſque undequaque codicibus MSS., quorum adhuc numerus in
Græcia ſupererat maximus. Id cùm Laurentio ſignificaſſet, pollicitus operam ſuam ac
diligentiam, ille non annuit ſolùm, verùm & preces addidit, quibus obſequens libentiſſimè Laſcares, literis dumtaxat commendatitiis acceptis ad Actores Laurentii, profectus
eſt Conſtantinopolim. Amurathen II. Turcarum Imperatorem, quem ſciebat in rebus
Philoſophicis abundè verſatum, & erga Laurentium optimè affectum, adiit, atque ab
hoc poteſtatem faciente, datis etiam ſatellitibus, ne qua illi vis, aut fraus in emptionibus librorum fieret, Græciam Aſiamque percurrit, & codicibus pluribus emptis, plurimis futuræ emptioni obligatis, onuſtas naves exuviis pretioſis captivæ Græciæ in Italiam deduxit. Harum pulcritudine, pretio, ac utilitate mirum quantum delectatus Laurentius, vix Laſcarem in Italia tres menſes morari paſſus remiſit in Græciam, ut reliquos, quos ejus ſumptibus deſtinaverat, ſoluto pretio, Florentiam transferret. Hoc ille gnaviter præſtitit, iterum allocutus Amurathen, atque ab eo pari benignitate, amplioribus beneficiis cumulatus. Rediit ergo, expilatâ penitus Græciâ, ejuſque ſapientiſſimis opibus Florentinam bibliothecam ditavit, quam deinde Catharina Regina magnâ
ex parte ereptam Italiæ Gallis in regiâ bibliotheca fruendam habendam dedit. At Laſcares nondum delatos è Græcia codices in ordinem redegerat, cùm Laurentius exceſſit è vitâ. Ejus obitum in Italia Martis furor ſecutus è proximo eſt, Galliſque Florentiâ potitis bibliotheca diſcuſſa, labefactata: illi præpoſitus Laſcares Caroli VIII. partibus
adhæſit, à quo, quemadmodum & à ſucceſſore Ludovico XII. tanti eſt habitus, ut utriuſque diu apud ſummos Principes, ac diutiùs Venetiis Orator fuerit Græcus homo, qui
olim Venetiis pene non mendicaverat. Demum à Leone X. Pont. Max. Romam evocatus, ut inter amicos illi à ſanctioribus conſiliis eſſet, eidem auctor fuit, ut è Græcia nobiles pueros adduceret, quibus ipſe ludum inſtruxit in Quirinali, ne græca lingua penitus interiret. Vir fuit doctiſſimus, ſi quis alius, valebatque (3) maximè græcâ & latinâ
facundiâ, ſed adeo deſidioſus, ut exoratus, quò tandem Græca aliqua verteret, vix Caſtrametationem Polybii amicis efflagitantibus ediderit, dicere ſolitus, quod & Argyropulus, probri loco ſibi eſſe, ſi ſe interpretem alienorum profiteretur. Suorum quoque
parciſſimus, quæ plura Græcè, & latinè carmina ſcripſit elegantiſſimè, recenſenturque
à laudato ejus nepote, clam eſſe voluerit, nec niſi juſſu Leonis, & quidem non ſemel
importuno, aliqua paſſus ſit in publicum prodire. Cumulatus congiariis, & Eccleſiaſticis cenſibus, quidquid inde utilitatis proveniebat in dies, in dies quoque ad ſumptus,
queis magnificè utebatur, impendit aſſuetus honeſtis conviviis amicos excipere, & in
Græcos egenos, præſertimque in pueros nobiles, quos Romam erudiendos adduxerat,
erogare. Podagrâ laboravit perpetuò, qua etiam extinctus eſt nonagenario major, non
ſanè an. MCDLXXXIX. quo male ſignatur à Frehero (4): quippe qui vixit Leone X. Pontifice, ſed anno, quem ejus nepos notat MDXV. Sepultus eſt in æde Gothica S. Aghatæ in Suburra; ipſeque ſibi Epitaphion Epigramma conſcripſit, quod ineptè latinum fecit
Majo-

(1) De familia ſua, & Joan. Patruo Epiſt. ad Card. Aragonium. (2) Ex Tabulario Cydoniæ Venet. p. 134.
(3) Jovius Elog. p. 59. 60. (4) Tom. 2. P. 4. p. 1430.

Majoranus apud Iovium (1), ut bene ſubnotat Ioannes Laſcares junior, ex quo ſua habet, multis omiſſis idem Jovius & alii, atque inter hos luculentiùs Varillaſius (2).

1521 LII. SILVESTRUM PRIERIUM magni nominis Theologum, & ſtuduiſſe Patavii conſtat ex iis, quæ memorat Deſiderius Lignamineus (3) ejus condiſcipulus, & confirmat uberrimè Salomonius (4) ex monumentis cœnobii ſui, ex quibus tamen non certò conſtituit, eundem Prierium, in hoc noſtro gymnaſio Theologiam publicè fuiſſe profeſsum, ac ſucceſsorem ex conjectura facit extitiſse Ludovici Ferrarienſis, qui primus gymnaſio noſtro viam Doctoris Angelici demonſtravit (5). Nam cùm nuſquam in albis Profeſſorum hoc nomen appareat, nullaque apud nos memoria ſit, qua Theologus Patavinus Prierius comprobetur, fruſtra id ex Ghilino (6) colligitur, ſcribente Prierium è ſede publica Patavii docuiſſe Theologos, aut ex ipſo Prierio aſſerente idipſum ſe præſtitiſſe Patavii; Lignamineus enim non aliud affirmat, quàm in cœnobio ſuo, atque adeo privatim, hoc munere functum, & Ghilinus, quòd hic ſtuduerit, & inter alumnos Gymnaſii noſtri celeberrimus fuerit, cum gratis ad publica ſubſellia provexerit. Quidquid ſit, cum nobis minimè conſtet, eum publicum fuiſse Theologiæ Profeſsorem, quod conſtat, ſequimur, & alumnis virum eximium clariſſimis annumeramus. Natus eſt in ſubalpinis, patriam ignoramus. Profeſsus Prædicatorum ſacerrimum ac doctiſſimum Ordinem Patavii Philoſophiæ ac Theologiæ, ſacris etiam Canonibus, & Juri Civili operam dedit: ex his autem ſcientiis ac præſertim ex Ariſtotelica Philoſophia, & ſacrâ Thomiſtarum Theologia eam ſibi famam ſapientiæ fecit, ut viſus ſit ſuâ ætate parem nullum, præter Cajetanum Cardinalem de Vio, habuiſse. Hoc quoque major habitus eſt, ſi minus in ſeverioribus diſciplinis, at certè propter eloquentiam, quâ Eccleſiaſtes eloquentiſſimus in pleriſque majoribus Italiæ urbibus conciones habuit frequentiſſimas, & animarum saluti perutiles. Hinc Reipublicæ Venetæ commendatus, ad ſedem Patavinam Theologicam invitatus, fortè ſe ſe excuſavit ut Romam proficiſceretur, quò accitus publico ſtipendio militans Theologiam doctiſſimè interpretatus eſt diu, donec perfunctum omnibus honoribus, & officiis Ordinis ſui, jamque maximis deſtinatum Leo X. ad præclariſſimum Magiſtri S. Palatii munus evexit. In eo pro dogmatibus Orthodoxis adverſùs Martinum Lutherum ſtetit murus æneus, primuſque ſtolidiſſimas hæreſes Arctoi nebulonis damnavit, ac libris editis perculit. Ab eodem Pontifice Vicarius Generalis Ordinis ſui dictus eſt, deſtinabaturque ad purpuram Eccleſiæ Senatoriam, ſi non cum tantæ dignitati nondum planè ſenem mors præmatura ſubduxiſset. Obiiſse enim dicitur ipſo anno emortuali Leonis, ſed ante illum, Chriſti videlicet MDXXI. Edita ſunt ejus Opera latina, & Italica, quorum ſubjicimus titulos (7).

Latina.

Errata & argumenta Lutheri detecta & repulſa.
Additiones ad IV. libros Capreoli.
Meditationes Paſſionis Chriſti D. N.
Comment. in 4. libr. Magiſtri Sententiarum.
Defenſorium Doctrinæ D. Thomæ.
De obſervatione morientium.
Confeſſionale majus & minus.
Libellus Exorciſmorum.
Summa de Peccatis, quæ Silveſtrina dicitur, opus notiſſimum.
Hiſtoria de Beatiſſima Virgine. De S. Maria Magdal. cum dialogis.
Expoſitio Miſſę & de Immolatione Agni Paſchalis.
Aurea Roſa, ſeu Sermonum Volumen.
De Strige Mazarum, Dęmonumque mirandis.
Quęſtiones LXIX. ad Evangelia totius anni Dominicalia.
Quęſtiones ſeu Caſus impertinentes LXV.
Sermones de Sanctis & Quadrageſimale.
Apologia de convenientia Inſtitutionum Romanę Eccleſię cum Evangelica libertate adverſùs Lutherum.
Compendium logicę cum Introductione ad eandem.
Apologia de ſecundis Intentionibus.
Comment. in Spheram Jo. de Sacroboſco, & in Theoricas Planetarum.
Opus, quatuor Volumina continens, in quo dicta D. Thomę ſummo labore per annos octo complexus eſt.

Italica.

Scala S. Amoris.
Summarium pro Confeſſoribus.
Tractat. de Regina Cœli.
Tractat. de Natalibus, de Vita, & Morte.
Vita S. Marię Magdalenę cum additionibus & annotationibus.
Trialogus querelarum.

LIII. MATTHIAS MICHOVIUS à cognomine oppido Poloniæ appellatus, in albis
1523 Polonorum (8) notatur an. MCDLXXIX. lauream doctoris Medici reportaſſe poſt annos tres

(1) d. p. 60. (2) In Anecdot. Medicez Dom. lib. 4. p. 182. 184. (3) Hiſtor. Cœnobii S. Auguſt. poſt medium. (4) Collect. ad Inſcrip. Gym. (5) Tomaſ. Gym. d. p. 281. (6) Vol. 1. Theatr. p. 109. (7) Ex Ghilino loc. cit. (8) Collect. Salom ad cum Annum.

tres arti Jatricæ impenſos. Cracoviæ liberaliter inſtitutus (1), imbutuſque Ariſtotelicâ Philoſophiâ ad habendas Phyſicas notiones animum convertit. Luſtratis proinde ad hoc ipſum Academiis Germanicis in Italiam venit, hæſitque Patavii: undè doctor cùm remeaſſet in patriam, brevi, parem ſibi, ut habet Simon Stravolſcius, vix ullum in totâ Poloniâ, ſuperiorem certè neminem in re medicâ reperit. Ob nominis celebritatem, artiſque præſtantiam à Sigiſmundo I. Sarmatiæ Rege in aulam accerſitus, curam egit valetudinis regiæ Archiatrus in ea gente ſummi nominis. Tandem aulicæ vitæ pertæſus, ſe ſacris addixit, auctuſque dignitate Canonicâ, inde & ex aliis Sacerdotiis dives, opes ac proventus eccleſiaſticos in bonum publicum & cauſas pietatis religioſiſſimè contulit, ut narrat idem Stravolſcius, conſulendus ab iis, qui plura ſcire deſiderant de hoc viro, quem Continuator Baronii ut claſſicum Auctorem rerum Polonicarum paſſim provocat ad teſtimonium.

Scripſit enim

Annales Polonicos, & utriuſque Sarmatiæ Hiſtoriam.

Libellum de conſervanda ſanitate doctum, perutile, & maximi ſemper habendum, & habitum.

Obiit Cracoviæ A. MDXXIII.

CAPUT XIV.

Paulus Bonus Zabarella. Bellinus Martyrologus Stephanus Venturatus. Hieronymus de Hippolyto. Joannes Cuſpinianus. Hieronymus Atheſtinus. Antonius Gazius.

LIV. PAULUS BONUS Patavinus hoc tantùm agnomine Pignorio (2) notus eſt; 1525
Scardeonius (3) illi aliud adjungit, quo ſit Zabarella. Ab ineunte ætate Religioni addictus in ſodalitio Eremitarum S. Auguſtini fuit, coluitque ſummo ſtudio gymnaſium patrium, in quo cum ſe probè humanioris literaturæ opibus inſtruxiſſet, miros in Philoſophicis & Theologicis progreſſus fecit, oraculi inſtar habitus inter ſuos, & in collegio Patavino penè omnium arbiter. Nec minus claruit ex eloquentiâ, quâ, ſi credimus Pignorio, ita flectebat animos audientium, ut Herculis Gallici modo ad quamlibet vel mœroris, vel ſpei, terroriſque ac lætitiæ affectionem commotionemque volentes nolentes abriperet. Pervagatus nobiliores Italiæ ſuggeſtus, eas opes congeſſit, quibus in cœnobio ſuo munificè ædificavit ædes & porticus, tandemque creatus Argolicenſis Epiſcopus, penes Patavinos Pontifices Propræſulem reliquo vitæ tempore utiliter egit, & glorioſè, ex eo præſertim, quod cum pro Antiſtite magno gymnaſii Cancellario interecrat doctorum inaugurationibus, non niſi præmiſſo ſermone facundiſſimo, qui fluminis inſtar ex tempore redundaret, poteſtatem conferendæ laureæ faciebat. Vivens cineribus ſuis ſumptuoſum ſepulcrum extruxit apud Eremitanos ſuos, in ſacello Ovetariorum: in illud illatus eſt anno, quo obiit MDXXV. VIII. Kal. Auguſti. Edidit

Libellum celeberrimum de *Reformatione Eccleſiæ ad* Clementem VII. Pont. Max. oſtenditque, non aliter rabiem Hæreticorum retundi, quàm curiæ modeſtiâ, & probitate Clericorum.

Enarrationem Septem Pſalmorum, qui nomen habent à Pœnitentiâ.

Concionum Italicarum Volumina II. quæ maximè commendantur à Pignorio.

Librum *de Natura mirabilibus*, ubi multa congeſſit in unum ſcitu digniſſima, & curioſitati maximè placitura.

LV. Eremitano Scriptori Patavino Patavinum alterum ex eodem Ordine longè notiorem ex uno tantum opere addimus BELLINUM. Is alumnus gymnaſii noſtri (4), ex quo 1526
doctor Theologus prodiit, immortalitatem nominis meruit (5), quòd inter primos, ni primus omnium, edidit & emendavit Martyrologium Romanum, tanto totius Italiæ cum plauſu, ut intra menſem mille exemplaria diſtracta ſint, oportueritque anno eodem librum utiliſſimum, & ab omnibus expetitum iterum iterumque recudi. Hæc Patavini Theologi gloria deinceps emarcuit, tandemque etiam contabuit, poſtquam idem Martyrologium emendatiſſimum prodiit an. MDXCV. cum notis doctiſſimi Baronii. Citatur attamen paſſim Martyrologium Bellini à Martyrologis. Æqualis fuit concivi ac ſodali Paulo Zabarellæ, nec diu ipſi ſuperſtes fuit, cum ejus obitus à Pignorio notetur an. MDXXVI.

LVI.

(1) Simon Stravolſcius. Vit. 100. Illuſtr. Polon. Script. (2) De Ant. Script. Pat. ad Molin.
(3) Lib. 2. Claſſ. 7. p. 153. (4) Pignor. de Ant. Script. Pat. ad Molin. (5) Scardeon. ibid. p. 153.

Digitized by Google

1527 LVI. Anno ſequenti MDXXVII. ad plures abiit STEPHANUS VENTURATUS Patavinus, quem Pignorius (1) poſt Scardeonium (2) claris Scriptoribus Patavinis annumerat, & ex eo multum admodum aſſerit claruiſſe gymnaſium, in quo unus inter diſcipulos auſus eſt Platonica theoremata contra Peripateticos omnes tueri acriter, non ſine vituperatione Ariſtotelis. Hinc toti Philoſophorum collegio deteſtabilis, ne ad examinis quidem diſcrimen admiſſus eſt, vertitque ferox ingenium ad Scribarum officia, quę ſummâ fide, ſummâ virtute & diligentiâ apud Prætores Venetos, ubique laudatus, ſemper certatim expetitus, exercuit. Erat quippe non Philoſophus tantùm, ſed & Orator egregius, & Poeta in carmine latino & Italico peritiſſimus. Morte uxoris ac filiorum revocatus Patavium, precibus collegii Canonicorum Eccleſiæ Patavinæ dedit, ut Scribæ munus in eodem collegio ſuſciperet, eoque functus eſt toto tempore Cameracenſis tumultûs, poſt quem relatus inter ſuſpectæ Venetis fidei Patavinos, vocatus Venetias, ibi egenus, incommoda omnia exilii perpeſſus eſt, tandemque indulgentiâ Senatûs in oppidum Meſtrum â Prætore Scriba deductus, mortifero morbo contracto, ibidem eo, quo diximus, anno nondum ſenex planè mortem ac ſepulcrum invenit. Scripſit *Orationes multas*, quarum tres celebrat Pignorius adversùs Ariſtotelem pro Platone. *Commentaria breviſſima*, ſed & luculentiſſima *in omnes Platonis Dialogos, & in Periarchon Origenis. Carmen heroicum inſcriptum; Platonis Apotheoſis, & Epigrammata* multa. Italicè edidit *Dialogum de Officio Scribæ Pretorii*. A Scardeonio (3) celebratur ex annalibus Patavinis ab an. MCLXXIV., quo Patavium totum fermè conflagravit ad an. MDXXIII. Habebatque hos annales Scardeonius autographos, qui certe perierint, quando eorum non meminit Pignotius.

1528 LVII. HIERONYMUM DE HIPPOLYTO Archiepiſcopum Tarentinum falsò quidam publicè docuiſſe ſcribunt Theologiam apud nos, cum in ſerie Theologorum, qui doctrinæ Thomiſticæ militarunt in gymnaſio noſtro, nullus ejus locus ſit, aut eſſe poſſit. Primo enim Theologo à ſede Thomiſtica inſtituta Patavii an. MCDXC., Ludovico nimirum Ferrarienſi, ineunte ſæculo XVI. ſucceſſit Gaſpar Peruſius, cui anno MDXXXI. Thomas Omnibonus Venetus ex albis gymnaſticis & Tomaſino ſufficitur, quo anno jam Hieronymus Tarenti deceſſerat Archiepiſcopus. Hinc nos eum ad hanc operis claſſem deduximus, quando conſtat ex Lignamineo hic eum ſtuduiſſe (4), atque laudati Ludovici Ferrarienſis fuiſſe diſcipulum. Natus eſt Monopoli, quæ maritima urbs eſt Apuliæ Peucetiæ ſub Archiepiſcopo Barenſi: adoleſcens à patre mercatore deductus Venetias, ibi ſe Ordini S. Dominici nondum ætate major addixit, ut conſtat ex epigraphe in cœnobio SS. Joannis & Pauli, ubi religionis tyrocinium poſuit. Studuit deinde Patavii, ubi & inſignia Theologiæ conſecutus eſt de manu Ludovici Ferrarienſis, & florere cœpit inſigni gloriâ ſummi Philoſophi & Theologi. Utramque ſcientiam docuit Neapoli, deinde etiam apud ſuos Patavii, atque hic ea ſcripſit, atque edidit Venetiis, ex quibus claris alumnis artium Patavinarum adſcribitur, doctiſſima ſcilicet *Commentaria in libros Sententiarum, & in Quodlibeta D. Thomæ*, quæ Clementi VII. dedicavit. Is eum Romam accerſitum Archiepiſcopum Tarentinum renunciavit an. MDXXVIII. VI. Idus Januarii, ut notat Ughellus (5). Vix Menſes octo dignitati ſuperſtes fuit, obiitque Viterbii Menſe Auguſto, conditus in communi oſſuario templi S. Mariæ ad Gradus. De eo præter laudatos aliqua Toppius (6).

1529 LVIII. JOANNEM CUSPINIANUM alii Viennæ in Auſtria natum dicunt, alii & veriùs Svinfordiæ in oppido Franciæ Orientalis (7). Humaniores literas & Philoſophiam Viennæ didicit, majoribus diſciplinis Patavii ſe inſtruxit, atque hìc earum, quas apud ſuos comparaverat, ſe titulis inſignivit. Hìc fuit auditor Thomæ de Vio Cajetani, Medicinæ verò ſe dogmatibus imbuit præceptore Petro Roccabonello Veneto, ut ipſe profitetur ſub initium, & in fine Protreptici: nec Juriſprudentiam ſpreverit, cujus ſe peritiſſimum probat paſſim in ſuis eruditiſſimis ſcriptis. Hìc etiam lauream acceperit, cùm in albis Germanorum à Salomonio collectis (8), Joannes Cuſpinianus Franco doctor Artium appelletur Syndicus I. N. G. Et doctorem illum fuiſſe ſaltem Philoſophiæ, clarum ex eo eſt, quod Viennæ deinde Joanni Stabio in maximâ eruditorum coronâ Philoſophicam & Poeticam laurum tradiderit juſſu Maximiliani I. Huic Cæſari Cuſpinianus ſtatim ac rediit in Germaniam cariſſimus fuit; adſcituſque in Senatum nondum planè vir, miſſus eſt Orator in Pannoniam, Bohemiam, & Poloniam, undè redux, cùm deinceps intra quinquennium quater & vicies præclariſſimis ad Pannonas legationibus fuiſſet perfunctus, ipſi Senatui Vindobonenſi, cui erat adſcriptus, præfectus

(1) loc. cit. (2) lib. eod. Claſſ. 10. p. 241. (3) d. p. 241.
(4) hiſtor. Cœnob. S. Auguſt. poſt Med. Collect. Salom. ad Inſcript. Gymn. (5) Tom. 9. p. 146. n. 69.
(6) Biblioth. Neapol. p. 158. (7) Freher. Tom. 1. P. IV. p. 1440. (8) ad An. 1487.

præſectus eſt. Hos ille honores ſibi conciliabat egregiâ formâ corporis, raris animi dotibus, prudentiâ præſertim, dexteritate in pertractandis negotiis, ſed & multiplici rerum, ſcientiarumque notitiâ, ex qua Juriſconſultus, Medicus, Poeta, & Hiſtoricus præſtantiſſimus habebatur: Politicus autem uſque adeo perſpicax, tantæque apud Cæſarem fidei, ut ejus conſilio extremis annis duodecim familiariſſimè in rebus difficillimis uteretur, ac ſæpè in multam noctem cum eo de potiſſimis Imperii arcanis prolixis colloquiis diſceptaret. Vir tot curis, officiis, ac muneribus diſtentus, vix juſtum habuit tempus, quod lucubrandis concederet libris. Subſecivis attamen horis non pauca conſcripſit, quorum aliqua non potuit abſolvere morte præreptus, obitâ Vindobonæ an. MDXXIX., ætatis LXVI. Ejus opera edita.

De Cæſaribus & Impp. Romanis Comment. editus cum annotationibus Gerbellii.
Hiſtoria Auſtriæ & Hungariæ Comment.
Oratio Protreptica, ſeu Protrepticon ad Fidei Tutelam.
De Conſulibus Romanorum Comment.
Diarium de Congreſſu Cæſaris Maximiliani Auguſti & Regum trium.
Opera Hiſtorica de rebus Germanicis.
De Turcarum Origine, Religione, & in Chriſtianos Tyrannide.

LIX. HIERONYMUM Sacerdotem Atheſtinum, tum Scardeonius (1), tum Pigno- 1530
rius (2) non alio agnomine celebrant inter inſignes gymnaſii noſtri diſcipulos, & Scriptores Patavinos, ſive id illi gentilitium fuit, ſive deductum ex Atheſte patria. Pignorius eum inter præclaros Philoſophos collegii Antenorei numerat, & ex eo ſua ætate notiſſimum aſſerit, quod Averrois doctrinam commentatiis doctiſſimis illuſtraverit, atque illam peculiariùs, quæ de multiplici eſt intelligentia, undè probavit non inferri animorum mortalitatem, quæ dogmatibus Peripateticis tribuebatur. Scripſit etiam acutiſſimum librum, quo Zenonis Atomos propugnavit in explicatione Continui & Quantitatis, quam alii in partes infinitas poſſe dividi cenſent, non bene intellecto Philoſophorum Antiſtite. Scardeonius omittit hæc omnia, atque Hieronymum claris Poetis annumerandum exiſtimat ex eo carmine, quod edidit de geſtis Atheſtinorum, dicatumque Joanni Bardolino longâ Præfatione munivit ad Petrum Philippinum ſcriptâ, cui ſubditur Philippini reſponſio: utrobique autem ſe invicem laudant mutuis officiis, qualia leges in quorundam recentiorum opuſculis, quæ nemo non rideat. Cæterùm in hoc, quod legimus, carmine, Hieronymus verſificator eſt potiùs, quàm Poeta: ita languent omnia in macilentâ phraſicularum congerie. Potius mihi Poeta eſt viſus in hiſtoriâ, quam ſcripſit de Origine Urbis Patavinæ, cujus auctorem ab ultimâ ſtirpe facit Pallum quendam Dardaniæ gentis, vel ipſis fabuloſis temporibus, quibus unicè ſua debent initia pleræque Italiæ urbes, inauditum, qui monitu Sibyllæ Euganeam urbem ad Braydanum Montem, qui nunc Rubeus dicitur, condiderit. Pura ſomnia, quæ nec ipſi quidem Scardeonio placuere, diſplicuerint Pignorio, qui virum hunc neque claris Poetis annumerat, & hiſtoricum prorſus ignorat; ex uno acumine Philoſophico memorabilem cenſet. Obiiſſe Patavii creditur circa an. MDXXX. Sepultum (3) ferunt ad D. Michaelis, ubi Monachorum Vicarius curam animarum multis annis egit. Ibi tamen titulus ejus nullus eſt, quem legimus cum fratre ſignatum hoc rudi diſticho in Baſilica Antoniana (4).

Hieronymi & Pauli Fratrum, quos nobile Caſtrum
Eſte tulit, proliſque ſuæ lapis iſte ſepulcrum eſt.

Sed fortè majorum hujus Hieronymi is tumulus fuerit, ut videtur ſignificare Pignorius (5).

LX. Ad an. MDXXX. refert obitum ANTONII GAZII Pignorius (6), qui ex ejus
extremis tabulis conſtituit, eum hoc anno teſtamentum condidiſſe, quo caverit, ne 1530
corpus ſuum ſepulcro Majorum, quod ſtatuâ ſuâ fictili auxerat, conderetur: quippe (7) eam regreſſus in patriam non invenit occluſam, ſed patefactam, & mutilam; quamobrem ſe condi voluit ad D. Franciſci, quo in loco Sculptoris incuriâ factum ſit, ut pro anno, quem ſignavimus, irrepſerit an. MDXXVIII. quem ſequitur Scardeonius (8), & ex eo cæteri cum Salomonio. Hæc familia, quæ honeſta admodum eſt Patavii, Cremonâ oriunda eſt, undè huc migraſſe videtur ex traduce cum Jambonino de Gazo Cre-

(1) lib. 2. Claſſ. 10. p. 245. (2) de Ant. Script. Pat. ad Molin. (3) Scard. loc. cit.
(4) Salom. Inſcript. Pat. p. 409. n. 250. (5) loco cit. (6) dict. Epiſt. ad Molin. de Ant. Script. Pat.
(7) Scard. lib. 2. Claſſ. 9. p. 218. Salom. Inſcrip. Pat. p. 84. n. 240. in marg.
(8) d. p. 218.

zo Cremonenſi, qui doctor Pariſienſis ſcientiæ Medicæ, hic ſorte artem eandem profeſſus eſt, jacetque in remplo in urnâ marmoreâ poſitâ ſublimi loco ad D. Auguſtini (1). Ex ejus poſteritate ortus Antonius, doctor Medicus ex gymnaſio patrio, inſigni virtute & gloriâ nominis non admodum feliciter Medicinam fecit in patria, unde profectus accituſque ad praxim à mulris urbibus diu exrra Paravium artem exercuit ſummâ ſapientiæ peritiæque Jatricæ cum exiſtimatione. Dives congeſtis mercedum, ac ſtipendiorum opibus nondum ſenex rediit Patavium, ut ſcribendis, poliendiſque multis, quæ ſcripſerat, ætatem reliquam daret. Sed eum immarura mors abſtulit III. Nonas Septembris anni proximè relati. Anno æratis XXVIII. edidit librum de conſervatione ſanitatis, quem *Coronam floridam* appellavit. Laudarur ex hoc ſummopere, & Medicus dicitur in Philoſophia egregiè doctus à Symphoriano Camperio (2), quo teſte, ſuit in ſacris quoque literis non mediocrirer eruditus, ingenio ſubtilis, eloquio clarus, qui mulra ſcripſerit & præclara. Ea recenſet prolixè Pignorius ex bibliotheca D. Franciſci Patavii, quæ quòd nobis nota haud ſunt, & ſorte ibi jampridem in ſorulis pabulum tinearum ſint, indicta nobis ſunto, & apud Pignorium à curioſioribus leguntor.

CAPUT XV.

Varinus Favorinus. Franciſcus Savonarola. Bilibaldus PircKeimerus. Angelus Bologninus. Hieronymus Aleander Cardinalis.

1537 LXI. CErtum eſt ex Epiſtola ipſius (3) VARINI FAVORINI ad Cajetanum Tienæum celeberrimum XV. ſæculo Philoſophiæ Profeſſorem Patavii, eum hic aliquandiu bonis artibus dediſſe præclaram operam. Aſſerit enim ſe eo uſum præceprore in arcana ſapientiæ Phyſicæ pervaſiſſe, Græcas literas à Chalcondyla didiciſſe Patavii, & quædam eriam ad mores pertinenria, ex prælectionibus Cæpollæ, viri, ut ſcribit πολυμαθεστάτου καὶ τιμιωτάτου hauſiſſe. Natus eſt Camerini in Umbria, arque indole ex ingenio ad literas propenſâ, nondum adoleſcentiam egreſſus in clariſſimis ea tempeſtate gymnaſiis verſatus eſt. Recepit deinde ſe Florentiam (4), ibique Silveſtrinum Ordinem profeſſus patronos habuit, ac prope dixerim educatores Mediceæ domus liberaliſſimos Principes. His opirulanribus, ac præſertim Juliano Mediceo humaniores literas uberiùs addidicit apud Angelum Politianum, quo tunc Magiſtro utebarur Joannes Medices, fururus Cardinalis, mox Pontifex Max. Leo X. Huic Varinus Hypodidaſcalus fuit. Quamobrem vera nobis affirmanr rum Politianus ipſe, tum Scriptores alii, cùm ille Varinum diſcipulum ſuum dicit, hi Leonem X. Varini diſcipulum autumanr. Ab hoc jam Pontifice Varinus ex erudirione Græcâ & latinâ jam rum præclariſſimi nominis Nucerinus Epiſcopus renunciatus eſt an. MDXIV. Inrerſuit Lateranenſi Concilio ſub Leone, obiitque in Eccleſiâ ſuâ poſt ann. MDXXXVIII. Sepulcrum ſibi paraverat vivens, quod ſic inſcripſit Græcè (5).

Βαρῖνον
Τὸν τῆς Μεδίκης οἰκίας τρόφιμον
Ὃν δὲ ζῶντι ἀνόμοιον βλέπεις.
Ὅς τῷδε σήματι κείμενος
Πανταχοῦ γῆς παρὰ τοῖς πεπαιδευμένοις καλῶς ἀκούων
Τῆς ἀρετῆς ἀγηράτῳ χρώμενος ἐπαίνῳ
Ἡδίστου τῶν ἀγρυπνιῶν καὶ πόνων
ἀπολαύει καρποῦ

Varinum
Mediceæ Domus alumnum
Sic viventi diſſimilem vides.
Qui hoc in tumulo jacens
Ubique terrarum apud doctos bene audiens
Et Virtuti, quæ extra ſenectutis aleam eſt, laude utens
Suaviſſimo vigiliarum, & laborum
potitur fructu.

Scripſiſſe

(1) Salom. loc. cit. (2) lib. de Illuſt. Medicis. (3) eſt 18. inter ejus Epiſtolas Græcas.
(4) Ughell. Tom. I. p. 1072. n. 42. (5) apud Ughell. ibid.

Scripſiſſe multa fertur, nobis non alia nota ſunt, præter Commentarium in Apophtegmata Græca, quem Epiſtolis XXX. Græcis totidemque latinis auget, ex quibus opuſculum leve ſatis & non integræ laudis, atque etiam ex Proverbiis Apoſtolii plagiò deceptum, vitam, & commendationem vix aliquam apud eruditos viros meretur. Ex eo tamen vir hic celeberrimus poſteritati vivit, ac vivet venerabilis ſemper, quòd Lexicon ingens ediderit linguæ Græcæ ampliſſimum, & opulentiſſimum promptuarium, non latinis dumtaxat, ſed etiam Græcis, atque his maximè uſu perpetuo commendatum. Illud nuperrimè, juſſu ſumptuque bonæ ſed & infelicis memoriæ Joannis Conſtantini Baſarabæ Daciæ Tranſiſtranæ Principis recuſum eſt typis Venetis Bortolianis.

LXII. FRANCISCUM SAVONAROLAM nobiliſſimâ gente planeque patricia Patavii progenitum, ex his, quæ legere contigit, ſuntque illa, quæ jure optimo commendat 1539
Scardeonius (1), Poetam eximium, nec ulli ſuâ ætate minorem, nemo ibit inficias. Prodiit e gymnaſio noſtro Philoſophus, & in humanioribus literis, præſertimque ornamentis Poeticis inſtructiſſimus. In his elegantiæ ac nitori latinitatis defæcatiſſimæ ſupra ſæculi ſui morem ac ſtylum, adjectum obſervamus acumen, leporem, argutumque dicendi genus, ex quo maximè deficit laudatum hac noſtra ætate penes quoſdam puros Grammaticos XVI. Sæculum. Pungunt, ut bene Scardeonius notat, confirmatque Pignorius, ejus pulcherrima carmina, ſimulque leniunt: argute carpunt, & multo lepore ac ſale interim condita delectant. Hendecaſyllabi, quibus catellum ſuum jocosè ac ingeniosè commendat Lucillo Beraldo nobili ac erudito viro, cum poſcenti Meliteæ ſuæ maritum, ſi minus cultè delicatève, certè non minus fluunt, rapiuntve lectorem, quàm quæ ſcribit Catullus de amicæ Paſſere, aut Stella de uxoris Columba. Summa floret venuſtas in diſtichis ejus, quæ cuſis à Martiali paria dixeris, quandoque etiam elatiora. Nec aliter cenſendum de epigrammatibus ejus, in quibus nihil præter verſuum laſciviam licentiamque reprehendas, quæ tamen excuſari poteſt in juvene cæteroqui modeſtiſſimo, caſtiſſimoque, quippe id uſuvenit celeberrimis Poetis, ut annotat Sfortia Card. Pallavicinus (2) de Petrarcha ſcribens, quorum plerique ſua ipſi crimina ſimulabant, quæ jucundè ſcitèque concinerent. Scripſit & pulcherrima epitaphia mirabili elegantiâ & eximiâ venuſtate referta, quæ opportunè multis in locis operis ſui Scardeonius proponit, in unum collegit Pignorius. Relictis nobilibus filiis, ex quibus etiamnum claret hæc nobilis familia Patavii, immaturâ morte præreptus eſt Nonis Octobris an. MDXXXIX. Jacet in templo Carmelitarum conditus Majorum ſepulchro.

LXIII. BILIBALDUS PIRCKEIMERUS patre patricio Norico J. U. D. & omnium 1539
liberalium artium peritiſſimo, Alberti Bavariæ Ducis & Sigiſmundi Archiducis Auſtriæ conſiliario vitam auſpicatus eſt Norimbergæ an. MCDLXX, ut ſcribit Melchior Adamus (3) vel potius, quod verius ex dicendis videtur, novennio poſt. Literis maturè imbutus an. MD. Patavium venit legum addiſcendarum causâ miſſus à patre, qui hìc quoque Juriſprudentiæ operam dederat. At ſanè quamvis Pauli Otiani Brixienſis & Joannis Campegii auditor triennio, ita tamen ſe legum diſcipulum profeſſus eſt, ut reipſa humaniores litteras in deliciis habuerit, vacaveritque præſertim linguæ Græcæ, quanquam vetaret per literas perpetuò pater, moneretque, ne tempus tereret in re Juriſconſulto prorſus inutili. Sed intelligebat ille quanti ſit vera in homine, quamcunque ſcientiam profeſſo, & petita ex ultima antiquitate eruditio; mirabaturque, ut erat indolis lepidæ, & experrectæ, ſi Theutoni, etiamſi Juriſconſulto, cui pergræcari licet, Græcam noſſe linguam non liceat. Ferunt juvenem fuiſſe ſtaturâ prægrandi, viribus autem corporis adeo robuſtum, ut luctà, jactu, curſu æquales ſuperaret; ſaltu verò altiſſimos equos facilè tranſiliret. Morte patris à Juriſprudentiæ ſtudiis abſolutus, ad Artes convertit ingenium, atque hìc primum, deinde Ticinum profectus Theologiæ, Matheſis, Hiſtoriæ & Medicinæ notionibus avidiſſimum eruditionis animum imbuit: profecitque in omnibus ita, ut par ipſe unus fuerit cuicunque ſingulis in his artibus ac ſcientiis peritiſſimo. Hinc vix rediit Norimbergam, flagrante bello Cameracenſi, ſtatimque in Senatum lectus eſt, cui mens, oculus, manus fuit in omnibus, quæ paſſim ad utilitatem publicam agebantur, negotiis. Plures & quidem graviſſimas obiit legationes ad Maximilianum primum, & Carolum V. quorum uterque illum à conſiliis ſanctioribus inter paucos præcipuum voluit. Pluries impetratâ tot à tricis vacatione, ut ſibi ac ſtudiis genialibus vacaret, eâ diu frui non licuit, quippe ad eadem munera revocato, juſſoque adſumptis honorum inſignibus iteratò ſervire, ac ſaluti felicitatique publicæ poſthabere otium honeſtum; quod illi tandem podagricis doloribus paſſim crudeliter cruciato ea conditione conceſſum eſt, ut domi, ſiquidem in curia non poſſet, conſiliis ſuis adeſſet

(1) lib. 2. Claſſ. 10. p. 245. (2) Ep. dedicat. ad Carm. Ciampoli. (3) Vit. illuſtr. Juriſconſult.

Reipublicę. Vir fuit ſuę ętatis ſapientibus notus, & peramicus, quos inter numerant Jo. Franciſcum Picum Mirandulanum, qui de ejus emblemate, quod latè deſcribit Melchior Adamus, Epiſtolâ ad eum ſcriptâ Theologicè diſſerit. Vivere deſiit ſexagenarius ann. MDXXX. ſi Adamo credimus ex ejus Norimbergę ad S. Joannis ſepulcro hanc temporis epocham aſſerenti. Sed verius eſt obitum ejus producendum eſſe ad an. MDXXXIX. cum extet Epiſtola Hulrici Hutteni ad ipſum data an. MDXXXVIII. Edidit.

Apologiam ſeu laudem Podagra.

Deſcriptionem Germania Superioris & Inferioris.

Opera Politica, Hiſtorica, Philologica, & Epiſtolica.

Vertit è Gręco in latinum ſermonem Xenophontis, Ptolemęi, Plutarchi, & Nazianzeni non pauca Opera.

1540 LXIV. ANGELUS BOLOGNINUS è Plebe Sacci municipio Patavino, Medicę artis adoream promeruit in gymnaſio noſtro; verùm eam ejus partem inſigniter coluit, quę ab opere manuum nomen habet, & curationem vulnerum profitetur. Anatomes, & Chirurgię peritiſſimus, hanc aliquandiu docuit Bononiæ publico ſtipendio conductus. Verùm parvo contentus, & otii patrii percupidus recepit ſe apud ſuos, atque intra muros municipii ſui, donec vita ſuperfuit, ſe ſe continuit, ut ut ampliſſimis aliò uſquequaque evocaretur ſtipendiis; dicere ſolitus apud Pignorium (1), nihil amplius lare paterno, privato foculo nihil ſalubrius, nihil ditius commodâ paupertate. Annus ejus emortualis ignoratur. Vivo tamen ipſo edita ſunt an. MDXXXVI. non ſemel hęc opera.

De Cura vulnerum externorum.

De Unguentis communibus.

De Morbo Gallico ad Franciſcum Gonzagam Principem Mantuanum, ex quibus memoratur à Scardeonio(2), Portinario(3), & aliis.

1542 LXV. HIERONYMUS ALEANDER Cardinalis, eximium gymnaſii noſtri decus, natus eſt Mottæ in diœceſi Ceneteſi. Primum ſtudiorum tyrocinium Patavii poſuit, huc deductus à patruo ſcriba Hieronymi Vendrameni Prætoris Patavini, ejuſque deinceps ſumptibus altus educatuſque ſub diſciplinâ Marci Muſuri, ut ipſe teſtatur in Epiſtola Græca ad ipſum Muſurum apud Angelitam de Officiis Curiæ Romanæ (4), undè pleraque Victorellus habet: perrexitque deinde in ſeverioribus diſciplinis, præſertimque Philoſophia ſacrâque ſcientiâ eo progreſſu profectuque ad ſapientiam ire, ut ad ejus evaſerit apicem ope feliciſſimæ memoriæ, qua ita præſtitiſſe dicitur, ut varia Scriptorum volumina perlegentem, nihil rerum verborumve ſubterſugerit, quin ſingula memoriter quamvis à multis annis lecta ſemel, recitaret. Peritiſſimus linguarum Græcis atque Latinis ſermonibus, quaſi vernaculis uſus eſt. Hebraicas quoque literas, Judæis admirantibus ſolertiſſimè didicit. His animi ad omnem doctrinæ aleam verſatilis dotibus clarus Pariſiis Græcam linguam profeſſus publicè, gymnaſii quoque Præfecturam conſecutus eſt. Venit deinde Romam, eumque Leo X. doctorum virorum & judex acerrimus, & beneficentiſſimus Mecænas Bibliothecarium Apoſtolicum renunciatum, & titulo tenus Epiſcopum, Nuncium, ſeu minorem Legatum Marino Caracciolo comitem in Germaniam ablegavit (5) adverſus initia neſanda Lutheri. Eò profectus Fridericum III. Saxoniæ Ducem Pontificis nomine ſollicitavit, ut Lutherum, quæ ad eam diem peſtilentiſſimè deliraverat, revocare ac recantare cogeret, vel mandaret cuſtodiæ: cùmque Fridericus ex voto non reſpondiſſet, ex formula Pontificii decreti ſibi agendum ratus, lucubrationes deteſtabiles Hæreſiarchæ igni ex merito tradidit. Si Sleidano (6), aliiſque Sectariis præſtanda ſit fides, Aleander Eraſmo Roterodamo pinguem Epiſcopatum pollicitus ſit, ſi ſtrinxiſſet calamum in Lutherum, iſque pollicitationi Simoniacæ reſponderit: *major eſt Lutherus, quàm ut in illum ſcribere poſſim: imò tantus, ut ex Lutheri unica pagella perlecta plus erudiar, quam ex toto Thoma.* Dixerit quoque Georgio Spalatino concionatori aulico Septemviri Saxonici: *tametſi vos Germani, qui minimum omnium æris dependitis Romano Pontifici, jugum ſervitutis Romana excuſſeritis, attamen curabimus, uti mutuis cadibus abſumpti cruore veſtro pereatis.* Verùm hæc de tanto viro in vulgus ſpargere, ut res calumniæ ſimillima eſt, ita, quod probroſum calumnianti, nec probabilia ſanæ mentis dixerit quiſpiam, nec veriſimilia: cùm conſtet Aleandrum virum fuiſſe graviſſimum, prudentiſſimum, juris æque ac morum orthodoxę Eccleſiæ peritiſſimum, qui ſciret, neque in re ſacra paciſci ſas eſſe, & alienum à bonis moribus apud omnes cenſeri, in primiſque apud Eccleſiaſticos, quæ debentur Eccleſiæ extorquere minis, ingerentibus quod jure divino & humano vetatur. Et alioqui quàm ſępe ac planè ſtolidè in hiſtoriam audeat Sleidanus, cùm in Romanam Eccleſiam fabulas comminiſcitur, ut Sym-

(1) de Ant. Script. Patav. ad Molin. (2) lib. 2. Claſſ. 9. p. 220. (3) libr. 7. c. 6. P. 261.
(4) ex Annot. à Victorello in Alexandro. (5) Pallavic. hiſt. Concil. Trid. lib. 1. c. 23. & ſeqq.
(6) Hiſt. de ſtat. Relig. ſub Carolo V.

Symmiſtes Hæreticorum Teiſſerus multis contra conetur (1), notiſſimum eſt. Demus hæc igitur petulanti Maledicentiæ, quam ex adagio [illegible], inconſideratam Poetriam dicimus Græci. Romam regreſſum Clemens VII. ſacris Brunduſinis præfecit Antiſtitem obiter ſine delectu, ut ſcribit Jovius (2), hoc eſt nulla habita ratione meritorum ejus, quæ vir judicii profundi Paulus III. exploratiùs metitus ad Senatoriam Purpuram provexit. Et anno quidem MDXXXV. deſignavit (3), nec tamen in publicum protulit, quorundam ſermonibus territus, queis aſſerebatur, Aleandri Purpuram ingratam fore Cæſari Ferdinando, totique Germaniæ, quod acerrimè in Lutherum & aſſeclas ejus ac vehementiſſimè depugnaſſet; ſed cùm is timor fuiſſet opportunè diſcuſſus literis Ferdinandi, Orthodoxorumque Principum nunciis palam profeſſis, nunquam id, quod percrebuerat, ſibi veniſſe in mentem, nec repugnaturos ſe unquam tantæ virtuti meritiſſimi Præſulis, cum Pontifex Cardinalem renunciavit laudatum magnificè in publico Purpuratorum cœtu an. MDXXXVIII. V. Nonas Martii, ſimul ſanxit, eo illi jure utendum eſſe, quo reliqui, quorum creationem triennio ante vulgaverat. Eo Aleander honore non ampliùs quinquennio breviſſimè claruit (4): quippe nimiâ tuendę valetudinis curâ intempeſtivis medicamentis, ſibi ipſi dicitur infelix medicus viſcera corrupiſſe. Extremis tabulis bibliothecam ſuam Reipublicę Venetę, quam ſemper dilexit, & patronam unicam Italię libertatis appellare conſueverat, legavit. Juſſit in ipſo Teſtamento hęc verba literis aureis exarari: *in legationibus meis nunquam nummos accepi*, addiditque legem hęredibus, ut inſcribi tumulo ſuo hos verſus Gręcos curarent, quos nos latinos tantum legimus in hęc verba (5),

Exceſſi è vitæ ærumnis facilisque, lubensque:
Ne pejora ipſa morte debinc videam.

Et tamen inter extremos ſingultus fertur iratus ſuccenſuiſſe morti, quòd ipſi per illam non liceret climactericum annum attingere; conſumpruſque tabe Romæ deceſſit an. MDXLII. ætat. LXII. ſepultus eſt in æde Tranſtiberina S. Chryſogoni, undè ejus exuviæ Mottam tranſlatæ jacent in templo primario S. Nicolai. Scripſiſſe eum multa non dubium eſt; quod ſciam, edidit nihil. Inter MSS. Eudæmonioannis erat ejus Oratio prolixa habita coram Carolo V. in Conventu Vormatienſi an. MDXX. ea nervoſa quidem ſatis eſt, & multâ eruditione notabilis, at barbaro itidem ſtylo ac tetorrido ſcripta; & laboraſſe eum ſanè hac dicendi ſcribendique barbarie notat Jovius (6), conatumque fruſtra devexâ jam ætate illam emendare. Ex hac multa Sfortia Cardinalis Pallavicinus mutuatus eſt, quæ ſtylo ſublimi, doctè, eleganter, inſigniter explicat in admirabili concione, quâ Nuncium Aleandrum inducit ad Ordines univerſos Imperii coram Carolo V. ut diximus (7), perorantem. Hanc perlegant fartores elocutionis elanguidæ, quorum unum opus eſt Scriptorum XV. Sæculi phraſibus inſtupere: diſcantque, quid ſit, ſine nitoris ingenui diſpendio, grandia magnificè, ac ſublimiter eloqui.

CAPUT XVI.

Nicolaus Copernicus. Ambroſius Queſtellius. Hieronymus Borgia.
M. Antonius Flaminius. Ioachim Vadianus.

LXVI. NICOLAUM COPERNICUM Patavii Philoſophiæ ac Medicinæ operam 1543
dediſſe per annos quatuor, conſtat ex Polonorum albis, ubi diſcipulus dicitur Nicolai Paſſaræ à Genua, & Nicolai Verniæ Theatini, à quo ad utriuſque ſcientiæ lauream provectum, aſſerunt acta collegii Medicorum ad an. MCDXCIX. Is Toruniæ (8) in Boruſſia nobili genere natus poſt quàm è noſtro gymnaſio prodiit magnus & Philoſophus & Medicus, maximum ſe apud Polonos ac Boruſſos exhibuit, habituſque eſt ſui temporis Æſculapius, ut ſcribit Ghilinus. Rediit deinde in Italiam, ut quæ ſe doctore Aſtronomiæ ſtudia curioſus Cœleſtium ſpeculator inierat, expenſis Italorum obſervationibus conſumaret. Audivit Bononiæ profeſſorem Aſtrorum Dominicum

(1) addit. ad Elog. Thuan. Tom. 1. p. 109. & ſeq. (2) & Poſſev. in Apparat. & Maſcardo de Hiſt.
(3) Ughell. Tom. 9. p. 28. 41. (4) V. Ughell. ibid. & ex Victorello Oldoin. ad Ciaccon. T. 3. p. 633.
(5) apud Jovium ibid. p. 182. (6) ibid. d. p. 182. (7) ibid. lib. I. c. 25. à n. 8. 29.
(8) Ghilin. Theatr. Vol. 2. p. 198.

minicum Mariam, quem brevi ſuperavit eâ nominis famâ, ut Romam profectus Aſtronomiam publicè aliquandiu docuerit, &, ſi Ghilino credimus, diſcipulos inſtituerit multos, quos in illa facultate peritiſſimos miratum eſt ſæculum XVI. Evocatus ab avunculo Epiſcopo Warmienſi, in eâ Eccleſiâ Canonicus fuit; vacavitque deinceps accuratiùs Aſtronomicis contemplationibus, otio illo ſacro uſus, quo pacatiùs Cœleſtia meditaretur. Obiit an. MDXLIII. prope ſeptuagenarius Fravenbergæ in Boruſſiâ, ſepultus eſt in templo Warmienſis Eccleſiæ, hac epigraphe tumulo ejus impoſitâ (1).

Non parem Paulo veniam requiro,
Gratiam Petri neque poſco: ſed quam
In Crucis ligno dederas Latroni
Sedulus oro.

Anno ab ejus obitu XXXVIII. aliud Epitaphium illi Martinus Cromerus Epiſcopus Warmienſis imponendum curavit, quod leges apud Ghilinum (2). Pauca ab eo ſcripta novere typis; ea tamen tanti ſunt, ut nomen ejus immortalitati ſacraverint: nempe Epiſtola de Motu Octavæ Spheræ, & volumen celeberrimum de revolutionibus Orbium Cœleſtium in libros VII. diviſum, quod non niſi extremâ mortis ſuæ horâ typis editum vidit. In eo Copernicanum Syſtema ſtatuitur terræ ſe circa Solem moventis, atque ad calculum ita Planetarum vertigines evocantur, ut earum ſit centrum Sol. Syſtema damnatum eſt ab Eccleſia, novi tamen inventi ingenioſiſſimam rationem ita Gemma Friſius tuetur (3), ut ea non id ſtatuat, tanqnam Syſtema ſic ſe habeat neceſſariò, ſed ut habeant Mathematici certam regulam motuum ſtellarum. Sed quî hoc ipſum fieri aſſerive poſſit non video, cùm non intelligam, qua ratione ex falſa poſitione ſequi certitudo in conſecutionibus queat.

1548 LXVII. AMBROSIUS QUESTELLIUS Patavinus (4), cùm in patrio gymnaſio profeciſſet admodum, jam Philoſophus non contemnendi nominis, & rerum ſacrarum notionibus egregiè imbutus Eremitarum S. Auguſtini ſodalitio nomen dedit, teſte Pignorio (5) jam vir. Studuit deinde apud ſuos Theologiæ, claruitque ex hac aliiſque ſcientiis in omnibus, non Italiæ ſolùm, verùm etiam Europæ totius gymnaſiis, ut ſcribit Ghilinus. Poſt hæc habendis concionibus ſe totum addixit; obivitque hoc munus præſertim in patria ſummâ undequaque auditorum frequentiâ. At cum podagrâ tentari cœpiſſet, ſeque imparem labori ſuiſſet expertus, flexit animum, quippe hoc ab illo ſcholaſtica juventus efflagitabat, ut in ſedem ſacras paginas explanaturus aſcenderet. Id quod intellige de Sede privata, non publica: nam in gymnaſio noſtro Sacrarum literarum ſedes non ante an. MDLV. inſtituta eſt, ut conſtat ex documentis monumentiſque gymnaſticis, & notat accuratè Tomaſinus (6). Id aliquandiu præſtitit eximia cum laude, jamque inde & ex illuſtri facundia notus, Romam accitus eſt à Cardinali Rodulfio, cui à ſecretis fuit, atque interim, cùm aliquando vacabat, ab explanandis Scripturarum arcanis ingerendoque convenientibus populis Dei verbo non deſtitit, pleno auditorum concurſu, nec minore, quàm cùm è ſuggeſtu declamabat. Hinc Romæ quoque celebris, probatuſque Paulo III. lectus eſt inter illos, qui erant in Germaniam mittendi ad pacis fœdera ſancienda inter Provincias ob religionis diſſidia perturbatas. Podagricis tamen doloribus æger hoc munus nedum obire, ne ſuſcipere quidem potuit, ac vivere Romæ deſiit ſub eodem Pontifice Paulo an. MDXLVIII. Edidit ſub Opuſculi titulo inauguralem Orationem, cùm cœpit ſacras literas explanare. Ea invehitur in eos, qui negant ſacram Scripturam percipi poſſe, niſi ab his, qui bonam vitæ partem in Ariſtotelis, & Philoſophorum lectione contriverint.

Expoſitionem ſuper IV. Sentent. libris IV. propoſitam.

Libellum de modo explicandi Evangelium.

Librum de Veritate Alchimia, quam contra communem tuetur.

LXVIII. HIERONYMUS BORGIA oriundus Valentiâ (7), natus Neapoli, ſub
1549 Alexandro VI. Romam venit adhuc juvenculus, gratuſque, tum ex familia, tum ex pulcherrimo corpore & indole perſpicaci, atque ad omnia verſatili, Pontifici Borgiæ inter familiares fuit. Verùm cùm in aulam Joannis Card. Borgiæ & amicitiam irrepſiſſet, odium Valentini Ducis implacabile meruit. Quamobrem veritus crudelem ac ſubdolam

(1) Freher. Tom. 2. P. 4. p. 1447. (2) ibid. p. 199. (3) apud Freher. ibid.
(4) Scard. lib. 2. Claſſ. 7. p. 154. (5) de Aut. Script. Pat. ad Molin. (6) Gymn. lib. 3. c. 5. p. 285.
(7) Ughell. Tom. 6. p. 647. n. 13.

Digitized by Google

dolam ſcelerati hominis animam, quæ noſſet etiam blandiendo ſævire, ſe Urbe ſubduxit, ſeceſſitque Venetias fauſto pede: nam ibi receptus eſt in clientelam Bartholomæi Alviani Venetorum Archiſtrategi, à quo miſſus Patavium, hic bonis artibus Philoſophiæ præſertim ac humanioribus literis mentem Muſarum amicam inſtruxit, vixitque in gymnaſticis exercitationibus magnâ, ut ipſe profitetur, alacritate, & voluptate, ut non niſi per vim hinc abſtractus ab eodem Alviano dicatum Apollini animum ad ſtudia Martis converterit, ac robur ætatis militari vitâ contriverit: ſenio proximus Bartholomæo Luciano Apoſtolico Nuncio Venetiis adhæſit, à quo miſſus ad Paulum III. jam ſenex ad conſortium Muſarum, quas deperibat, remeavit, profeſſuſque mores Eccleſiaſticos in toga ſacrâ Romæ ex humaniore literatura inter Aulicos claruit. Ex ea commendatus à Paulo III. Epiſcopus Maſſæ Lubrenſis dictus eſt an. MDXLIV. quam dignitatem reſignavit poſt annum Jo. Baptiſtæ nepoti, Romamque rediit, ubi poſt annos aliquor interiit circa an. MDXLIX. Multa ejus carmina & epigrammata legimus, Græca etiam quædam in Allatianis. Scripſit Hiſtoriam temporum ſuorum libris XX. Carminum ejus librum edidit Laſtomus cum ejus vita ab Ariſio ſcripta: ex ea hæc habuimus, atque etiam grande quod habuit literarum commercium cum doctiſſimis ætatis ſuæ viris, Sannazaro, Capicio, Carbone, Pontano, Ariſio, Gravina, Chariſio, Charitæo, & aliis. Laudatur à Ranucio Chero (1), Anicio (2), Foſcareno (3), Michaele Juſtiniano (4), quos ad idipſum Coletus congerit (5).

LXIX. M. ANTONIUS FLAMINIUS humaniores literas & Philoſophiam in hoc 1550
noſtro gymnaſio ſibi ampliſſimè comparavit: Juriſprudentiæ quoque obiter, & quadantenus operam dedit. Extant ejus Epiſtolæ quædam ad Reginaldum Polum Cardinalem, in quibus ſe Romuli Amaſæi diſcipulum, M. Antonii Genua de Paſſeribus, & Pariſii profitetur, & alioqui ejus nomen eſt in albis gymnaſticis & quæſtoriis an. MDXX. & ſequentium. Natus eſt in Fano Syllæ (6) ſeu Foro Cornelii clara urbe Flaminiæ patre Jo. Antonio magni nominis Oratore, & Poeta, quem tamen filius impendio magis ex hac laude ſuperavit. Nam fuiſſe traditur Philoſophus exactiſſimus, Poeta ſui temporis maximus, vir autem ſæculo XVI. in republica literariâ princeps. Has laudes non immeritò tributas dices, ſi legeris, quæ de illo ſcribunt Petrus Victorius (7), Lilius Gyraldus (8), Card. Polus (9), Longolius (10), Thuanus (11). Addebat his mentis excelſæ dotibus, animi, vitæque omnibus virtutum ornamentis inſtructæ, ſuaviſſimos mores, ex pietate, modeſtiâ, & ingenuo quodam candore conſuetudinis amicis, & contubernalibus venerabilis. Præcipuus in eo fuit amor probitatis, ſtudiumque incorruptæ religionis, quo corruptis orthodoxorum moribus iraſcebatur apertè, obtrectabatque: undè de illo apud pleroſque ſuſpicio non ſani dogmatis; indeque & cenſura, & non proba de ejus religione apud quoſdam opinio: ex qua falsò à Simlero (12), quaſi aſſecla Lutheri, & aliorum ad eandem inſaniam dux, non ſine diſpendio veritatis aſſeritur. Conſtat enim ex Thuano illum orthodoxum fuiſſe (13), optimè de Euchariſtiâ ſenſiſſe ſemper, in ſinu Pauli IV. tunc Cardinalis, & ſupremæ inter judices Quæſitores Fidei auctoritatis obiiſſe, non extra Italiam, ut cæteri deſertores Catholicæ fidei, ſed Romæ. Scilicet hæc doctorum virorum, & veritatem amantium ſæpè infelicitas eſt, ut ſi crimina, luxum, tumorem, aliaque hujuſmodi, quibus orthodoxi laboramus, cum homines ſimus, reprehendant, indignentur illi, quorum frigida mens eſt criminibus; & ſi quando æſtu doloris abrepti declament, ex hac vivendi licentia, non ſanè cauſam (quippe nullam erroris cauſam, ſi benè credimus à moribus noſtris eſſe poteſt), ſed occaſionem hæreſum eſſe: ſi cum Heterodoxis commercium ullum, vel priſtinæ benevolentiæ, vel rei literariæ contingat, id omne illis malè vertat, ſuſpicionemque malæ fidei faciat. Obfuit etiam Flaminio ad idipſum Epigramma, quod pro Hieronymo Savonarola edidit, noſque ex Jovio retulimus (14). Vixit in aula Alexandri Farneſii diu, nec breviùs apud Reginaldum Polum, deceſſitque adhuc florente ætate an. MDL. vel ſequenti. Scripſit elegantiſſimè victura perpetuum & proſâ, & verſu.

Paraphraſim in librum XII. Ariſtotelis de prima Philoſophiâ.

Pſalmos & Hymnos elegantiſſimo carmine expreſſos.

Commentarios in Pſalterium.

Carmina de rebus Divinis.

Carminum libros IV. ad Franciſcum Turrianum.

(1) Ital. Poetar. P. 1. (2) lib. 6. Var. Poet. (3) de Illuſtr. Poet. (4) in deliciis Tiburtin.
(5) ad Ughel. loc. cit. (6) Ghilin. Theatr. Vol. 2. p. 192. (7) Var. lect. lib. 9. c. 9. (8) de Poet. ſui tempor. lib. 1.
(9) Epiſt. ad Petr. Victor. (10) Epiſt. lib. 9. (11) in Elog. apud Teiſſer. Tom. 1. p. 37. 38.
(12) Vit. Petri Martyr. (13) d. p. 37. (14) Elog. p. 83.

His addidit *librum V. ad Alexandrum Card. Farneſium.*

Paraphraſin in XXX. Pſalmos.

Epiſtolas aliquot, in quibus maximi habitæ ſunt, quæ de Veritate doctrinæ, & Sanctitate religionis in latinum veterem ſermonem verſæ ſunt.

LXX. JOACHIM VADIANUS auctore Melchiore Adamo (1) & Thuano (2), na-
1551 tus in Helvetia ad Fanum S. Galli, poſt primarum literarum tyrocinium ludimagiſter Villaci in Carinthiâ Viennam profectus, ibi humaniores literas publicè docuit: mox per Poloniam, Germaniam, & Italiam peregrinatus Doctoris Medici ſumpſit inſignia. Hæc illi conceſſa fuiſſe in noſtro gymnaſio, certum eſt ex actis gymnaſticis (3), & Germanorum albis, in quibus bis eſt Syndicus I. N. G., bis Adſeſſor ad Anatomen. Regreſſus in patriam Medicinam utiliter fecit, cariſſimus civibus ſuis. Diu vitam privatam coluit, atque in ſeceſſu gnaviter ad ſcribendum, edendumque quæ ſcripſerat incubuit; ex quibus apud Germanos celebris, atque idcirco ad regendam apud ſuos rempublicam evocatus, non minus ex adminiſtratione rerum Politicarum inclaruit, quàm ex fama doctrinæ, quâ jampridem commendabatur. Studioſiſſimus ſectæ, quam Proteſtantium appellant, Senator in patria, & ſæpe in eadem Conſul non ante quievit, quàm dogmata rituſque ſectæ illius ſuis civibus perſuaſit, atque in eam partem Helvetiæ invexit. Ex Medico igitur & Mathematico atque etiam Philologo ac Coſmographo & Poeta, repente Theologus, quod ſolemne eſt Tranſalpinis hæreticis, atque utinam non etiam Italis quibuſdam Grammaticis, multa de dogmatibus diſſeruit, ediditque, præſertim de Cœna Domini & adversùs Eutychianos & Enthuſiaſtas. Obiit in patria anno ætatis ſexageſimo, æræ communis MDLI. Laudatur ut ſummus Theologus à Beza (4), ut inter Germanos doctiſſimus à Scaligero (5), nec alius eſt Colomeſio (6), qui ferre non poteſt, quod cenſuit de Commentariis ejus in Melam Voſſius junior, cui ea rus, & ſtivam olent. Quæ ſcripſit, & publiei juris plurima ſunt, hos titulos habent.

Carmen de laudibus Cæſarum Friderici III., & Maximiliani I.

Elegia de Familia Vadiana Inſignibus à Sigiſmundo I. donatis.

Epitaphium Rodulfi Epiſcopi Herbipolenſis.

Fauſtus. Ecloga contra invidos.

Elegia, qua certamen ſuum cum morte deſcribit.

Ode in laudem Dominicæ Reſurrectionis.

Silva de laudibus Patriæ.

Comment. in libros III. Pomponii Melæ de ſitu Orbis.

Epiſtola ad Rodulfum Agricolam, ubi locus Plinii de Dodrante.

Pygmeis, longitudine Gabbaris & uncia.

Locus Perſii ex Satyr. 2. ſi coram longo &c.

De Antipodibus multa, de lacu Acronio, & Veneto.

Locus Lucani ex lib. 6. de Dorio.

Locus Virgilii ex 1. Georgicor. de Vertice Auſtrino.

Scholia in l. 2. Plinii hiſt. Natur.

Epitome trium Terræ partium, ubi præcipuè deſcribit loca, quorum mentio in Evangeliis, & Actis Apoſtolorum.

Aphoriſmorum libri VI.

Conſilia contra peſtem.

Epiſtola de obſcuris verborum ſignificationibus.

Liber de Chriſtianiſmi ætatibus.

Epiſtola de Conjugio Servorum apud Alamannos.

Scripſit & multa Theologica, quæ cum infecta ſint erroris tabe, etiam in iis, in quibus conſentit cum Orthodoxis, recenſere non eſt operæ noſtræ pretium: illa cum ejus MSS. refert Melchior Adamus.

C A P U T XVII.

Paulus Jovius. Damianus Goes. Joannes Baptiſta Ægnatius. Gaſpar Gabriellius.

1552 LXXI. PAULUM JOVIUM Hiſtoriarum ſui temporis inclytum Scriptorem, Philoſophum item, ac Medicum, quamvis hac ultima ex parte Ticinenſi gymnaſio, in quo Medicinam didicit, debeat literaria reſpublica, attamen & noſtro debet quâ maximè parte claret: cùm hic & humaniori literaturæ & Philoſophiæ operam dederit; id quod & Patavini lycæi monumenta ex albis & inſcriptionibus priſcis comprobant (7), & ipſe confirmat non uno in loco (8), ſed præſertim, ubi ſe & auditorem

(1) Vit. Illuſtr. Medic. (2) in Elog. apud Teiſſ. Tom. 1. p. 41. 42. & ſeq. ex Teiſſer. addit.
(3) ad An. 1510. (4) in Iconibus. (5) in Scaligeriana. (6) not. in Scaligerian.
(7) Lignamin. & Salom. Inſcript. Gymn. (8) in Epiſtolis.

torem profitetur Cœlii Rhodigini (1), & ejuſdem obtrectatorem ingratum, atque maledicum. Patriâ Novocomenſis in pueritia orbatus patre, à majore natu fratre Benedicto hiſtoriæ Comenſis ſcriptore altus educatuſque in patria prima didicit elementa literarum, cœpitque ad cultioris literaturæ gloriam aſpirare. Venit deinde Patavium, atque hic Muſurum audivit Græca explicantem, latina Calphurnium, plurimumque profecit in Philoſophicis auditor Achillini, & Pomponatii. Jaſonem quoque audiſſe ſe hic ſcribit (2), atque ea familiaritate apud eum fuiſſe, quam alibi ſignificat (3): dubitabatque tunc adhuc Ulpianone, an Hippocrati Philoſophicis, & Rhetoricis ornamentis inſtructam abundè mentem oppignoraret, cùm abſtulit dubitationem fratris imperium, quo domum evocatus ire Ticinum juſſus eſt, atque ibi Medicinæ operam dare. Artem illam ubi perdidicit, ejuſque inſignia reportavit, praxim profeſſus eſt aliquandiu & Novocomi, & Mediolani, unde ſpe lucri majoris Romam venit. Ibi non ex ea arte, quam profitebatur, clarere cœpit, ſed ex ea, qua maximè pollebat, humaniore literatura, quæ cùm per ea tempora, Leone X. regnante, Romæ in deliciis eſſet, pararetque certum in aulam acceſſum, Jovium Pontifici commendavit, aulicumque fecit ex Medico. Eo munere functus eſt annis ferme XXXVII. apud eundem Leonem, Adrianum VI. Clementem VII. Et ab Adriano (4) quidem Comenſis Canonicus dictus militiæ ſacræ ſe adſcripſit, ac Mediceorum & Julii maximè Cardinalis cultor aſſiduus, ubi is ad ſolium aſcendit & Clemens Pontifex fuit, eâ gratiâ apud eum floruit, quâ contubernalis ejus, & Præſul domeſticus, atque omnium horarum amicus intimus, quidlibet ſperare poſſe videretur. Nec tamen, (5) cùm optaſſet vehementiſſimè, Comenſes inſulas obtinere potuit, ad longè minoris Eccleſiæ Nucerinæ ſedem provectus. Hinc in hiſtoriis Clementem, à quo ſe beneficiis cumulatum non diffitetur, avaritiæ, anguſti, & egeni pectoris arguit. Ab obitu Clementis apud Mediceos ſeceſſit Florentiam, ac Sacerdotiorum proventibus dives ibi conſenuit, obiitque prope ſexagenarius an. MDLII. Sepultus eſt in templo S. Rochi, tumultuario ſarcophago conditus cum epigraphe hoc ipſum ſignificante, certum deinde illi monumentum ibidem poſteri poſuere an. MDLXXIV. Utriuſque leges Epigraphen apud Ghilinum (6). Scripſit multa, præſertim hiſtorica, de quibus Critici variè. Laudatur communi ſententiâ ſtyli ſplendor, facilitas, gravitas, nec deſunt qui eum comparant modò Livio, modò Saluſtio, imo & præferunt ineptiſſimè, ut in diſticho ſepulcrali: ſuntque qui eum etiam ad Tacitum referant, à quo omnibus paraſangis diſtat. Probat in eo Lipſius (7), quòd res varias, ac planè diverſas, & multas in unum hiſtoriæ corpus redegerit: quod ordinem in multiplici narratione ſervaverit, quòd ſcripſerit clarè, validè, luculenter: at damnat fidem, quam illi deberi negat, niſi cum amoris & odii cauſas procul habet. Quippe ab eo reprehendi multa ſine modo, laudari alia immeritò, ſcribi calamo nimis affecto genti ſuæ, ac Mediceorum familiæ; nec ferri poſſe, quæ declamat pro parricidio Laurentii Medicei, quaſi facinus illud atrox tueatur in foro. Reipſâ, ut Rapinus (8) notat, communi omnium judicio Scriptor animi affectionibus occupatus Jovius habetur, cui proinde præſtanda fides minimè ſit. Huic ſententiæ latiùs, & liberiùs Bodinus (9) ante Rapinum ſubſcripſit, ea reprehendens ſingulari caſtigatione, quæ legenda apud ipſum brevitas, quam profitemur, curioſioribus relinquit: præſertim cum illa ipſa perſtrinxerint, & annotaverint vel in elogiis Oſorius (10), & Henricus (11) Stephanus, confirmaverit autem vel ipſe Jovius in Epiſtolis ſuis, non rarò minatus (12) infamiam, vel famam pollicitus iis, à quibus vel accepiſſet injuriam, vel pretium nominis in ſuis hiſtoriis perennaturi recepiſſet, ſolitus impudenter aſſerere, duos ſibi calamos eſſe, aureum alterum, alterum ferreum, quibus facta virorum ex libito ad gratiam odiumve poſteritati facilè crediturae conſignaret. Præter libros Hiſtoriarum, quibus res temporis ſui ab an. MCDXL. complexus eſt, edita ſunt ejus opera.

Commentarii de Rebus Turcicis, deque Turcarum militiæ diſciplinâ.
De Rhodi & Bellogradi expugnatione.
Elogia Virorum bellica virtute Illuſtrium.
Elogia Virorum literis Illuſtrium.
Libellus de Romanis piſcibus.
De piſcibus marinis, paluſtribus, Fluvialibus, item Teſtaceis & Salſamentis.
Deſcriptio Comi, & Lacus Larii.
Deſcriptio Britanniæ, Scotiæ, Hiberniæ, & Orcadum.
De Legatione Baſilii magni Principis Moſchoviæ.
Vitæ XII. Vicecomitum, & Conſalvi de Cardona.
De inſignibus militaribus, & Amatoriis, & eorum

(1) Elog. p. 103., & Vid. ibid. in Leoniceno p. p 133. (2) Epiſt. 8. (3) Elog. p. 125.
(4) Ghil. Theatr. Vol. I. p. 185. & ſeq. (5) Thuan. Elog. in Addit. Teiſſer. Tom. 1, p. 61. 62.
(6) ibid. (7) Not. in cap. 9. lib. 1. Polit. (8) In Meditat. ſuper hiſtor. (9) in Method. c. 4.
(10) in hiſt. Luſitan. (11) de inſid. Ling. Græc. Magiſtr. (12) Apud Teiſſ. in addit. ad Thuan. elog. p. 64. 65.

& eorum lemmatibus. Italicè.
Carmina latina.
Epiſtola latina & Italica.
De Origine & ſucceſſione Impp. Turcarum. Italicè.

LXXII. DAMIANUS GOES Luſitanus (1) nobili genere ortus eſt Jerobrigæ, quæ
1552 nunc Alanqueta vel Alanquet appellatur, eſtque oppidum non admodum diſtans Uliſſipone. Puer optimæ indolis Emmanueli Luſitaniæ Regi à cubiculo fuit: ubi adolevit orbis terrarum luſtrandi cupidiſſimus, per Germaniam & Belgium ampliùs annis XIV. Regum Luſitanorum negotia geſſit. Terrâ & mari non uno diſcrimine functus honorificas obivit legationes. Prima literarum elementa in Belgio didicit, mox in Italiam venit, ac Patavium ſe contulit jam natu grandior anno MDXXXIV. receptuſque in amicitiam (2) à Petro Bembo, hìc quatuor annos Lazari Bonamici diſcipulus fuit. Solitus vindemialibus feriis ultro citroque peregrinari, curioſitati laborem itinerum, atque etiam tuendæ ſanitati dabat ex Medicorum conſilio. Quadriennio poſt motam Patavii rediit Lovanium felix etiam ob amicitiam contractam cum Sadoleto, & Chriſtophoro Madrucio Cardinalibus. In ea urbe coluit eloquentes viros Goclenium, & Nannium, mutuòque ab his cultus eſt, nec parum profecit Cornelii Graphei, & Joachimi Politi Poetarum tunc in Belgio clarorum conſuetudine. His hortantibus & ſcribere latinè, & verſus facere jam ſenex cœpit; quin etiam & Græcas literas, quas ad eam diem cane pejus & angue oderat, avidiſſimè diſcere. Scribendi fecit initium à verſibus, ac Muſicæ addictus ea compoſuit, quæ in templis alii modularentur. Duxit poſt hæc uxorem pulcherrimam Virginem natam Hagæ Comitum, ac Lovanii jam ſenex albis ſe Diſcipulorum adſcripſit, quorum etiam agmen duxit, cùm ſcholaſticorum præſidio ita ea urbs adverſus obſidentes Gallos pugnavit, ut hos coegerit ad inducias primùm, deinde ad ſolvendam obſidionem. Jam decrepitus à Rege Luſitaniæ accitus juſſus eſt patriam hiſtoriam ſcribere: verùm non multo poſt calumniis appetitus, ut videtur, non ſinceræ fidei cauſâ, cum è vinculis pro ſe dixiſſet, non alia conditione periculum capitis eluctatus eſt, quàm ut verſaretur in urbe regia, & liberâ cuſtodiâ eſſet domi ſuæ, ubi non multo poſt mortuus repertus eſt, ſive ictus apoplexi, ſive à furibus injecto laqueo ſtrangulatus circa an. MDLII. Ejus hæc opuſcula extant Lovanii edita.

Dienſis in India pugna, & Victoria de Turcis Luſitanorum ad P. Bembum Card.
Lappiæ deſcriptio, & deploratio.
Legatio Æthiopica.
Laudatio Hiſpaniæ ad P. Nannium.
Uliſſiponenſis urbis Deſcriptio.
Bellum Cambaicum.
De Religione & moribus Æthiopum.

1553 LXXIII. JOANNES BAPTISTA ÆGNATIUS, patre honeſto cive ſed paupere Venetiis natus (3) majorem adoleſcentiæ partem tranſegit Patavii, quò cum ætate pupillari majorem cum matre viduâ tranſtulit Leonardus Lauretano, qui Prætor Patavii an. MCDLXXXVII. deinde D. M. Procurator ad ſolium Venetæ majeſtatis aſcendit Dux LXXIV. A patruo bonis artibus addictus, traditusque diſciplinæ Sabellici tunc docentis Vicentiæ apud hunc ibi, ac ſæpè Patavii vixit: eoque revocato Venetias, Patavii Ægnatius ſub Præceptoribus Muſuro & Calphurnio fuit, à quorum primo Græcas literas didicit, profecit à ſecundo in Latinis, atque has, quas crudas, & penè non barbaras ingeſſerat Sabellicus, expolivit tanto ſucceſſu, ut ex his clarus deinceps ad munus docendi Venetias accitus erudiendæ juventutis exedram defuncto Sabellico vacuam obtinuerit. Falluntur ergo qui ſcribunt (4) Ægnatium diſcipulum fuiſſe Politiani, quippe neque hic Venetiis docuit, neque ille Florentiæ fuit, qui tunc ſtudebat Patavii, cùm jam Politianus obierat an. MCDXCIV. Conſtat enim Ægnatium non ante an. MDVII. quo Sabellicus deceſſit, evocatum fuiſſe Venetias. Ibi docuit (5) per annos fermeXL. ſummo cum plauſu, ſummâ nobiliſſimæ juventutis frequentiâ, ſummâ apud Venetos grâtia, Vir gravis, doctus, & ut Sacris initiatum decet, integer vitæ, ſceleriſque purus. Quamobrem perbenigna ſemper, atque propitia virtutibus Reſpublica doctorem optimum peculiaribus beneficiis cumulavit. Nam XVirali decreto præſtationum & onerum, quæ perſonalia & realia Juriſconſulti dicimus, eum voluit immunem, & ſeni honorariam miſſionem ultrò conceſſit non imminuto ſtipendio, quod illi quoad vixit, integrum eſſe ſolvendum munificê ſanxit. Deceſſit in patria octogenarius an. MDLIII. extremiſque tabulis hæredes fecit tres familias Patricias, Lauretanam, Molinam, Bragadenam

(1) Alfon. Garzia Metamor de Academ. & Vir. Doct. Hiſpan. (2) Idem ibid. Freher. Tom. 2. P. 4. p. 1451.
(3) Lignamin Collect. mscript. Patav. Gym. & ex eo Salom. in Miscell. (4) Thuan. in Elog. apud Teiſſ. T. 1. p. 74.
(5) Id. ibid. & Ghilin. Theatr. t. 1. p. 96-97.

denam. Sepultus eſt ad S. Marinæ. Scripſit multa: ſed maximè claruit ex libello de Cæſaribus, qui tamen, ſi ſtemus cenſuræ Poſſevini(1), Romanam hiſtoriam obſcuraverit potiùs, quàm illuſtrarit. Reliqua ejus opera edita ſunt.

Annotationes in Dioſcoridem ab Hermolao Barbaro tranſlatum.
De Origine Turcarum.
Oratio habita in funere Nicolai Urſini.
Annotationes in Suetonium, Ælium Spartianum & cæteros Cæſareæ hiſtoriæ Scriptores.
Oratio ad Meretrices.
De exemplis illuſtrium Virorum Venetæ Civitatis, & aliarum Gentium Racemationes.
Obſervationes in Ovidium.
Interpretamenta in Familiares Epiſtolas Ciceronis.
Panegyricus in Franciſcum Regem.
Orationes LXX. Epiſtolæ XC.

LXXIV. GASPAREM GABRIELLIUM nob. Patavinum cum laudet multis Scardeonius (2), multò pluribus poſteritati conſecrat in recenſione ſuâ Pignorius (3). Philoſophiæ, humanarumque literarum peritiſſimus, poſtquam doctor Medicinæ prodiit è patrio gymnaſio, ſeditque in ſubſelliis Collegii Jatrici, hanc artem per annos circiter XII. profeſſus eſt in gymnaſio Ferrarienſi, ſeque interim Muſarum amicum inter cultiſſima carmina inſigniter oſtentabat: quo factum, ut Apollinis magis haberetur ſtudioſus, quàm Æſculapii, referretque ab exedra Rhetorem, aut Poetam potiùs, quàm doctorem ac Medicum, ac paulatim diſcipulis dilapſis, egeret in munere. Hujus idcirco pertæſus in Patriam rediit, utque clarum eruditionis ſuæ documentum daret, inſigne opus edidit ad nobilem virum Hieronymum Obicium Patavinum ad quæſtionem vulgatam Hieronymi Boniporti illuſtris medici, de Materiæ imminutione in principio morbi. Claruit ex hoc mirum in modum, ſummâque contentione, atque aperto certamine à multis urbibus actum eſt, ut apud ſe praxim profiteretur. Sed vir otii privati, ac liberalis cupidiſſimus, cauſatus, fato ſibi portendi citum extra patriam interitum, omnium preces ac pollicitationes eluſit. At fati legem, ſi qua fati extra voluntatem Divini numinis ratio habenda eſt, non effugit, nam biennio poſt ingenti ſtipendio electus flexit animum, ut Medicinam faceret in Portu Gruario, ubi haud multo poſt febri maligna correptus, ſtatimque ad ſuos Patavium relatus, intra paucos dies ex eo morbo deceſſit pridiè Kal. Auguſti an. MDLIII. ætatis LIX. incœpto, ſepultus honorificentiſſimè ad D. Antonii in ſacello S.Claræ, & oſſuario Majorum. Præter opus à Scardeonio relatum, recenſet Pignorius editos ab eo *Carminum libros tres*, *Orationes Panegyricas quinque, de diverſis argumentis XXIV.*, *Epiſtolas latinas elegantiſſimas duas*. *Librum de Claris gymnaſii diſcipulis*. Nos horum vidimus nihil præter quædam fragmenta in Collectaneis, tum Deſiderii Lignaminei, tum Jacobi Salomonii excerpta ex ultimo opuſculo de claris diſcipulis. 1553

CAPUT XVIII.

Iſidorus Clarius. Ambroſius Catharinus Politus. Simon Portius, vel Portus. Sebaſtianus Conradus.

LXXV. ISIDORUM CLARIUM Salomonius (4) illis annumerat, quorum in inſcriptionibus & albis gymnaſticis nomen habebatur, ſed hunc ipſum ex Prædicatorum familia virum celebrem facit: quod certè [illegible] eſt; nam quæ de illo ſcribit, ex monumentis cœnobii Prataleæ conſtituit, &, uti ſolet, collectaneis Lignaminei utitur, qui, apud ipſum, Clarium, quem parietibus gymnaſii vidit inſcriptum, monachum S.Benedicti dicit, à ſuo tempore inter doctiſſimos Præſules celeberrimum autumat. Notatur Conſiliarius Brixienſium inter primos à reſtituto gymnaſio poſt bellum Cameracenſe (5). Natus eſt in agro Brixienſi, & ejus municipio Clario, undè ſibi cognomen adſcivit, cæteroqui terræ filius parentibus plebeis, & pauperibus ſumptu Petri Longenæ clariſſimi militis, & primas literas in patria puer, & adoleſcentulus Patavii graviores, tum humanas, tum etiam ſeveras edidicit, propendebatque ad Medicinam, cui nomen quoque dederat in gymnaſio, cùm à patrono Brixiam revocatus ſacra reſpexit: jamque religioſam Minoritarum familiam initurus erat, (6) cùm eum ex animi dotibus in eâ ætatulâ venerabilem S. Benedicti clariſſimus Ordo ſibi conciliavit; receptuſque ita eſt Brixiæ, ut tamen ad cœnobium Prataleæ pertineret (7). In eo ſacro ſeceſſu ita ſe bonis artibus, ſummo mentis & corporis conatu, imbuit, ut in omnium diſciplinarum ſcientiarumque brevi apicem evolaſſe viſus ſit, magnus Philoſophus, doctiſſimus Theologus, atque ita in Philologia, linguarumque notitia verſatus, 1554

ut

(1) Biblioth. lib. 16. Sect. 3. c. 41. (2) lib. 2. Claſſ. 9. p. 223. (3) de Ant. Script. Pat. ad Molin.
(4) In Collect. ad Inſcrip. Gym. (5) A. 1515. (6) Rubeus in elog. p. 288.
(7) Lignamin. apud Salom. ibid.

ut inter eruditiſſimos & Polyglottos haberetur. Admotus quoque eſt rebus Ordinis ſui gerendis, atque inde etiam quemadmodum & ex inſigni Sapientiâ conſpicuus cùm ad negotia Monaſtica peragenda Romam fuiſſet miſſus, ſummam ubique ex his omnibus, atque ex vitæ etiam integritate, ac morum ſanctimoniâ miram ſibi apud omnes laudem conciliavit, meruitque ſive à Clemente VII. ſive certè à Paulo III. ad Fulginates infulas provehi. Hac dignitate clarior ad Synodum Tridentinam venit, in qua inſtar Oraculi dicitur auditus (1), atque unus inter Antiſtites Italos ob pietatem in Deum, largitatem in pauperes, & ſingulare doctrinæ decus, planè conſpicuus. Fertur adeo ſibi temperaſſe, ab illo ſcilicet, quo plerunque laborant Eccleſiaſtici Proceres, affectu agnatos ditandi, cognatoſve, ut cùm Brixiâ Fulginium nepotes ejus veniſſent, ut à patruo diteſcerent, eos re infectâ redire juſſerit domum, effatus Eccleſiæ redditus, non agnatis deberi, ſed pauperibus, quorum neceſſitati ex inſtitutione ſua deſtinantur. Idem dicitur religionibus Orthodoxis ita fuiſſe addictus, ut audito Salutationis Angelicæ ſigno ſtatim in genua procumberet, ubicunque ſacer illi ſonus ipſum deprehendiſſet, quamvis locus cœno, ſordibuſque redundans genua flectentem fœtidè deturparet. Cæterum vir mitis in gregem, cui præerat, largus in miſeros, erga omnes affabilis tantâ fuit in opinione virtutis apud populum, ut, hoc accurrente poſt ejus obitum, vi factâ domeſtici fuerint coacti cadaver ejus oſtendere, quod expoſitum (2) per horas quadraginta neque male oluit, & miro quodam odore fragravit. Deceſſit ſexagenarius anno MDLIV. vel ſequenti. Teſte Sixto Senenſi vertit Sacra Biblia, & notis illuſtravit, quorum lectio à Sacris Quæſitoribus vetita, poſtea ſublatâ præfatione Tridentino decreto confirmata eſt, & probata. De eo vide Simonium. Præter Bibliorum Tranſlationem hæc opera Clarii edita ſunt.

In Sermonem Domini in Monte habitum ſecundùm Matthæum Orationes LXIX.
In Evangelium Lucæ Sermones LIV.
Orationum Extraordinariarum Volumina II.
In Caput IX. ad Romanos Orationes XI.
De juſtificatione hominis, & Gloria, Orationes habitæ in Concilio Tridentino.
De modo in divitiis adhibendo ab homine Chriſtiano, Oratio.
Ad eos qui à communi Eccleſiæ Sententia diſceſſerunt exhortatio ad Concordiam.

Jacet in Eccleſia ſuâ cum Epigraphe, quam leges apud Ghilinum (3).

554 LXXVI. AMBROSIUM POLITUM, ſub nomine Lanzarotti inter Juriſconſultos aluit gymnaſium noſtrum, poteratque illum claris legum Doctoribus annumerare, ni Juriſprudentiam deſeruiſſet, ut maximus inter Theologos ſæculo XVI certè acutiſſimus omnium orthodoxæ Eccleſiæ militaret. Senis nobili genere natus in patriâ primùm, deinde Patavii legalibus innutritus eſt ſtudiis, ut & alba gymnaſtica, & Pancirolus (4) notant. Patavio magni nominis Legulejus abiit, legeſque aliquandiu acutiſſimè in patriâ publicè profeſſus, ex eo maximè inclaruit, quòd ferociſſimè priſcas, ac ſui temporis communes Juriſconſultorum ſententias impugnaret, labefactaret, everteret; jure Juriſperitus Eriſticus dictus, & in Scholaſticis certaminibus formidabilis. Ferunt (5), cùm jam Monachus fuiſſet Pariſiis, ab amico deductum ad cujuſdam Juriſconſulti prælectionem; ibi, quæ ipſe docuerat, à Profeſſore caſtigari damnarique audiſſe, quippe quis eſſet, nec à doctore, nec à diſcipulis agnoſcebatur: ab amico autem rogatum, ut deſcendentem ab exedrâ præceptorem ignotus aggrederetur, vix tandem precibus amici fatigatum annuiſſe, invaſiſſe autem in eum extempore triginta oppoſitis argumentis, atque ita miſerum hominem implicuiſſe, ut exclamaverit, *aut Politus es, aut Diabolus*. Nempe adhuc ſe Juriſconſultum meminerat etiam ſub cucullo. Nam nondum planè vir ſapientiſſimo Prædicatorum Ordini nomen dedit, poſitoque Lanzarotti nomine ſe Ambroſium dixit & Catherinum, quibus nominibus notiſſimus fuit ſæculo ſuo. Sacra profeſſus (6) Florentiæ in cœnobio D. Marci toto conatu mentis ingenioſiſſimæ ad Philoſophiam ac Theologiam incubuit, brevìque cum ſui temporis magiſtros longo intervallo prætergreſſus eſt, cum priſcis ſe Theologis parem oſtendit. Erat Romæ ſub Paulo III., nec Romam venit primùm cum imperabat Julius III. ut Ghilinus exiſtimabat; clarebat enim Romæ jampridem, & ſub Paulo III. in Synodo Tridentinâ Theologus erat, cùm ibi Legatorum princeps Jo. Maria Card. Montius, olim Politi, cum jura profitebatur, diſcipulus, mox Pont. Max. Julius III. cæteris præſidebat. Hoc (7) poſtea Pontifice ad Minorenſis Eccleſiæ ſedem provectus poſt annos circiter ſex Compſanus Archiepiſcopus renunciatus, iterum ſedit inter Tridentinos Patres, magnæ ſemper apud hos auctoritatis

ac

(1) Ughell. Tom. 1. in ſerie Epiſc. Fulgin. (2) Ghil. Theatr. Vol. 2. p. 142. (3) ibid. p. 143.
(4) de clar. Interp. lib. 2. p. 271. (5) Panciroli ibid. (6) Theatr. Vol. 2. p. 12.
(7) Ughell. Tom. 7. p. 314. n. 31.

ac nominis, ut colliges ex iis, quæ paſſim de illo traduntur in Hiſtoria Tridentini Concilii (1). Peculiari proſecutus amore eſt Societatem Jeſu, è qua Nicolaum Bobadillam unum è primis D. Ignatii Loyolæ Sociis evocavit, cui, ſe abſente, Compſanam Eccleſiam commendavit, exemploque ſuit Præſulibus Regni Neapolitani, quos ad idipſum præſtandum manu quodammodo duxit, magnâ orthodoxæ Fidei cum utilitate & ſecuritate, ut notat Coletus (2), quo teſte Ambroſius Catharinus ſummopere affectus ſuit erga Deiparam Virginem, ejuſque immaculatum & labis omnis immunem conceptum aperto marte pluribus editis libris, à dextris & à ſiniſtris tutatus eſt; extant tres ejus libri de hoc argumento locupletiſſimi (3), doctiſſimi, ingenioſiſſimi, quos jure dixeris ejus Operum ſpecimen ac decus præcipuum. Obiit Neapoli apoplecticus anno ætatis LXX. ſed non anno MDLII., quem ſignat Ghilinus (4), ſeriùs certè ac forte ſub initium an. MDLIV., quo eum Julius III. evocavit Romam, ut creditur in Senatum Apoſtolicum referendum. Scripſit multa, quæ edita tomis duobus continentur: nec vacat eorum titulos recenſere, notantur à Ghilino; quæ ſparſim edidit, hæc ſunt.

Interpretatio c. 9. Concilii Tridentini de Juſtificatione, liber Unus.
De Conſumata gloria ſolius Chriſti, & B. Virginis liber I.
Commentaria in S. Scripturam, hoc eſt in omnes Epiſtolas Pauli Apoſtoli, & in omnes Canonicas ad Julium III. Pont. Max.
De Conſideratione & judicio præſentium temporum à ſuperſeminatis Zizaniis in agro Dominico.
Opuſculum de Cœlibatu adverſus impium Eraſmum.
Excuſationis libri IV.
Quæſtiones duæ de verbis, quibus Chriſtus Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum confecit, atque hæ decreto Summorum Pontificum damnatæ ac vetitæ ſunt.

Nec Catherini ſententiæ atque opiniones, quamvis ex acumine laudentur, probantur admodum in Scholis, ut benè notat Pallavicinus (5): nam reipſa dum nimis indulget ingenio, à veritate deflectit: atque ita ſe uno contentus eſt, ut viros maximos & inter Theologorum etiam ſui Ordinis proceres non contemnat ſolùm, verùm etiam vituperet, reprehendat, ac libris integris editis impugnet (6), Dominicum Soto, Hieronymum Savonarolam, Thomam de Vio Cardinalem, & alios judicii ſui tenaciſſimus, in aliorum judicia minax & truculentus, ut lectis ejus operibus manifeſtum eſt. Scripſit & Italica quædam quæ vidimus, hoc eſt libellos

De reprobatione F. Bernardini Ochini, & de quibuſdam Theſibus Lutheranis.
Diſſertationes contra doctrinam, & Vaticinia F. Hieronymi Savonarolæ. Latinam quoque fecit, quam Italicè Raymundus ſcripſit, Vitam S. Catherinæ Senenſis, quam tanta ſemper veneratione coluit, ut ex illa ſe Catherinum nominaverit.

LXXVII. SIMON PORTUS ſeu *Portius* origine nobili Cretenſi, Joanne patre, pro- 1554
pter homicidium exule, Neapoli natus eſt in Italiâ, ubi poſt humaniorem, ut illa tulere tempora, literarum ſtudia Pomponatium audivit, quem deinde ſecutus ad Patavinum gymnaſium venit, in quo tyrocinium Philoſophiæ depoſuit, habitis diſceptationibus publicis, ut mos tunc ferebat, triduo adverſus Achillini doctrinam; id quod conſtat ex iis, quæ de ſe & magiſtro ſuo ipſe ſcripſit in damnato libro de mente humana (7). Pluribus poſt hæc in gymnaſiis Philoſophos docuit, ac diutiùs Piſis, undè ſeceſſit in patriam, ibique in eodem munere conſenuit circa an. MDLIV. ætatis LVII. Vir quidem doctiſſimus, quod evincunt opera ejus edita, ſed impius, ut probat notatus liber de Mente humana, in quo ſententiam Pomponatii tutatus acriter, interituros cum corporibus animos ex Ariſtotele niſus eſt infeliciter comprobare; atque hoc opuſculum deteſtabile tot tantiſque Epicureæ prorſus impietatis dogmatibus referſit, ut Conradus Geſnerus (8) jure illud non homine ſed porco dignum cenſuerit; nec dubitaverit, Simonem non Portum, vel Portium, ſed Porcium & Porcum appellare. Princeps tamen Peripateticorum, & magiſtro major aſſeritur à Thuano (9), primuſque fuiſſe dicitur, qui Peripateticam ſcholam grugnientem cum barbaris Interpretibus ad Græcum latinumque nitorem reduxerit. Eodem authore aggreſſus ſit (10), docto commentatio complecti Piſcium hiſtoriam, cum Piſis profitebatur, verùm cum è Galliâ prodiiſſet ejuſdem tituli liber, editus à Gullielmo Rondeletio, ſecuto ea monumenta, quæ de eâdem re Gullielmus Belliſſerius Montis Peſulani Præſul reliquerat, opus, quod inſtituerat, deſti-

(1) à libro 1. c. 8. & in ſeqq. ſæpè. (2) ad Ughell. loc. cit. (3) Tom. 1. Operum ejus. (4) ibid. p. 13.
(5) hiſt. Conc. Trid. lib. 6. c. 9. n. 8. (6) Ghilin. ibid. p. 12. (7) in Præfat. circa medium.
(8) in Bibliotheca. (9) in Elog. apud Teiſſer. Tom. 1. p. 83. (10) ibid. p. 84.

rat, deſtituit, ratus acturum ſe, quod actum erat, cum labore, nec ſine famæ diſpendio. Reliqua ejus opera hæc exhibent typi.

De Rerum naturalium principiis.
De bonitate aquarum Epiſtola.
Encomium de dolore Capitis, & Incendio Puteolano.
Diſputatio an Homo bonus vel malus volens fiat.
De dolore liber.
De coloribus oculorum.
De Fato.
De Puella Germanica quæ biennium vixerat ſine potu & cibo.
Enarratio in Precationem Dominicam.
De Cœlibatu.
Scholia in Joannem.
Traductio latina libelli Ariſtotelis de coloribus.
De conflagratione Agri Puteolani Epiſtola.

1556 LXXVIII. SEBASTIANUM CONRADUM celebrem eloquentiæ doctorem inter alumnos gymnaſii noſtri collocandum eſſe conſtat ex Dialogo, quem Ægnatii nomine inſcripſit. Ibi enim profitetur ſe cultioris literaturæ initiis inſtitutum Venetiis ſub Ægnatio (1), eloquentiam autem, quâ clarebat, debere ſe Palladi Patavinæ, in cujus hoſpitio bonis artibus inſtruxerit avidum eruditionis abſolutiſſimæ animum Donato Veronenſi doctore, & egregio Philoſophorum principe Achillino. Natus eſt in caſtro Arceto (2), quod ad Bojardos primùm, deinde ad Tienéos Scandiani Marchiones pertinuit. Claruit ante quàm declinaret ſæculum XVI. circa an. MDXL. Ejus meminere cum laude Bonamicus, P. Victorius, & P. Manucius, ex quibus à Thuano viris à ſe laudatis annumeratur. Eloquentiam docuit in primâ ſede Bononiæ, unde ſenex Regium Lepidi profectus ibi extremum diem obiit circa an. MDLVI. ſepultus in templo Dominicanorum. Ejus hæc opera proſtant.

Annotationes in omnes Epiſtolas familiares Ciceronis.
Comment. in Epiſtolas ejuſdem ad Atticum, & ad librum de Claris Oratoribus.
Dialogus Ægnatius ſive Quæſtura, cujus præcipuum argumentum eſt Vita Ciceronis undequaque collecta.
Scholia & emendationes in Valerium Maximum.
Comment. in librum primum Æneidos Virg.
Oratio de Doctoris & Auditoris officio.
Vertit etiam latinè Dialogos Platonis.

CAPUT XIX.

Jacobus Segnius. Marcus Guazzius. Andreas Fruſius.
Jo. Franciſcus Quintianus Stoa. Jo. Pierius Valerianus Bolzanius.

1556 LXXIX. JACOBUS SEGNIUS patricio ſanguine ortus Florentiæ, egregiam indolem & ferax ac laborioſum ingenium excoluit Patavii non ſolùm inſtitutionibus juris, quibus eum aliquandiu dediſſe operam ſcribit Auctor vitæ ejus præfixæ ejuſdem operibus editis Auguſtæ Vindelicorum hoc an. MDCCXXIII., verùm etiam & quidem peculiariùs ac ſtudioſiùs Rhetoricis, Oratoriis & Philoſophicis, ex quibus cenſendus eſt. Claruit præ cæteris in Academiâ Florentinâ poſt initium ſæculi XVI. (3), in eâque ſummos honores ac munera geſſit; admotuſque exinde eſt gerendæ Reipublicæ, cui lapſanti & mox collapſæ, ut ut in præcipuis Magiſtratibus opem tulerit, raro tamen exemplo, rebus patriæ mutatis, Coſmi I., cui ea mutatio Principatum dedit, & amorem promeruit, & gratiam ſibi conciliavit obſequio, & opinione ſingularis & eximiæ cum doctrinæ, tum in rebus agendis prudentiæ. Miſſus Orator ad Ferdinandum Romanorum Regem graviſſima negotia feliciter procuravit, ac rebus ex voto Principis ſui peractis redux Florentiam in ſumma deinceps exiſtimatione fuit; licuitque illi devexâ jam ætate in honeſtâ & glorioſâ munerum publicorum vacatione ſtudiorum ſuorum otio frui. In eo conſenuit circa an. MDLVI. ſepultuſque eſt ad S. Spiritûs in ſacello D. Laurentii aviti juris. Clariſſimus eſt ex operibus Ariſtotelis Etruſco ſermone redditis, illuſtratiſque adjectâ notarum & commentariorum luce. Nam editi ſunt Ethicorum libri X. cum commentariis. Libri quoque Politicorum, Rhetoricorum, atque Poetices. Rerum etiam Naturalium Libros, & Parva Naturalia eleganter & utiliter tranſtulit: atque hæc omnia, quorum editiones, aut MSS. recenſet ſingillatim

(1) in Præfat. ad Jo. Superant.
(3) Thuan. in Elog. apud Teiſſer. Tom. 1. p. 112.
(3) Auctor ejus Vitæ.

ſingillatim Julius Niger Societ. Jeſu (1), Coſmo I. Florentinorum Principi nuncupavit. Vertit quoque ex Græco Sophoclis OEdipum interpretatione liberrimâ, qua non verba Poetæ, ſed ſententias exponat. De ſuo ſcripſit Hiſtoriæ Florentinæ ab an. MDXXVII. ad MDLV. libros XVI. Vitam Nicolai Capponi avunculi ſui. Opus utrunque nuper editum eſt typis Auguſtanis hoc an. MDCCXXIII. Meminere Segnii præter laudatos à Nigro, Franciſcus Donius (2), Benedictus Varchius (3), Jacobus Gaddius (4) ſæpè, Monumenta hiſtorica Academiæ Florentinæ (5), Michael Poccianitius (6) Marius Creſcimbenius (7), qui tamen erraſſe deprehenditur à Nigro, nominato Segnio longè juniore, pro ſeniore, quo paſſim auctore ſermonis Etruſci Furfuracei utuntur in ultima editione.

LXXX. MARCUS GUAZZIUS Mantuâ oriundus (8), patre Mantuano, ſed in civitatem Patavinam recepto, matre Venetâ Patavii natus eſt. Pueritiam & adoleſcentiam in bonarum artium cultu Rhetorices, & Philoſophiæ poſuit utiliter, ſubactuſque probâ doctorum præſtantium inſtitutione in ſpem eruditionis eximiæ aſſurgebat, cùm juveni militia placuit, bello Cameracenſi adversùs immortalem Rempublicam debacchante: eo abreptus muſis & Apollini valedixit, ac virilis ætatis annos Marti ſacravit, miles interritus, Centurio doctus, Tribunus pedeſtrium, mox etiam equeſtrium copiarum ſpectandæ, ſpectatæque ſtrenuitatis, quam augebat moles corporis juſto major, lacertoſa membrorum compago, pugnandique vis diſcriminum quorumcumque ſecura. Affectâ jam ætate, ad literarum, quod nunquam abdicaverat, ſtudium rediit, ſeceſſitque ſibi atque otio erudito, in quo conſenuit decrepitus an, MDLVI. ſepultus in templo S. Danielis M. ubi claret ejus tumulus hoc Epigrammate, quo vivens delectabatur. 1556

Mantua mi patrem, Venetumque Urbs inclita matrem,
Natale Euganei, Guazzia ſacra lares;
Datque Leo nomen, Chriſti qui Myſtica narrat,
Dat ſtudium Pallas, Militiamque mihi,
Obiit Anno MDLVI.

Edita ab eo Italicè legimus.

Hiſtoriam Caroli VIII. Regis Gallorum.
Epitomen Belli à Mahometo Turcarum Imp. cum Venetis geſti.
Chronicon Virorum Illuſtrium priſcorum & recentiorum ab A.1524. ad 1540.
Diſcordiam Amoris, Tragœdiam.
Errorem Amoris, Comœdiam.
Aſtulphum elatum animo, ſeu Alazonem, Poema Heroicum.

LXXXI. ANDREAS FRUSIUS Philoſophiæ, Medicinæ, atque etiam Theologiæ operam dedit Patavii, ut ipſe gloriatur ampliſſimè. His & aliis diſciplinis imbutus vir gente Gallus, domo Carnotenſis, maturâ jam ætate Romam venit, ac Societati Jeſu nomen dedit an. MDXLI. Receptus in familiam ab ipſo D. Ignatio Loyola Romà remiſſus Patavium iterum hìc recolendæ ac penitus addiſcendæ Theologiæ mentem ſedulam oppignoravit, atque hinc revocatus eidem D. Ignatio aliquandiu ab Epiſtolis fuit. Sacras literas publicè interpretatus eſt Romæ, in Monte Politiano, Florentiæ, Venetiis, Meſſanæ, ubi Græcas quoque literas docuit. Demum Rector Collegii Germanici non diu poſt obitum D. Ignatii exceſſit è vita. Vir fuit non Græcæ tantùm, ſed & Hebraicæ linguæ peritiſſimus, doctus Medicus, nec legum ignarus, eloquentiſſimus autem Orator, & Poeta elegantiſſimus. Plura de illo Orlandinus (9) & Allegambe (10), ex quibus hæc pauca decerpſimus. Edita ſunt ejus. 1556

Compendium Theſium collectarum ex Interpretatione libri Geneſeos.
Aſſertiones Theologicæ in I. Part. D. Thomæ.
Echo de Eccleſiæ calamitatibus.
Tractatus de Simplicitate.
Opuſcula duo de Verborum & Rerum copia.
Carminum liber cum Elegia de Agno Dei & Epigrammatibus in Hæreticos ſæpe excuſa.
Summa Latinæ Syntaxeos; Opus laborioſiſſimum, brevi carmine ad uſum adoleſcentium præcepta candidè latinitatis complexum.

(1) Hiſt. Script. Florent. p. 105. 107. (2) in Cucurbita. (3) in Diſſertationibus.
(4) ad Elog. 10. Lu. x. Pitti in not. margin. (5) P. 1. (6) Catal. Illuſtr. Script. Flor.
(7) libr. 6. de Hiſt. Vernacul. Poeſeos. (8) Scard. lib. 2. Claſſ. 1. p. 258. Pignor. de Ant. Script. Pat. ad Molin.
(9) hiſt. Soc. Jeſu. lib. 8. num. 2. lib. 16. num. 90.
(10) Biblioth. Soc. Jeſu p. 23.

Hujus moribus conſulens Martialem, & quoſdam alios Poetas laſcivos, detruncatis obſcœnis carminibus, repurgavit.

Primus ex hiſpanico in latinum ſermonem vertit libellum exercitationum D. Ignatii divino Spiritu plenum, quo nihil hactenus vidit Eccleſia brevius, efficacius, utilius ad Chriſtianam vitam inſtituendam capeſſendamque viam veræ, planæ, facilis probitatis.

1557 LXXXII. JO. FRANCISCUM QUINCTIANUM STOAM Brixienſem poſſet gymnaſium noſtrum in claſſem Profeſſorum referre, eo jure, quo Lipſium retulit, lectum quidem Senatuſconſulto, at à munere ineundo impeditum morte vel ſenectute, aliâque ex cauſa. Verùm cùm ejus nomen in albis gymnaſticis à Lignamineo congeſtis (1), & à Salomonio confirmatis (2) notatum appareat anno MD, & ſequenti, potiori jure de eo gloriabitur ut alumno. De ejus actis, vitaque Cozzandus (3), & Rubeus (4) jejunè ſatis ac perturbatè, clarè, nitidè, atque eleganter vir Nob. clariſſimus Paulus Gagliardus Brixenſis Epiſtolâ ſcriptâ ad virum nob. Brixienſem Foreſtum Comitem clarum Juriſconſultum, editiſque, cum in jure, tum in re ſacra & morali libris eruditiſſimis apud poſteros perennaturum. Ex hac notitiam hominis dabimus, iis interjectis, quæ nobis monumenta gymnaſtica, quorum ſequimur fidem, ſuppeditant. Natus eſt Quintiani in oppido agri Brixienſis, plebejâ, ut videtur, familiâ, patre Ioanne de Comitibus Grammatico, quo præceptore minoribus literis initiatus auditor in patriâ fuit Fauſtini Cœlii, & Joannis Britannici; jam tum adeo ad verſificandum propenſus, ut octingentos in dies verſus quandoque ſummâ muſarum facilitate eructaret. Fuerit poſt hæc Patavii, huc deductus à quopiam Nobilium Brixienſium; quippe horum munifica largitas in diſcipulos pauperes, quorum comitatu gaudebant, non uno exemplo ex antiquitate gymnaſii noſtri in hoc noſtro opere memoratur, nempe, uti diximus Jo. Franciſcum Quinzanum hic Philoſophiæ atque humanioribus literis nomen dediſſe ſaltem biennio, clarè & aperte alba gymnaſtica & quæſtoria teſtantur. Hinc redux in patriam adoleſcens conditionis ſuæ deterioris pertæſus, aliò migrare, ſibique fortunæ gratiam quærere, conſtituit; ac ſe comitem dedit Gallis quibuſdam proceribus, tunc fortè, cum Galli Brixiæ Venetis ereptæ imperium obtinebant. Ab his deductus Pariſios filium ſe fortis proſperæ ſtatim ſenſit. Nam receptus in aulam, datuſque Franciſco I. nondum Regi præceptor latinæ atque Italæ linguæ, paulatim ita erga ſe amorem & exiſtimationem ſcholaſticæ juventutis convertit, ut honore gymnaſiarchæ dignus habitus ſit. In illa toto terrarum orbe celeberrimâ Academiâ, nondum ætate major laureatus Poeta, celebri pompâ dictus eſt à Ludovico XII. perrexitque ad ſtudia variarum ſcientiarum incumbens tam ſedulò, ut brevì ad earum gloriam pertigerit. Præcipuè aſtrologiam amaſſe dicitur, præſtititque in eâ ejus parte, quam Phyſiognomiam appellamus. Ejus ac Matheſeos reliquæ inſtructus præſidio, multa prædixit eventu certo, & felici uſque adeo, ut Magus ſit creditus, qui lemure familiari vaticiniorum nomenclatore uteretur. Vergente in ſenium ætate viſendæ patriæ cupidus in Italiam rediit, ſtatimque ad exedram Ticinenſem accitus, inde literas humaniores docuit frequentiſſimos auditores. Jam ſenex Venetias venit, ac Senatuſconſulto gymnaſio Patavino præfectus eſt, hoc eſt ad munus publicè docendi Rhetoricam, & Moralem Philoſophiam provectus, quod ex ipſo decreto (5) manifeſtè colligitur. Hoc ille ſuſcipere, ac exercere minimè potuit ætate impeditus planè decrepitâ, vel potius interventu mortis obiit, non ut ſignat Rubeus an. MDVII. vel MDX quemadmodum ſcribit Gbilinus (6), ſed an. MDLVII. ætatis LXXV. ut habet prolixum elogium impoſitum ejus monumento, annuente Jo. Baduario Cardinali Epiſcopo Brixienſi, ann. MDCCXIV. à Joanne Gandino. Memoratur & carpitur à Scaligero, qui eum ſecutum dicit Beraldos & Pium, eorum auxiſſe vitia ingenii ſui magnitudine. Sed Quintianum uberrimè commendant, & ab Hypercritici unguibus aſſerunt viri longè doctiores & ſynchroni (7) Planerius, Ægnatius, Aldus, Bembus, Sabellicus, Politianus, Hermolaus Barbarus, à quibus Pico Mirandulano comparatur. De Scriptis ejus Cozzandus: ea ſic ex Rubeo recenſemus.

De Epographia libri partim editi, partim anecdoti.

De Martis ac Veneris concubitu. Carmen Heroicum.

Triumphi & Ethnicorum miracula. Carmen.

Opus inſcriptum Chriſtianum.

Orpheis Poema.

Diſticha ad Ovidium, & Valerium Maximum.

Volumina II. Comœdiarum, Satyrarum, Epigrammatum & Ænigmatum.

Odæ tres gallicæ de Oſculis, de Roſa, de luctu.

Tra-

(1) ad Inſcript. Gymn. (2) in Collectan. ad eaſd. (3) in Biblioth. Illuſtr. Brix. Script.
(4) Elog. hiſt. p. 221-222. (5) lib. 1. Decret. 15. Julii An. 1557. (6) Theatr. Vol. 2. p. 78.
(7) citat. in relata Epiſ. v. cl. Gagliard.

Tractatus de Arte Metrica, & Monoſyllabis duo.
Annotationes in Tortellium Grammaticum.
Diſſertationes de laudibus Poetices, & de Mulierum dignitate.
Supplementum in libros Q. Curtii.
Commentarius in Solinum.
Triumphus Venetiarum Carmen Heroicum.
Vita Ludovici XII. Gallorum Regis.

LXXXIII. JO. PIERIUS VALERIANUS BOLZANIUS pervetuſtâ gente Belluni natus an. MCDLXXVII. (1), annorum novem puer, patre mortuo, in ea rei familiaris egeſtate fuit, ut patricio Veneto ſervire coactus fuerit, eoque patrono, ac domino ad ſpem meliorum aſſurgere. Adoleſcens, egregiæ indolis, nec vulgaris ingenii vix literas attigit, & earum cupidine incenſus, cœpit ad earundem gloriam aſpirare. Quamobrem accerſitus à patruo Minoritâ Urbano, apud hunc Patavii humaniores utcunque literas delibavit, quas mox Venetiis pleniore hauſtu ad ſatietatem ebibit ſub claris præceptoribus Benedicto Brognolo, M. Antonio Sabellico, Georgio Valla, & Joanne Laſcare. Ibi quoque in clientelam venit Leonici Tomæi, Patavini profeſſoris, magni per ea tempora nominis; juſſuque patrui hunc ſecutus Patavium rediit, ac Philoſophiæ ita nomen dedit, ut ad cæteras quoque diſciplinas, non minore ſedulitate ubique uſus incumberet. Ergo ſatis ad omnem eruditionem formatus, excultuſque apud nos, remeavit Venetias, ubi Sabellico, olim magiſtro, tunc myſtagogo, ad ſacra Muſarum admiſſus Petri nomen ex more, qui tunc obtinebat, mutavit, ac Pierium ſe dixit. Mox patruo, qui quondam Joannis Medicei, tunc Cardinalis, præceptor fuerat, commendante, migravit Florentiam, ac Græcas literas, quas Laſcare docente diſcere cœperat, in eo Græcorum cœtu, quem liberalitas Laurentii coegerat, aliquandiu verſatus perdidicit. Accerſitus deinde Romam ſub Julio II., in aulâ Cardinalis Medicei ex eruditionis varietate & copiâ vixit patrono cariſſimus; quo ad Petri Solium evecto, inter præcipuos aulicos cooptatus, ea de virtute ſuâ, modeſtiâ, & integritate vitæ documenta dedit, ut nemo Julio Mediceo Cardinali eo dignior viſus ſit, cui educationem committeret nepotum, Hippolyti, Alexandri, Caterinæ, quorum alter Cardinalis fuit, dux alter primus Florentiæ, tertia ex connubio Regina Gallorum, memorabile poſteris fecit Pierii præceptoris nomen. Hoc ille contentus vixit in aulâ ejuſdem Julii Cardinalis Medicei, à quo ad inſulas Vaticanas provecto in ordinem Protonotariorum adlectus, receptuſque ad ſecreta cubiculi, multa paſſus eſt in direptione Romanâ notiſſimâ, multumque in eo laboravit, ut diſcipulos ſuos Hippolytum & Alexandrum periculis Urbis peſſumdatæ clam ereptos incolumes Placentiam deduceret. Seceſſit deinde Bellunum, ſed brevi ab Hippolyto Cardinali Romam revocatus, illi à Secretis fuit quoad vixit; poſt hujus & Alexandri obitum, cùm ex diſcipulâ ſperare maxima poſſet, claruſque in aulâ Romanâ ad inſulas primùm Juſtinopolitanas, deinde ad Avenionenſes evocaretur, utraſque unà cum ſpe maximorum contempſit: ratus ſat rebus conſultum ſuis, ſi curis exemptus, & ab officiis publicis liber, otia ſacraret muſis, atque ibi conſeneſceret, ubi ſapientiæ feliciter adoleverat. Ergo ſatis Sacerdotiis inſtructus, & ornatus titulis Protonotarii & Comitis, Patavium rediit, ubi carus omnibus, gymnaſio, Venetæque & Patavinæ nobilitati venerabilis, triennio major octogenario an. MDLVIII. mortalitatem explevit apud hoſpites Petrum Carrerium, & Jo. Baptiſtam Rotam Patavinos, quorum amore curatum eſt ejus funus ad D. Antonii, impoſituſque lapis ejus exuviis cum Epigraphe, quam leges apud Salomonium (2). Aliam Venetiis Cornelia domus cenotaphio ejus inſcripſit in extimo pariete templi Fratrum Minorum his verbis (3). 1558

D. O. M.
Pierio Valeriano Bolzanio Bellunenſi,
cujus ſi negotia diu apud ſummos Pontifices
curata noris, nihil eum ſcribere potuiſſe
dicas. Sin quæ multa tam docta ſcripſerit,
inſpicias, nulli hominum otia quietiora
extitiſſe, judices. Jo. Cornelius Fantini
Patricii Veneti Filius, & Fratres locum ami-
co ſuo intimo unanimes conceſſere.

(1) Vita Pierii Valer. (2) Inſcript. Pat. p. 416. n. 298. (3) Imperial. Muſæ. p. 42.

Scripſit.

Hieroglyphica, arcanas Ægyptiorum notas referentia, celeberrimum Opus.

Declamationem de Sacerdotum barbis ad Hippolytum Medicem.

Poemata & Opuſcula varia Epigrammatum & Odarum.

Caſtigationes & Varietates Virgilianæ lectionis.

De honoribus Matthæi Langii Epiſtolam.

Compendium in Sphæram Joannis à Sacrobosco.

Antiquitates Bellunenſes,

Comment. de Fulminum ſignificationibus, de Satione Croci, de Scarabeo.

Fabulam Carpionis.

Fabulas Leucippes, Laodamiæ & Proteſilai,

Næniam in Franciſci Gallai obitum.

Monoſticha in Iliados Homeri Periochen.

Libellum de Studiorum Conditione.

Libros duos de Infelicitate literatorum & ſuâ.

De Operum horum plerisque, ſed peculiariùs de poſtremo, plura Ephemerides Literatorum (1), in quibus extat etiam Pierii effigies ex numiſmate V. clar., & amicorum noſtrorum optimi Pilumni Pilumni Canonici Bellunenſis. Meminit concivis ſui perhonorificè Georgius Pilumnus (2), meminere obſervationes ſacræ Hamburgi editæ (3), Giraldus Senior (4), Ghilinus (5), Imperialis (6), & alii.

CAPUT XX.

Julius Cæſar Scaliger. Nicolaus Trapolinus: Jovita Rapicius. Nicolaus Tartalea.

1557 LXXXIV. JULII BORDONI, qui ſub nomine *Julii Cæſaris Scaligeri* celebratur, plena ſunt omnia, quæ plerique ſcripſerunt à ſæculo XVI. declinante ad ſequens ſæculum. Homo ſe ipſo plenus, & ex gloriâ literarum, quam certè non immeritò conſecutus eſt, uſque ad ineptias inflatus, ita Scriptoribus Tranſalpinis, ac per hos quibuſdam Ciſalpinis impoſuit, ut humillimi patris filius, Patavii natus, altus, educatuſque, & eruditus Patavii, è Veronenſium Principum Scaligerorum familiâ progenitus Benedicti Scaligeri Matthiæ Paononum Regis Archiſtrategi habitus ſit citra omnem dubitationem, aſſertuſque & monſtro ſimilibus fabulis ex hac parte commendatus. Nam & vita ejus, quæ opuſculum eſt Joſephi Juſti filii ejus, & quicunque fabuloſo, ac palam atque apertè mendaci ſcripto hujuſmodi fidem oppignorarunt, cum matre Lodroniâ Comitis Paridis filiâ Ripæ in caſtro ſuæ ditionis natum confidentiſſimè dicunt: inter Ephebos Cæſaris Maximiliani fuiſſe ſcribunt, ſub quo per ſeptennium militaverit egregiis ſtrenuiſque facinoribus clarus, præſertim in celebri ad Ravennam prælio, in quo Titum fratrem amiſerit. Addunt, ex eo prælio egenum de ineundo Fratrum Minorum inſtituto cogitaſſe, ut inde ſibi ſterneret viam ad ſupremas Eccleſię dignitates, in quibus arma moveret adversùs Venetos, quorum impotentia Veronenſium avitum imperium ſuæ ſtirpi, ac familiæ eripuerat. Quis his lectis vel auditis, ſi cerebrum habeat in occipitio, non rideat, imò potiùs non iraſcatur, miretur autem hos animos in Cerdonis nepote, & filio ludimagiſtri? Conſtat, hæc omnia ſomnia eſſe pluſquam in antro Trophonii apud Lebadios dormientis. Nempe non alio hæc teſte probantur, quàm ipſo Julio, qui magnifica hæc de ſe ipſo apud Gallos vel gallâ ſimplicitate credulos venditavit. Qui hìc vivimus, ſcimus, extincta Scaligerorum Principum omnino familiâ Carrarienſium fraudibus, his oppoſuiſſe ſe Venetos, ac internecione deletis Carrarienſibus, legitimè Veronenſi Principatu potitos, nullos deinceps uſpiam agnoviſſe Scaligeros, quibus, quod à Veronenſibus ipſis ſpontè acceperant, imperium deberetur. Notum Patavio eſt Benedictum Burdonum plebejæ conditionis hominem, ac Pædagogum patrem fuiſſe Julii, docuiſſe Venetiis pueros prima literarum, & Arithmeticæ rudimenta: inde quem Patavii genuerat Julium miſiſſe Patavium, ut in patria ſub Cœlio Richerio Rhodigino humanis literis imbueretur: ibi condiſcipulum fuiſſe Jacobi Laurentii Avantii Rhodigini, cujus teſtimonio utitur in re manifeſtâ ejus filius Joannes Marius vir clariſſimus, cum hoc ipſum aſſerit apud Tomaſinum (7), qui facetè notat Julium Bordonum, non tanti eâ ætate fuiſſe, ut poſſet, auderetve ſe Principem ferre. Valeant ergo quæcunque jactant Thuanus (8), Teiſſerus (9), Freherus,

(1) Tom. 3. p. 43. 52. (2) lib. 7. Hiſt. p. 280. 284. 288. (3) p. 604. (4) Dial. de Poet. ſui tempore
(5) Theat. V. 1. p. 289. 290. (6) ibid. p. 39. & ſeq. (7) Elog. lib. 2. in Rhodigin. p. 66.
(8) Elog. apud Teiſſer. Tom. 1. p. 132. 139. (9) in Addit. ad Elog. Thuan. ibid. p. 140. & ſeqq.

rus (1) Imperialis (2), Lotichius (3), cæterique, quorum Elogia è ſomniis Joſephi filii & Julii Cæſaris patris extuberant; atque hoc pro certo ſit, eum, qui ſe Julium Cæſarem Scaligerum dixit, effinxit militem, ductoremque fortiſſimum equitum, jactavit è ſtirpe Veronenſium Regulorum oriundum, ex infima plebe Julium Bordonum Patavinum fuiſſe. Quippe idipſum latiùs comprobat Salomonius (4) ex iis ipſis, quæ authentica Patavio miſſa ſunt Auguſtino Nipho, qui primus diu felix mendacium accuſavit. Natus eſt an. MCDLXXXIV. Studuit in patriâ Rhodigini diſcipulus, mox cœpit quędam Scotiſticæ Philoſophiæ ſub Antonio Tubetta Metaphyſicorum doctore publico ſibi documenta ſeponere, atque Minoritarum inſtitutum ambire. Præceptore ad Archiepiſcopatum Urbinarem evecto Medicinæ ſe addixit; utque erat ingenio vivido, & ad omnia parato, unà verſatus egregiè in humaniori literatura & Gentium variarum linguis, in eam ſui exiſtimationem apud ſe venit, ut ſe quòcunque per Europam ire paratum aſſereret, ſi quem inveniſſet, qui ſumptum præſtaret, atque ipſum à paupertate redimeret. Invenit autem inter domeſticos Galli apud Venetos Oratoris quempiam, quocum profectus in Galliam Burdigalæ fuit. Eo mortuo, jamque dogmatibus Calvinianis imbutus, cùm in eâ urbe praxi medicâ parare ſibi victum vellet, prohibitus interdicto, ni prius, ex more gentis, examini medicorum ſe ſe ſubjiceret, Burdigala diſceſſit Orthodoxorum jam tum hoſtis, & ex hæreticorum commercio non Medicinæ dumtaxat, verùm etiam omnium diſciplinarum doctor. His commendatus Aginnum venit in urbem Aquitaniæ, ubi primò ſe Theologum repentè dixit, & ut mos habet apud hujuſmodi Fidei deſertores Italos, cœpit palam novis dogmatibus patrocinium profiteri. Hinc à Frehero dicitur, incolas eum vicinis ad veritatis Evangelicæ cognitionem adduxiſſe, hoc eſt ſibi ipſi auſpicium Theologicorum feciſſe, ſuſceptâ errorum tutelâ. Eodem porro jure, quamvis nuſquam eum doctorem Medicum renunciatum invenias, Medicinam ibidem fecit toto vitæ reliquæ tempore, ex qua & opes paravit ſibi & nominis gloriam, quam longè latèque circumtulit vaſta, elegans, varia, ſed & arrogans eruditio. Hujus commendatione, quid non laudis meruit apud eruditiſſimos viros? Quamvis non deſuerint multi, à quibus non immeritò vapulavit, ac vapulat. Nam, ut de illo maxima referant illi, quos proximè laudavimus, aliique ab his ad teſtimonium producti; ſunt attamen plures, qui eum ex multis accuſant, vanum ac putidum probant, plagiarium exiſtimant, temerarium maximorum virorum, & injuſtum judicem, injurioſum quoque uſque ad ineptias, & inſaniam, quam vel ipſe ſui aliquando compos damnaverit (5): videndique ad id ſunt ipſe in primis Julius Cæſar in iis quæ contra Eraſmum ſcripſit (6) Maſcardus (7), Balzacus (8), Lipſius (9), Barthius (10), Tomaſius (11), Caſaubonus (12), & alii poſt Guillandinum & Niphum, quorum ſi dicta conferas cum iis, quæ pro illo citantur, non ſine ratione conſtitues, in Julio Scaligero plus ingenii fuiſſe quàm doctrinæ, parem eum audacia laborem, minus judicii, quam eruditionis. Ferunt fuiſſe hominem ſpecie oris egregiâ, majeſtatiſque plenâ: ſtatura procerum, fulvum capillo, oculis flavum, tam perſpicacibus validiſque, ut ſæpe nocte concubia, quæ objicebantur aſpiceret: corpore autem artubuſque robuſtum ac viribus inſtructum adeo, ut ſexagenarius & chiragra laborans trabem, quam vix quatuor moverent, attolleret (13). Hinc jam ſenex uxorem duxit tredecim annorum puellam, habuitque ex ea liberos plures, quorum poſtremus fuit Joſeph Juſtus, qui tantus eſt alus, mihi ut ingenuè ſcribam, non habendus ultra Grammaticum & Philologum, niſi ex animadverſionibus & notis in Chronicon Euſebii. Quod attinet ad mores, mira de Scaligero Teiſſerus ex ejuſdem ſectæ Scriptoribus. Verùm infirma virtus eſt, quæ labat in Fide, & alioqui deſertorum probitas, ut niteat, inanis eſt.

Scripſit multa, quæ variè recenſentur: do, quæ vidi.

Comment. in libr. Hippocratis de inſomniis.
Comment. in libr. Theophraſti de Plantis.
Comment. in libr. II. Ariſtotelis de Plantis.
Comment. in Ariſt. hiſtor. de Animalibus.
De Sapientia & Beatitudine libros VIII.
Hymnos & Poemata ſacra.
Epigrammata in clariores Urbes.
Libellum de Numeris Conicis.
Poema Elyſius, quo deſcribitur Rus in Eridano Principum Eſtenſium, quorum aſſuit Genealogiam.
Epiſtolas & Orationes varias, quarum duo ſunt de Filio ſuo.
Orationem pro Cicerone circa Ciceronianum Eraſmi inurbaniſſimam.
Libros VIII. de Re Poëtica.

(1) Tom. 2. P. 3 p. 2243. (2) Muſæi p. 63. 64. (3) in Biblioth. Poet.
(4) in Collect. ad Inſcr. Gym. (5) Scalig. ad Jacob. Omphalium Epiſt.
(6) Adverſ. Ciceronian. Eraſmi. (7) de Art. Hiſt. Tract. 3. c. 1. (8) in Colloqu.
(9) Miſcell. Cent. 2. Ep. 44. (10) in Claudian. p. 972. (11) de Plagio Liter. §. 517.
(12) Epiſt. 199. (13) Vita, & Sammarth. in Elog.

Libros XIII. de cauſis latinæ linguæ,
Libros XV. exercitationum Philoſophicarum ad Hieronymi Cardani libros de ſubtilitate:
ibi de doctrina vera Alchimiæ, & Artis metallicæ citra ænigmata.

Ex his poſtremis operibus præcipuè laudatur; at & aſſeritur quæ de Poetica, & latinâ linguâ ſcripſit, ſibi adſcripſiſſe ex iis, quæ à Rhodigino exceperat (1); quæ verò tradit in Cardanum, & de Metallis atque Alchimia, ſurripuiſſe ex Joannis Leonis Grammatici Commentariis (2). Vixit ex Thuano, & Ghilinò (3), qui nititur inſcriptione ſepulcrali, annos LXXV. Imperiali (4) prope octogenarius obierit an. MDLVII. Aginni Nitiobrigum XII. Kal. Novembris.

1559 LXXXV. NICOLAUS TRAPOLINUS patricius Patavinus (5), illuſtris Petri Trapolini Philoſophi frater, multis à Scardeonio commendatus ex re Poetica, non minor fratre Philoſophus prodiit è patrio gymnaſio, ut ſcribit Pignorius (6): nec tamen Philoſophicum quidpiam edidit: quippe eum & ingenium, & occaſio ſcribendi ad muſas, & ad mitiorum literarum ſtudia volentem pertraxere. Flagrabat bellum Cameracenſe, jamque Patavium ad Maximilianum deſecerat: hunc ſecutus Trapolinus inter exteros honorificentiſſimum in Germaniâ locum tenuit primùm, deinde apud Carolum V. in Hiſpania, ſub quo etiam militavit, interfuitque expugnationi Tuneti: mox miſſus Mediolanum Alfonſi Davali Iuſubriæ præfecti ab intimis Conſiliis honeſtiſſima ſtipendia meruit. Senex reconciliatus Venetis, quos in tanta rerum cataſtrophe, quamvis ſtaret à partibus Cæſaris, læſerat nunquam, paternos lares ac natale ſolum reviſit, in quo prope centenarius, annorum ſcilicet quatuor & nonaginta vitam poſuit, mortuus menſe Septembri an. MDLIX.

Edita ſunt hęc ejus opuſcula.

Carmen Panegyricum ad Alfonſum Davalum Marchionem Hyſtonii.
Conſolatio in morte uxoris Marchionis ejuſdem.
Deſcriptio Africæ antiquæ & novæ Geographica.
Hiſtoria Expugnati a Carolo V. Tuneti.
Liber Epigrammaton cum appendice Carminum aliorum metri multiplicis.
Orationes duæ de laudibus Caroli V. ſtylo uſus dicitur preſſo, arguto, nec aliunde reprehendendo, quam nimia & importuna allegoriarum priſcarumque hiſtoriarum oſtentatione.

1560 LXXXVI. JOVITA RAPICIUS in albo gymnaſtico, anno, quo poſt Cameracenſe bellum gymnaſium reſtitutum eſt, inter Brixienſes diſcipulos primus notatur, & Ravizza dicitur, idemque conſiliarius an. MDXVII. ſignatur (7). Natus Clarii in oppido agri Brixienſis duodecimo ab urbe lapide, ut refert Rubeus (8), civitate donatus eſt ob virtutis pręſtantiam, & inſigne in re literaria nomen: teſtaturque hoc ipſum Rapicius ipſe, tum in Epiſtola, quę extat in volumine Epiſtolarum clarorum virorum, tum etiam in teſtamento ſuo, quod Venetiis editum Paulo Rhamnuſio dicatum eſt. Humaniores literas Venetiis profeſſus eſt vir Platonicę bonitatis, quę tamen quandoque ſatyrico ſpiritu intumeſceret, ac, ſalvâ modeſtiâ, livorem ęmulorum, & hoſtium rabiem ulciſceretur. Amiciſſimos habuit, pręter laudatum Rhamnuſium, Mutium Calinum Brixienſem, qui Pontifex Interamnæ doctiſſimus interfuit Synodo Tridentinæ: Cardinales quoque Polum & Bembum. Nam & hujus extat Epiſtola ad Rapicium, & illius nomini Rapicius Paraphraſim Pſalmorum nuncupavit. Obiit ſenio confectus Venetiis an. MDLX., quem ſignat Rubeus. Ejus Opera ſunt.

Tractatus uberrimus de numeris Oratoriis.
Satyrarum liber unus.
Paraphraſis Pſalmorum variis Carminibus expoſita.

1560 LXXXVII. Natum humillimo genere, & egenis parentibus NICOLAUM TARTALEAM patria Brixia primas literas docuit. Ludovicus Balbiſonius nobilis juvenis Brixienſis Patavium ſecum comitem duxit (9), precibus matris ejus exoratus, quæ filium ad ſtudia propenſum ſuo ſumptu in patria vix alere poterat. Hic igitur alienis ſumptibus ſtuduit; habentque hoc nomen matriculæ Brixianorum ad an. MCDXCIX. An Philoſophiæ operam dederit, & Medicinæ, non planè ſcimus. Inter artium cultores numeratur, ac Michaelis de Florentiolis diſcipulus dicitur; congruitque ſcientia, quam deinde coluit, clarus in Italia doctor Matheſeos, quam Michael de Florentiolis profitebatur Patavii circa an. MCDXCII., ut ex Adverſariis curiæ Patavinæ notavimus (10). Balbiſonem poſt relatam Juriſprudentiæ lauream redeuntem Brixiam Nicolaus ſecutus eſt; cœpitque ex Mathematicis gloriam ſibi ac divitias parare, æquè paupertatis impatiens, ac fortunæ melioris cupidus, quam dum Brixiæ tuetur, homo moroſæ, & inurbane

(1) Barthius ibid. p. 971. (2) Tomaſius loc. cit. (3) Theatr. Vol. 1. p. 64.
(4) ibid. p. 64. (5) lib. 2. Claſſ. 10. p. 149. (6) de Ant. Script. Pat. ad Molinum.
(7) Salom. Collect. in Iſcript. Gym. (8) Elog. p. 357.
(9) V. Rube. Elog. p. 381. (10) Oper. P. 1.

næ ruſticitatis prope omnium civium odia ſibi conciliavit (1). Quamobrem alibi vivere coactus, varias Italiæ urbes incoluit, ac Ferrariæ, Parmę, Mediolani, Romę, Genuæ Arithmeticam, Geometricam, cetera, quæ ad Matheſim pertinent, docuit; depugnavitque ſcriptis acerrimis cum Cardano, ac ſibi ex illis quæſivit nomen & gloriam. Tandem domicilium poſuit Venetiis, ubi non à Senatoribus modò, ut mos Venetus habet eruditorum hominum ſtudioſiſſimus, maxime habitus eſt, at etiam à variis Magnatum ac Principum Legatis præmiis ac muneribus auctus ſortem, quam tandiu expetierat, viſus ſibi eſt conciliaſſe. Ergo ratus ſe majorem, quàm ut à civibus ſuis contemneretur, Brixiam rediit, ubi ſpe privati ſtipendii Euclidis Elementa explanare cępit: ſed quæ illum olim à civitate ſuâ auſteritas ruſtica, acerba, moroſa depulerat, eadem illum in eum apud omnes contemptum, & odium iterum dejecit, ut exinde horrendus ac deteſtabilis omnibus fugere, atque iterum Venetias confugere compulſus fuerit. Ibi perſenex deceſſit, ut habet Rubeus, ex quo ſua Ghilinus habet (2), anno MDLX. Scripſit Italicè.

Euclidem Megarenſem refectum, & integritati ſuæ reſtitutum.
Diſſertationes in Inventionem elaboratam cum Epiſtolis in Calce,
Scientiam novam,
Diſſertationes in Archimedem.
Tractatum generalem de numeris & Menſuris, in ſex partes diviſum, quas idem Ghilinus recenſet.

CAPUT XXI.

Valerianus Ulmus. Petrus Martyr Vermilius. Gullielmus Gratarolus. Bartholomæus Cavalcantes. Nicolaus Maſſa. Io. Langius.

LXXXVIII. QUem catalogi gymnaſtici alumnis Artium annumerant JOANNEM ULMUM Bergomatem, primùm quidem Philoſophum an. MDXVII. 1560
mox inter Theologos referunt nomine Valerianum Regul. Canonicum, falsò Calvus ad publicam Philoſophiæ ſedem atque Theologiæ provehit (3). Nuſquam enim in albis nomen hoc vidimus rotatiſve catalogis. Quamobrem locum habeat inter claros alumnos Artium noſtrarum, atque hanc decorum noſtrorum claſſem augeat ſui nominis gloriâ. Ordinem Lateranenſium Canonicorum poſtquam hic Philoſophus fuit, profeſſus eſt, ac deinde hic quoque Theologiæ operam dedit, quam non ſanè in gymnaſio, ſed apud ſuos, & fortè Patavii ad S. Joannis in Viridaria docuerit. Poſtmodum ad Ordinis ſui munera evocatus, Cenſor cœnobiorum ejus quinquies, ſociorum mores inſpexit, emendavit, purgavit. Ejuſdem ſacræ familiæ Præſes ſupremus an. MDXLV., biennio magiſtratus exacto, ſeceſſit in cellulam ſuam, in qua reliquum quod vitæ ſuperfuit, ſanctè tranſegit, atque an. MDLX. vir pius & doctus obierit.

Ejus opera edita ſunt.

Expoſitio in IV. libros Sententiarum.
Tractatus de Prædeſtinatione.
Expoſitiones in SS. Dei Evangelia ſecundum Matthæum, & Joannem.
Quæſtiones quingenta in omnes Epiſtolas D. Pauli.

Italicè.

Verſio libri Areopagitæ de Divinis Nominibus.
Epiſtola ad Demophilum de Manſuetudine.
De facilitate bene operandi libri II.
De ſeptem Beatitudinibus liber I.
De Oratione Dominica liber I.
De Divino Amore liber I.

LXXXIX. Gloriæ an dedecori gymnaſio noſtro vertendum PETRUM MARTYREM 1562
VERMILIUM, nihil intereſt, dummodo inter alumnos ejus agnoſcas virum doctum, ſed malum hominem, & doctrinâ peſſimè abuſum, quod verum eſt. Natus Florentiæ an. MD. (4) Stephano Vermilio patre cive nobili Petri Martyris nomen habuit ex voto matris, quæ Maria Fumantina dicta & latinæ linguæ perita, in hac filium inſtituit, Terentiique Comędias illi dicitur interpretata fuiſſe. Ad Marcellum Virgilium, qui tunc Florentiæ nobilem juventutem docebat è pulpito, à domeſtica diſciplina deductus, latinas literas apptimè didicit; adoleſcens autem annorum ſexdecim ad Feſulanum Canonicorum

(1) Rub. Elog. p. 387. (2) Theatr. Vol. 2. q. 200. & ſeq. (3) Scen. litter. P. I. p. 493. 494
(4) Melchior Adamus Vit. Theolog. exter.

nicorum Regularium collegium confugiens, clam patre, in horum Ordinem relatus eſt irato patre eam ob cauſam, quam Hæretici ſomniant, quòd lecto Danthe ac Petrarcha, & audito Savonarola, Sacerdotum Monachorumque ſcelera deteſtaretur. Addunt inde factum, ut moriens xenodochio, non cœnobiis bona ſua reliquerit, legato annali cenſu aureorum quinquaginta filio. Hic porro in Feſulano collegio triennio vixit ad annum MDXIX. quo miſſus Patavium hìc ſubſtitit per annos octo in cœnobio S. Joannis ad Viridaria, ibique, ſi Melchiorem Adamum audias, deſtitutus præceptoribus (ſcilicet Patavii) ſe uno auſpice ac doctore, privato ſtudio Philoſophicas inſtitutiones cum linguâ Græcâ tractavit. At ſi Vermilio ipſi fidem adhibeas (1) Philoſophiam Brandaporo, & Mazio, Græcam & latinam literaturam Becichemo & Amaſeo publicis Profeſſoribus, eorum aſſiduus auditor edidicit. Annorum XXVI. juvenis concionandi munus ſuſcepit, eoque functus eſt in multis Italiæ urbibus, eodemque tempore Bononienſis cęnobii Prior, vel Prioris vicarius flexit animum ad linguæ Hebraicę notitiam Jſaaco Medico Judæo præceptore. Abbas deinde Spoletinus, mox cum eodem titulo præfectus cęnobio Neapolitano, ibi ruinæ occaſionem nactus eſt ex conſortio Joannis VValdeſii Hiſpani, & Benedicti Cuſani Mediolanenſis, qui jam defectionem ſpectabant ab Eccleſiâ Catholicâ. His Myſtagogis initiatus cępit ex lectione librorum Eraſmi, Buceri, & Zuvinglii multa muſſitare adverſùs mores Eccleſiæ; ex quibus illi publico docendi munere interdictum eſt. Sed eluſit piam ſeveritatem ſolitis Hæreticorum argutiis, atque interpoſitâ provocatione ad ſummum Pontificem, patrocinio Reginaldi Poli, & Petri Bembi, quos callidè decepit, muneri reſtitutus eſt, & innocens habitus, ſui Ordinis Inſpector Generalis fuit. Ea dignitate defunctus Lucenſi cęnobio Prior præfuit, ſubjectoſque ſibi Canonicos duodeviginti ad partes hæreticorum traduxit, inter quos fuere, Tremellius, Celſus, Martinengus, Zanchius, Laſicius deterrima Italorum Apoſtatarum nomina. Poſt hæc veritus ſcelerum ſuorum pęnas, quippe ea quadantenus innotuerant, cum his Piſas fugit, ubi & Cęnam Domini ritu ſacrilego celebravit, & literas ad Polum dedit ſuæ defectionis teſtes locupletiſſimas; ſtatimque regreſſus Florentiam, ubi ſui diſceſſus ex Italia cum Ochino jampridem Apoſtata contulit, Tigurum profectus perhumanè à Bullengero, Pellicano, & Gualthero Miniſtris in ſectâ Sacramentariorum celebribus exceptus eſt an. MDXLII. Ab his commendatus Argentinam venit, ubi quinquennio Sacras Literas ex hæreticorum ſententiâ docuit, uxoremque duxit an. MDXLVII. Socio deinde Bernardino Ochino in Angliam navigavit, & Oxonii Theologiam profeſſus eſt uſque ad an. MDLV. ubi uxorem mortuam honorificè compoſuit, quam triennio poſt effoſſam, quod Apoſtatæ Sacerdotis uxor fuiſſet, Cardinalis Polus in Sterquilinium projici juſſit: ipſum Vermilium inſecutus regnante Maria, penè non comprehendit, exoſum Britannis ipſis, quippe qui Sacramentarius hæreticus leges Anglicanæ Eccleſiæ corrumpebat. Evaſit nihilominus periculum præſens Simmyſtæ Naucleri beneficio, qui clam hominem domi ſuæ quatuordecim diebus detinuit, ac tutò Anruerpiam deduxit. Inde clandeſtinâ infeſtiſſimorum itinerum peregrinatione Argentoratum pervenit; undè mox abiit deteſtabilis Lutheranis, quorum Auguſtanam Confeſſionem Zvvinglianis dogmatibus perditum ibat. Ergo rediit Tigurum, ubi ſecundas nuptias celebravit quarto ante obitum anno, ductá Italá muliercula, ex qua genimina viperarum non diu victura tulit iterum ſacrilegus Paſtor Tigurinorum. Per hos illi minimè licuit, neque Genevam ire, quò evocabatur, neque in Britanniam redire, ad quam eum invitabat Eliſabetha Regina: illud ipſi conceſſum, ut colloquio Poiſſiacenſi, ut Helvetiorum Miniſter intereſſet; ſpretuſque ac deriſus eſt à Catholicis: quamobrem, antequam cętus ille ſolveretur, Tigurum remeavit, ubi Epidemico morbo correptus infeliciter periit an. LXII. tum ſæculi XVI. tum ætatis ſuæ, quam inter domeſticas ærumnas duxit & vitæ pericula; quò reſpexit Beza, cùm illum Chriſti verum Martyrem mentitus eſt hoc Epigrammate (2).

Tuſcia te pepulit, Germania & Anglia fovit,
Martyr, quem extinctum nunc tenet Helvetia.
Dicere quæ ſi vera volent, re & nomine dicent;
Hic fidus Chriſti, credite, Martyr erat.
Utque iſta taceant; ſatis hoc tua ſcripta loquuntur.
Plus ſatis hoc Italis exprobat exilium.

Scripta

(1) Præfat. in Enarrat. Evang. (2) apud Freher. Tom. 1. P. 1. Sect. 3. p. 193.

Scripta ejus erroribus paſſim infecta hæc ſunt,

Expoſitio Symboli Apoſtolici.
Quæſtiones de Cœna Domini.
Comment. in priorem Epiſtolam Pauli ad Corinthios,
In Epiſtolam ad Romanos,
In librum Judicum.
Defenſio Doctrinæ veteris & Apoſtolicæ de Sacro ſancto Euchariſtiæ Sacramento.
Adversùs Stephani librum de Cœlibatu, & Votis Monaſticis.
Contra Richardi Smithei libros.
Dialogus contra Brentii librum de perſonali naturarum duarum unione in Chriſto.
Alia non edita leges apud Melchiorem Adamum, quæ ſimul cum editis Sacroſancta damnat Eccleſia.

XC. GULLIELMUM GRATAROLUM virum nobilem & opulentum Bergomum 1562
urbs in Ciſalpinis clara Mundo edidit, Patavinum gymnaſium diſciplinis liberalibus, Philoſophiâ & Medicinâ imbuit, aluit, & doctrinæ conceſſis inſignibus decoravit, ut ex albis & actis publicis conſtat. At Petrus Vermilius in hac ipſâ veræ ſapientiæ ſede juvenem veneno infecit, atque ita injectâ tabe corrupit, ut regreſſus in patriam ſacra omnia deſpiceret, & emendarioris religionis velamento, quà Lutheranorum, quà Sacramentariorum dogmata clam palam diſſeminaret. Tanti eſt, tantique faciendum, ſi vulpeculæ quædam, quæ vineam Domini demoliuntur, in magna gymnaſia ſinantur irrepere. Ergo in ſuſpicionem Gratarolus Bergomi venit ejuratæ orthodoxæ fidei, reuſque apud Sacros Quæſitores factus, propè in carcerem, quem utique merebatur, conjiciendus, fugâ ſibi conſuluit, atque inops & miſer ad Rhœtos ſeceſſit, & Baſileæ ludum aperuit, ſimul Medicinam exercuit, laudatus à Socio impietatis & concive Zanchio in Epiſtolis (1), ex quibus etiam à Teiſſero (2), ut pietatis cuſtos imperterritus commendatur. Secluſâ religionis cauſa, & Apoſtaſis crimine, fuit Medicus & Philoſophus excellens Phyſiognomon, & naturæ ſpeculator ſolertiſſimus, qualem illum exiſtimat Janus Jacobus Boiſſatdus (3). Docuit Medicinam in Academia Marpurgenſi, deinde in Baſileenſi, in qua extremum diem obiit an. MDLXII. ætatis LII. Vitam ejus brevi carmine complexus eſt Petrus Nigidius ſenior apud Freherum. Ejus opera.

Prognoſtica naturalia de temporum mutatione perpetua.
De Thermis Rhæticis, & Vallis Bergomenſis liber cum diverſorum Auctorum Scriptis de Balneis.
Compendium de tuenda valetudine literatorum, & fungentium Magiſtratibus publicis.
De Vini natura, artificio, uſu, ac de re omni potabili.
De Peſte.
Praxis Medica.
Correctiones & additiones ad librum Italicum falsò tributum Fallopio, inſcriptum Secreta Fallopii.
Cenſura, & additiones in librum Alexii Pedemontani, ubi de quinta eſſentia ſimplici.
Modus veræ Alchimiæ.
Equorum & domeſticorum quorundam animalium Medicina.

Recenſuit, auxit, vel illuſtravit aliorum opera; Chymicorum præcipuorum volumen cum præfationibus, & declarationibus; librum Chirurgicorum gallicè ſcriptum latinè redditum & in Capita diſtinctum: Scriptores & Conſilia & Curationes de ſudore Anglico; Thaddæi Florentini & Gullielmi de Brixia Conſilia; Ejuſdem Proficiſcentium Medicinam: ejuſdem de tuenda Valetudine in univerſum; Ejuſdem de Viribus, & mixtione Aquæ ardentis; Petri Pomponatii librum de Cauſis occultorum effectuum, ſeu de Incantatione cum præfat. & Gloſſulis; Joannis de Rupeſciſſa librum de Extractione quintæ eſſentiæ omnium rerum pro uſu Medico; Petri Aponenſis librum de Venenis cum additionibus; Theatrum Galenicum Mundellæ completum, & in meliorem ordinem redactum.

Scripſit etiam dogmatica; *De Votis Antichriſti librum Hæreticum*; librum etiam operum medicorum poſtremum *de memoria reparanda, augenda, ſervanda*.

XCI. BARTHOLOMÆUS CAVALCANTES patriciâ gente Florentinus ann. MDIII. 1562
natus (4), poſtquam humanioribus literis probè in patria imbutus eſt, ab ea profugus ob libertatem cum patre variis in urbibus Italiæ, ſed præſertim Venetiis vixit, undè Patavium veniens, hic reliquam, cum adoleſcentiæ, tum juventutis partem ſeverioribus diſciplinis inſtituit. Hinc porro profectus parentibus mortuis, conceſſit Romam, ubi egregia optimarum artium cognitione inſtructus conſilio, & eloquentiâ præclaram in rebus maximis Paulo III. ejuſque nepoti Octavio Farneſio Parmæ ac Placentiæ Duci navavit, atque utilem operam. Claruit maximè ex iis, quæ pro Henrico II. Gallorum Rege, ac Senenſibus adversùs Hiſpanos, & Mediceos geſſit. In aliis quoque aulæ muneribus verſatus eſt, eaque integerrime, & ſumma prudentiæ cum laude adminiſtravit.

(1) paſſim. (2) Addit. Thuan Tom. 1. p. 322. (3) P. IV. Vir. Docto-.
(4) Sanſon Præfat. in Rhetor. Caval.

vit. Demum Senenſibus à Coſmo I. ſubactis, rebuſque compoſitis Hiſpanos inter & Gallos, otii literarii cupidus Patavium remeavit; ubi ſtudiis & vitæ finem fecit an. MDLXII. ætatis LX. non integro. Jacet in templo S. Franciſci à Joanne filio ſepultus cum elogio, quod Salomonius (1) dabit. Vir fuit doctiſſimus, Italicè æque ac Latinè ſcribere, ac dicere ſciens. Extat latinè ab eo liber editus *de Varia exordiendi ratione in cauſis demonſtrativis.*

Italicè. *De Metandis caſtris ex Polybio,*
Orationes variæ.
De Arte Rhetorica celebetrimus commentarius, ex quo maximo in pretio eſt Poſſevino (2) & Voſſio (3).

1564 XCII. NICOLAUS MASSA civis Venetus claris alumnis artium Patavinarum jure ac meritò adſcribendus eſt, cum hic gloriæ ſibi ex arte Medicâ paraverit inſtrumenta, & ejuſdem artis inſignia reportaverit, Medicinam fecit Venetiis toto vitæ tempore feliciter, & utiliter, habituſque eſt ſuâ ætate inter principes Medicorum præcipuus. Parem cum Victori Trincavello ſynchrono cenſet Conringius (4), cùm aſſerit, hos duos illos fuiſſe, qui artem Jatricam præ aliis clariſſimâ in luce collocarunt. Claruit circa an. MDLX, nec tamen ſuperaſſe videtur annum MDLXIV. quo vivere deſiit Trincavellus. Scripſit *Tomos Medicarum Epiſtolarum duos*, quorum in altero, teſte Jo. Andrea Quenſtedio (5), multas refert hiſtorias ita vulneratorum in capite, ut ſubſtantia cerebri conciſa & deperdita fuerit, quos tamen ipſe feliciter curavit.

Librum Introductionis ad Anatomen.
Examen de vena ſectione in febribus, & aliis præter naturam affectibus.

1565 XCIII. JOANNES LANGIUS Leobertii natus in Sileſia, Coſmographiæ dedit operam in Germania, eamque docuit juvenis Lipſiæ, tum ad Medicinam converſus in Italiam venit. Melchior Adamus (6) eum ſcribit artis Jatricæ adyta penetraſſe alibi atque Ferrariæ myſtagogo Nicolao Leoniceno. Quod ut verum ſit, certum eſt ex albis cùm gymnaſticis, tum quæſtoriis (7), illum Patavii diſcipulis Artium, ac Medicinæ ſtudioſis annumeratum fuiſſe; conſtat etiam, hic adeptum doctoris inſignia an. MDXXIII, atque adeo vel antequam tyrocinium doctrinæ deponeret, vel potius poſt laurum hìc receptam verſatus fuerit Ferrariæ, ut uberiùs apud maximi nominis Medicum medicam praxim addiſceret. A reditu in Germaniam Medicinam fecit Heidelbergæ, atque in ea gloriæ verticem attigit, cum agendo, tum verò maximè ſcribendo. Septemviris quatuor Palatinis ad Rhenum Archiatrus fuit, atque in obſequio Principum illorum, habitus maximi ſemper, cumulatuſque beneficiis conſenuit an. MDLXV. Ferunt (8) caſeum præ cibis reliquis obliguriſſe, eoque menſas ejus abundaſſe: ſolitum dicere, non rectè à Medicis damnari alimentum hujuſmodi, quod etiam carmine commendavit.

Opera ejus edita.

Epigrammaton lib. III.
Miſcellanea Medicinalium Epiſtolarum, quæ penus ampliſſima ſunt non Medicæ tantùm, ſed & naturalis Scientiæ.
De Scorbuto Epiſtolæ II.
De Ptialiſmo, & ratione purgandi per vomitum ex Ægyptiorum invento.
Generalis & compendiaria curandæ Peſtis Methodus.
Extant Anecdota ejus Conſilia Medica.

CAPUT XXII.

Franciſcus Pindemontius. Hieronymus Vida. Benedictus Varchius. Annibal Carus.

1565 XCIV. FRANCISCUM PINDEMONTIUM ad hunc annum referimus, quòd ejus Præfatio ad Anatomen Corporis humani ſignatur an. MDLX. de eo autem uti jam mortuo Panvinius ſcribit circa annum MDLXVII. In illa Præfatione, quę ad Victorem Trincavellum ſcribitur, Pindemontius ſe Patavini alumnum gymnaſii profitetur. Ex albis gymnaſticis (9) conſtat idipſum: ſignaturque in adverſariis curię laurus illi conceſſa. Annumeratur illuſtribus Archiatris Veronenſibus à Panvinio (10), ex quo ſua habet Julius à Puteo (11). Scripſit ex recenſione Panvinii *Anatomen Corporis humani*, quam unam vidimus. Item *Anatomen Infantis*. *Commentaria* prolixa ſed egregia *in* libros

(1) Inſcript. Pat. p. 344. n. 182. (2) Biblioth. Tom. 2. l. 18. c. 9. (3) Inſtit. Orator. lib. 3. c. 6.
(4) tract. de Script. Sæculi XVI. c. 4. (5) Dial. de Patr. Viror. Doctor. (6) Vit. Medicor.
(7) in Miſcell. Salom. ad Inſcrip. Tomaſ. in Chronotaxi Gym.
(8) Teiſſer. addit. ad Thuan. Elog. Tom. 1. p. 258. (9) An. 1517. in Collect. Salomon.
(10) de Antiq. Veron. (11) Elog. Veron. p. 230.

libros Metaphyſicorum Ariſtotelis. *Cautelas Medicorum*, & librum inſcriptum *Gerontocomium*, ſive de Morbis Senum. Omnia typis excuſa ſunt ſub nomine Pindemontii Veronenſis (1). Veronæ enim natus eſt familiâ in primis nobili, quam Pedemontanam appellat Panvinius.

XCV. HIERONYMUS VIDA Cremonenſis in dialogis ad Matthæum Gibertum Ve- 1566
ronenſem Epiſcopum profitetur (2), ſe adoleſcentiam tranſegiſſe Patavii: hic Romulum Amaſæum audiſſe, ac Bernardinum Donatum, plenamque, tum in Rhetoricis, tum in Poeticis inſtitutionem, & linguæ Græcæ notitiam habuiſſe. Hic quoque Ordinem Regularium Canonicorum profeſſus eſt, cœperatque ſeverioribus diſciplinis imbui, cùm ejus reditum in Inſubriam parentes, erga filium ſtudioſiſſimi, à Præfectis Ordini precibus impetrarunt. Cremonâ Ticinum miſſus, ibi ſtudiorum curriculum abſolvit, ex quibus inter ſuos claruit an. MDXXXII. (3) quo Clemens VII. famâ virtutum ejus ac ſapientiæ provocatus, eum Albenſibus infulis ornatum Albæ Pompeiæ in Inſubriâ Ciſpadanâ ſacris præfecit. Excelluit maximè virtute Poeticâ, ex qua laudatur ab omnibus, qui de eo ſcripſere, peculiariùs à Ghilino (4), Roſino (5), Imperiali (6), Ariſio (7). Sed & effuſiùs à Sixto Senenſi (8), cujus judicio propiore imitationis gradu gravitatem Virgilianam videtur aſſecutus adeò, ut nullum ante eum reperire ſit, nullumque deinceps poſteritas repertura cenſeatur, qui ad tam illuſtrem Poetices lauream æmulando aſpirare poſſit. Nec defuere ex recentioribus aliqui, quorum cenſura huic judicio ſubſcripſit: ii nimirum, qui Poeticen in candore ſtyli, facilitate verſûs, & exangui quadam verſificatione ſitam eſſe contendunt; rati id solùm laudari, & admirationi eſſe, imò & licere poſſe, quod ipſi poſſunt; peccareque omnes in artem, ſi quid majus audeant, quò ipſi nequeunt aſcendere. Scripſit ediditque Vida multa. Primus Chriſti Servatoris geſta, mortem, & à morte glorioſam Anaſtaſim cecinit heroico Carmine. Hymnos de divorum laudibus plurimos uſui Eccleſiæ propoſuit. Libellum de ludo Latrunculorum, atque alterum de miro naturæ opificio in Bombyce. Bucolicam Epiſtolam ad Jo. Matthæum Gibertum Veronenſem Epiſcopum; & ad eundem Dialogos tres. Carmen Paſtorale in obitu Julii II. Pont. Max. Synodales Conſtitutiones egregias. Martyrium S. Dalmatii, & libellum de Magiſtratu. In his, ſiquidem fas eſt ingenuè fateri quod verum eſt, exceptis carminibus de Latrunculis & Bombyce, quæ ingenioſiſſima ſunt, frigent elegantiſſimè, & latiniſſimè omnia (9); iis unicè placitura, qui hac noſtrâ ætate pares ſe priſcis Scriptoribus autumant, quorum unâ, & quidem extimâ tunicâ multo centone conſarcinatâ veſtiuntur. Verſificationi Hieronymus addidit ornamenta virtutum ad vitæ ſanctimoniam ſpectantium, ex quibus inter egregios Præſules numerandus eſt. In honorario elogio ipſi à poſteris poſito penes Ughellum (10), dicitur omnibus officiis erga gregem ſibi commiſſum egregiè functus, pietate, charitate, fide, conſtantiâ præclarus piè ad Deum, quem ſanctè coluerat, deceſſiſſe Albæ an. MDLXVI. Pio V. ſedente, V. Kal. Octobris.

XCVI. BENEDICTUM VARCHIUM vixiſſe Patavii teſtantur ejus acta edita, & 1566
hiſtoriarum ab eo conſcriptarum libris præfixa. Inter diſcipulos Patavinos fuiſſe tradunt Monumenta gymnaſtica & quæſtoria ad an. MDXXVII. In his autem ſignatur calamo Lignaminei (11) ut auditor Bernardini Donati Veronenſis, & Lazari Bonamici: quamobrem alumnus fuerit gymnaſii noſtri ſaltem triennio, cum conſtet, non ante an. MDXXX. Præceptorem humanioris literaturæ Bonamicum fuiſſe Patavii. Natus eſt in vico agri Florentini, quem Montem Varchium appellant, undè illi agnomen eſt. Patrem habuit bonæ notæ Cauſidicum (12), à quo puer Mercaturæ addictus eſt, quòd craſſæ Minervæ, ac ſtupidioris videretur ingenii. Sed mox ab officinæ Magiſtro pater admonitus de aſſiduitate filii in libris perpetuò verſandis, eductum mercimoniis juſſit in addiſcenda latinâ linguâ operam ponere, & humanioribus literis nomen dare: id quod ille præſtitit feliciter adeò, ut anno ætatis duodevigeſimo par fuerit ineundis Juriſprudentiæ ſtudiis, quibus ut ſe prorſus imbueret, miſſus eſt Piſas, ubi quamvis amicus Muſis ex ingenio à legibus abhorreret, tenax tamen obſequii moleſtas ſibi diſciplinas percoluit quoad pater vixit. Hoc mortuo, ingenio ſuo reſtitutus, pertricoſis legum ambagibus valedixit, ſeque melioribus literis in ſolidum dedidit. Græcæ quoque linguæ cœpit initia præceptore Petro Victorio, cui penitùs adhæſiſſet, ni eum bella

Florenti-

(1) Chioccus in Elog. (2) dialog. 2. circa med. (3) Ghilin. Theatr. Vol. 1. p. 167. Ughell. Tom. 4. p. 293.
(4) loc. cit. (5) Lycæ. Lateran. Tom. 2. lib. 11. p. 16. (6) Muſæ. Hiſtor. p. 15.
(7) in Cremona literat. Tom. 2. p. 200. (8) Biblioth. Sancta.
(9) Vid. Scalig. in Poetic. Gyrald. Gregor. de Poet. ſui temp. Leonard. Frifonium de Poemate.
(10) d. p. 293. ſub n. 45. (11) in Collect. ad Inſcript. Pat. Gymn. (12) Ejus Vita.

Florentinorum civilia extorrem tranſmiſiſſent Venetias, undè Patavium venit; atque hìc, non, uti Teiſſerius tradit (1), Moralem Philoſophiam docuit; ſed eam auditor Donati Veronenſis, ut ſuperiùs annotavimus, didicit; inſtituitque doctrinis Platonicis, atque unà Eloquentiam, quam jampridem profitebatur, excoluit. Poſt hæc à Coſmo I. Florentiæ Duce revocatus in patriam, vix fando quis explicet, quantus apud omnes fuerit ex Orationibus, Diſſertationibus, carminibus, ac Dialogis Etruſcis, quorum nitori, elegantiæ, puritati acceptum retulere multi (2) linguæ Italicæ decus, quod à primævo ſplendore, & majeſtate deſciviſſe quadamtenus videbatur. Dictus eſt propterea ſuâ ætate Etruſcæ linguæ vindex, ac reparator, Os Jovis etruſcè locuturi, Oraculum elocutionis Italicæ; nec alio apud literatiſſimos viros in pretio habitus eſt, quàm quo inter Pictores, Sculptoreſque Michael Angelus Bonarota; in cujus funere Varchius oratione celeberrima declamavit. Hinc etiam à ſummis Principibus actum cum illo eſt, ut latina quædam Italicè redderet: reddiditque Senecæ libros de Beneficiis petente Eleonora Duce Toletana, juſſu verò Caroli Cæſaris librum de Conſolatione Philoſophiæ Boethii. Dux Coſmus ejus calamo credidit *hiſtoriam Florentinorum*, qua parte miſeros illius Reipublicæ pro libertate conatus, & ſervitutem receptam complectitur. Ea diu manuſcripta lecta eſt; nuper prælo ſubjecta in publicum prodiit, adjectaque eſt operibus editis Varchii, duobus nimirum voluminibus *Lectionum Academicarum*, *Epiſtolis*, *Rhythmorum libris duobus*, *Epigrammatibus*, *Paſtoralibus* quibuſdam *Eclogis*, *Comœdia*, cujus titulus *Socrus*, *Dialogo*, qui *Herculanus* inſcribitur, *Orationibus* variis, *Diſſertationibus de Arte Pictoria*. Quorum operum ſama diu doctorum hominum commendatione ſtetit: eviluit deinde, & intermortua, vel planè mortua thaumaturgam eorum expectat manum, qui XVI. ſæculi Scriptores mortuos vitæ reſtituunt. Porro quamvis tantâ eloquentiæ cum opinione vixerit Varchius, & aliquandiu poſt obitum apud eruditos doctoſque claruerit; attamen non deſuere, qui eidem objecerint multa, eumque de multis accuſaverint. Ferunt (3), eum in iis, quas venditabat, ſententiis Platonicis fuiſſe pervicaciſſimum, rerumque civilium imperitiſſimum, ruſticum, ac turpem vultu, & pæderaſtiæ addictum, quod abominandum ac deteſtabile vitium [illegible] appellabat; videturque non ſemel in diſſertationibus excuſare. Quid? Quod obſervant, in iis quæ ſenex diſſeruit, planè ſibi ipſi in juventute ſcribenti eſſe diſſimilem rebus, atque elocutione ipſa, ut vix in ſene deprehendas nitorem illum, & charitum decus, ex quo tanti habebatur, cum Muſis & Eloquentiæ litabat. Certè in hiſtoria, quam operum ejus poſtremum exiſtimamus, impeditiſſimus ſtylus eſt. Nulla ibi majeſtas hiſtorica, idiotiſmis abundat, quos ut lector intelligat, interprete opus habet: longis periodorum ambagibus lectorem ſæpiſſimè macerat, & ad ſyntaxim habendam compellit: minutiſſima quædam, citra gravitatem hiſtoricam, ad morem diariorum proſequitur, laſſatque animos, & longas trahere oſcitationes jubet centies expoſitis magiſtratuum creationibus, quas otiosè, & inutiliter repetit. Quid? quod contra libertatem ſtat pro ſervitute, cujus beneficiis divitem calamum, atque adeò famulum profitetur. Illud maximè damnandum in hoc opere, quòd ſæpe turpia deſcribit, atque illud turpiſſimè, quod Fanenſi Epiſcopo contigit. Vix illud honeſti percurrerint oculi, quòd attingi levius poterat, & modeſtiùs: cum contra Varchius in hiſtoria rem illam obſcœnam, ac ſætentem quodammodo palpet, & tractet, ſuſpicio eſt, ne verâ ſententiâ ſcriptum de illo Epigramma clauſerit Nicolaus Siccus apud Ghilinum his verbis (4).

Varchius ingenui ſemper ſectator amoris
Conditur hìc: totum, quod cupiebat, habet.

Deceſſit Feſulis an. MDLXVI. ætatis LXIII. Sepultus eſt Florentiæ in templo Camaldulenſium in marmoreo tumulo cum hac epigraphe, quæ ut in editis proponitur errat in anno emortuali (5), quem ſic corrigit Ghilinus (6).

D. O. M.
Ben. Varchio Poetæ, Philoſopho, atque Hiſtorico
Qui cum annos LXIII.
Summa cum animi liberalitate, ſine ulla avaritia, aut ambitione

jucundè

(1) Addit. ad Elog. Thuan. Tom. 1. p. 186. (2) Lauren. Craſſ. in Elog. Ghilin. Theatr. Vol. 1. p. 30.
(3) Lilius Gyrald. de Poet. ſui temp. lib. 2. Laur. Craſſ. in Elog. (4) ibid. p. 31.
(5) in Vita. (6) ibid.

jucundè vixiſſet
Obiit non invitus
XV. Kal. Decembris
MDLXVI.

XCVII. Pluribus in locis Romulus Amaſæus (1) diſcipulos ſuos appellat datis Epi- 1566
ſtolis ANNIBALEM CARUM, & Ludovicum Caſtelvetrum, auditumque ſe dicit ab
his Patavii, cùm in ea urbe ſtipendio Venetorum docebat Rhetoricam, & Ariſtotelis
Poeticam explicabat. Eoſdem amiciſſimos patris fuiſſe ſui ſcribit Lignamineus (2) ami-
citiâ contractâ ex pari humanioris literaturæ ſtudio ſub Amaſæo & Donato. Fas igi-
tur eſt utrunque clarioribus alumnis Artium Patavinarum, his auctoribus accenſere.
Præſtabimus hoc nos ex inſtituto inferiùs acturi de Caſtelvetro, hìc damus Carum.
Natus eſt Novariæ (3), quæ Civitas Nova dicitur, eſtque oppidum non Æmiliæ, ut
habet Ghilinus, ſed Piceni ad oram Adriatici maris æqualiter diſtans Recineto, Fir-
mo, Laureto. Genus ejus fuiſſe nobile inde conſtat, quod Eques fuerit Hieroſolymi-
tanus, & in eo clariſſimo ordine Commendator. An alibi literis & bonis artibus,
quàm Patavii, operam dederit, mihi hactenus incompertum: ubicunque humaniore li-
teraturâ indolem ad hæc ſtudia propenſam excoluit, Caſtelvetri condiſcipulus fuit.
Nondum ætate major tanti fuit apud eruditos viros, ut illum Nicolaus Gaddius Fir-
manus Epiſcopus ſibi à ſecretis optaverit, quem ab acceptâ purpurâ ſub Clemente VII.
Romam deduxit, ſpectandumque aulæ præbuit. Hinc poſt obitum Gaddii Guidiccioni
Card. Lucenſis in eodem munere familiaritatem promeruit, undè ad eandem operam
Parmam venit, evocatus à Petro Aloyſio Farneſio: hoc interempto idem præſtitit of-
ficium Alexandro Card. Farneſio ejus filio, quo ſive mortuo, ſive permittente, deve-
xâ jam ætate aulæ pertæſus ab ejus obligatione ſe aſſeruit, ſeceſſitque Tuſculum, ut
muſis vacaret. In eo otio vitam poſuit, ſatiſque conceſſit anno MDLXVI. prope ſe-
xagenarius. Exuvias Romam translatas habet quod D. Laurentio in Damaſo tem-
plum ſacrum eſt cum hac epigraphe (4).

D. O. M.
Annibali Caro Equiti Hieroſolymitano
Omnis liberalis Doctrinæ
Poeticæ in primis Oratoriaque facultatis præſtantia
excellentiſſimo,
Petro Aloyſio Parmenſium Duci, & Alexandro
Card. ob ſpectatam in Conſiliis
Dandis Fidem atque prudentiam, ſuis verò
aliiſque omnibus ob ſingularem
Probitatem atque beneficentiam
Cariſſimo.
Vixit Annos LIX. M. V. D. II.

Ejus Opera Italicè ſcripta ſunt.

Ariſtotelis Rhetorica.

Verſiones Orationum duarum S. Gregorii Nazianzeni, & Orationis S. Cypriani de Eleemoſyna.

Æneis Virgilii reddita Italicè carmine à Rhythmis ſoluto.

Epiſtolæ maximi habitæ ab Eruditis.

Comœdia inſcripta: Pannoſi.

Ode celeberrima *de regia Gallorum Familia*, quam Caſtelvetrus inſectatus eſt, tutati ſunt Academici Romani.

(1) Orat. 8. Schol. 2. de modo docendi Præf. in Xenoph. (2) Præfat. ad Sepulcr. Cicer.
(3) Ghilin. Tom. 1. Theatr. p. 13. (4) V. Ghilin. ibid. p. 14.

CAPUT XXIII.

Aloyſius Cornelius. Lævinus Lemnius. Joſeph Struthius. Bernardinus Danielius. Jo. Kentmannus Onuphrius Panvinius.

1566 XCVIII. ALOYSIUS CORNELIUS patricio apud Venetos genere (1), ſed non ex legitimo thoro natus Patavii circa an. MCDLXV. in patrio gymnaſio bonis artibus imbutus, varioque diverſarum diſciplinarum uſu inſtructus eſt, & quamvis ex eo non admodum claruerit: quippe qui doctus fuit magis quàm diſertus, quas tamen ipſe leviter, ne valetudini ſuæ obeſſet, attigit literas, in aliis laborioſiùs exercitas & exeultas amavit ſtudioſè, amantiſſimè ſovit. Annorum XXV. juvenis ægrotare cœpit, diverſiſque cum morbis conflictari. In his ſallacem expertus Medicinam, cujus è pharmacis nullas ad annum quadrageſimum ætatis habuit ſuppetias, tandem ſe Medico uſus planè convaluit, habuitque pro certo, ac certiſſimo malorum ſuorum remedio & Medico, quam ſibi præſcripſit, arctiſſimam vitæ ſobrietatem. Cibus illi quotidie non ultra duodecim uncias, potus non ultra quatuordecim ſuit; atque hac victus parcitate ultra ſæculum robuſtiſſimam vitam extendit. Uxorem duxit Utini Veronicam à Spilimbergo nobilem apud Carnos virginem, quâ cum ſterili matrimonio diu vixit, ex quo tandem jam ſeni ex inſpetato ſoboles prodiit filia unica, quæ nuptui data Joanni Cornelio patricio Veneto Fantini filio, avi memoriam in monumenta regia Cypriæ Corneliorum familiæ invexit. Carus omnibus, erga omnes præſertimque ſapientiæ Profeſſores, quibus domus ejus opulenta patuit, humaniſſimus, munificentiſſimus, pacatiſſimè vixit, nec morbo quopiam, ſed unâ ſenectute extremâ mortalitatem exuit Patavii centenario major anno MDLXVI. Falliturque Ghilinus, qui mortem ejus ſignat anno MDLVII. Edita ſunt ejus hæc pauca Italicè.

Libellus de Vita Sobria. Vertit latinè Leonardus Leſſius Societ. Jeſu Theologus. Annotationes utiliſſimas addidit Cl. Ramazzinus.

Libellus de Æſtuariis Venetis, ex quo habet aliqua in conſimili argumento vir doctiſſimus & noſtrâ ætate doctorum virorum ſtudioſiſſimus Bernardus Triviſanus patricius Venetus & Philoſophiæ patriclæ Profeſſor Venetiis.

Libellus de Vita ſua, ex quo, quæ hìc delibavit hiſtoria noſtra decerpſimus.

1566 XCIX. LÆVINUM LEMNIUM alumnum archilycæi Patavini profitetur album I. N. G. cujus Conſiliarius anno MDXXIV. notatur: idemque nomen ut approbati Doctoris in actis collegii Patavini ponitur anno ſequenti. Ejus notitiam ex Melchiore Adamo damus (2). Natum tradit an. MDV. Ziriczeæ Seelandiæ in oppido permunito ad Schaldiam inſulam. Literarum in patria tyrocinio poſito Academias luſtravit varias, tandemque hæſit in Patavinâ, in qua operæ in Medicina navatæ præmium laurum tituloſque Doctoris conſecutus eſt. Inde redit in patriam, & Medicinam apud ſuos feliciter procuravit, clarus non ibi ſolùm, verùm etiam in toto Belgio celeberrimus ſæculo XVI. Medicus. Uxore mortuâ ex ea filium ipſe docuit ac inſtituit probè adeo, ut reliquerit artis hæredem ſuæ, ſed infelicem, quippe qui cum ad valetudinis conſilia fuiſſet accitus ab Henrico XIV. Suecorum Rege, hoc à fratre Joanne Finlandiæ Duce, qui Regnum invaſit, in vincula conjecto, Gullielmus Lævini filius Medicus Regis unà cum fortunis, vitâ quoque exutus eſt. At Lævinus pater. Canonicorum collegio adſcriptus in patria, cum famâ ſapientiæ ac ſolertis in curandis Morbis induſtriæ floruiſſet circa an. MDLX. & deinceps, ante an. MDLXVIII. quo filius ejus periit, fato conceſſit. Edidit.

Explicationem ſimilitudinum, quæ ex fructibus, & herbis in Sacris Bibliis deſumuntur.

De occultis Naturę miraculis lib. IV.

De Habitu & Conſtitutione Corporis lib. II.

De Vita cum animi & Corporis conſtitutione rectè inſtituenda librum I.

De Aſtrologia. De Præfixo Vitę termino. De honeſto Animi & corporis oblectamento. De frugalitate. De Vita ruſticę dignitate.

1568 C. Notitiam JOSEPHI STRUTHII Medici in Sarmatia clari apud unum Simonem Stravolſcium deprehendimus, cùm alioqui in albis gymnaſticis Polonorum deſcriptum hoc nomen ſit, ut diſcipuli valdè ſtudioſi. Stravolſcius (3) hæc de illo. Natus Poſnaniæ

Medicus

(1) in Vita ſua ipſe, ex qua Ghilin. in Theatr. Vol. 1. p. 158.

(2) Vit. Medicor. ex quo Freher. Tom. 2. P. 3. p. 1245.

(3) in Vit. 100. Illuſtr. Polon. Scriptor.

Medicus excellenti ingenio Cypriani Lovicenſis Poloni Medici filius, apud hunc in tantum ea in ſcientia profecit, ut nemo eum ſua ætate vicerit, pauciſſimi æquarint. Nam non ſolùm theoricâ valuit, ſed in praxi quoque felix, arte ſuâ vitam produxit multis. Fuiſſe illum in gymnaſio noſtro, ex iis, quæ diximus, conſtat; aſſeritque idipſum Stravolſcius, cum eum refert docuiſſe Medicinam Patavii, ibidemque ſummo cum plauſu clariſſimorum Profeſſorum librum Sphygmicorum edidiſſe, atque uno die octingenta operis exemplaria diſtraxiſſe. Non auſim adſtipulari dicto aſſerentis eum apud nos publicè Medicinam profeſſum, quippe id aliunde probare, aut legitimâ aliquâ auctoritate conſtituere non poſſum. Quare eſto in hac decorum noſtrorum claſſe, quam noſtra documenta probant. Polonis attamen Profeſſor Medicinæ Patavinus, & quidem nominis magni habeatur: cùm id legatur in ſepulcrali ejus Elogio, quod poſitum in templo majore Poſnaniæ, ubi conditus eſt, ſic habet.

Joſephus Struthius
Philoſ. & Medic. Doctor, Librorum
Græcorum latinus Interpres
Publicus olim Stipendio Senatus Veneti
Artis Medicæ Patavii Profeſſor,
Artis Sphygmicæ per tot Sæcula abolitæ
Reſtaurator poſtea
Sereniſſ. Principis Sigiſmundi Auguſti
Poloniæ Regis Medicus
Obiit Ann. Dñi MDLXVIII. Ætat. ſuæ LXVIII.

Ex his colligimus, Struthium regreſſum in patriam ex arte Medica claruiſſe, ſalutem Regiam archiatri titulo decoratum curaſſe, obiiſſe Poſnaniæ. Edidit

Sphygmicorum librum.
De Phlebotomia librum.
De Sale librum.

Vertit è Græco *Hippocraticos libros*, & *Paulum Æginetam.*

CI. BERNARDINUS DANIELIUS, Lucenſis, majorem ætatis partem traduxit Patavii apud hoſpitem Petrum Carrerium civem Patavinum, fuitque aſſiduus auditor Donati Veronenſis, & Lazari Bonamici, ut & hic ſcribit (1), & ille profitetur (2) non uno in loco. Humanioribus literis excultus rediit in patriam, ubi decennio vixit; mox memor vitæ, quam apud Euganeos liberrimam ac ſtudioſiſſimam duxerat, extinctis parentibus, patrimonio diſtracto, inde pecuniam Venetias tranſtulit; eâque fidei publicæ creditâ cenſum ſibi conſtituit, quo liberaliter viveret apud hoſpitem Patavinum, cujus agnatam dicitur deperiiſſe. Hic Bernardino Tomitano familiariſſimè uſus eſt, eoque ſuadente ad ſcribendum Italicè animum appulit; curiſque ſolutus omnibus, quod vitæ ſuperfuit, inter Muſarum, & Suadæ delicias pacatiſſimè tranſegit. Edidit Etruſco ſermone. 1568

Poeticam pro Adoleſcentibus.
Comment. ſatis laudatum in Petrarcham.
Librum de Arte Rhetorica.
Comment. in Virgilii Maronis Georgica.
Expoſitionem in Danthis Comœdiam.
Tractatum de Statu Virtute præditorum.

Mortalitatem explevit Patavii an. MDLXVIII. ætat. LIX. conditus eſt ab hoſpitibus P. Carrerio & Jo. Baptiſta Rota in templo S. Bartholomæi cum epitaphio, quod exhibet Salomonius (3).

CII. Ex Melchiore Adamo (4) annumeramus Alumnis Patavini gymnaſii JOANNEM KENTMANNUM illuſtrem Medicum ac rei Metallicæ peritiſſimum. Is natus eſt an. MDXXVIII. Dreſdæ in oppido Miſniæ, ſede Ducum Saxoniæ. Literarum tyrocinium poſuit in patriâ, cœpitque Phyſica meditari. Inde venit Patavium, atque auditor Fracantiani, Bellacati, & Frigimelicæ, ac Landi, brevi, &, ut ferunt alba gymnaſtica, intra biennium doctrinæ laurum emeruit. Redux ad ſuos honeſta mercede conductus à Torgenſi Republica medicinam fecit: quod autem à curationibus ægrotorum tempus ſupererat, cognitioni Metallorum impendit, evocato ad utilem inquiſitionem Geſnero, quocum omnia ſua communia voluit. Muſæum habuiſſe dicitur pluteis diſtinctum, in eoque terras, ſuccos nativos, lapides, gemmas, metalla, alia- 1568

(1) in Catal. diſcip. ſuor. ad calcem Epiſt. (2) Præfat. in lib. de Art. Rhetor. & in Comment. Georgicor. (3) Inſcrip. Pat. p. 264. num. 8. (4) Vit. Medicor.

aliaque hujuſmodi exuticę curioſitatis. Floruit circa an. MDLXIII, atque obiit nondum quadragenarius, atque adeò intra ao. MDLXVIII. Edidit

Nomenclaturam rerum Foſſilium.

Calculorum humanorum genera XII. cum hiſtoriis.

Tractatum de Peſte, germanicè.

5981 CIII. Ex Epiſtolis Lazari Bonamici (1) conſtat ONUPHRIUM PANVINIUM diſcipulum ejus fuiſſe; teſtaturque Robortellus adverſus Sigonium (2) ſcribeos, multa hunc ſuffuratum fuiſſe ex fraterculi cujuſdam Panvinii adverſarius, quæ in ſupellectili librariâ extabant Lazari Bonamici, cujus is fuerat diſcipulus. Ipſe Panvinius (3) fatetur ſe Theologiæ operam dediſſe Patavii præceptore Hieronymo Girello Brixienſi, qui Ardei ſucceſſor Scoti ſedem implebat ab an. MDXXXIX. Hinc exiſtimamus, eum vel Patavii ſacræ apud Eremitas militiæ tyrocinium poſuiſſe, vel certè dantem operam ſtudiis in eorum cœnobio aſſiduè publicis prælectionibus adfuiſſe, ut mos tunc habebat apud Cœnobitas quoque, quorum Patavii degentium nuſquam aſibi, quàm in publicis ſcholarum nundinis, graviorum diſciplinarum quæſtus atque commercium fuit. Natus eſt Veronæ nobili genere, quod Cremonâ deducit Ruſcellus (4). Adoleſcentulus Eremitarum S. Auguſtini ſacris inſtitutionibus initiatus unà & amore virtutis, & ſummo exarſit deſiderio ſciendi; atque ita ſe lectioni pertinaciter dedidit, ut nemo illum unquam viderit ſine codice, quem percurreret, ſine calamo, quo lecta aonotaret. Quamobrem eum Paulus Manucius (5) helluonem antiquarum hiſtoriarum appellat: quippe his maxime agnoſcendis, poſtquam ſeveriora ſtudia, ſacraſque diſciplinas exhauſit, meorem curioſam, & miram planè in retinendis, quæ legerat, memoriam addixit; atque adeo in utriuſque vetuſtatis ſacræ & profanæ notitiâ excelluit, ut merito ſuâ ætate omnium eruditiſſimus fuerit habitus, atque is, cui ſacra & profana eruditio & initium debeat, & pluſquam adultos ac viriles progreſſus. Roma ſolita oon facilè mirari vel maxima, vix hunc hoſpitem recepit cum civem atque incolam voluit, taotique fecit, ut Patrem hiſtoriæ dixerit. Inter familiares Marcelli Card. Cervini, nondum Pontificis, ejus hortatu à Romanæ antiquitatis veſtigatione vertit animum ad rei chriſtianæ cæremonias illuſtrandas (6). Eo mortuo, in familiam Alexandri Card. Farneſii lectus, hoc commendante, cariſſimus Pio IV. Pontifici fuit, à quo, quòd aonotationes utiliſſimas Platinæ addidiſſet, quingentos Coronatos munus accepit, congiario quoque addito, ut ſumptus ipſi neceſſarius è Vaticano quotidiè ſuppeteret. Scripſit, edidit, edenda vel perficieoda reliquit plurima, quorum ſi titulos legas, vix erit, ut credas ab uno potuiſſe conſcribi quamvis longævo, nedum ab eo, qui nondum quadragenarius deceſſit. Nam ſecutus Mecænatem ſuum Card. Franeſium io Siciliam proficiſcentem Panormi obiit VII. Idus Aprilis an. MDLXVIII., ætatis XXXIX. Ibi ſepultus cenotaphium habet Romæ in templo D. Auguſtini cum effigie æoeâ & epitaphio. Ejus opera, ut à Ruſcello (7), à Ghilino (8) recipiuntur, probantur à Teiſſero (9), hic damus.

Epitome Pontificum Romanorum à Petro ad Pium IV.

Chronicon Eccleſiaſticum à Julii Cæſaris Imperio ad Maximilianum II.

De Summis Pontificibus, & S.R.E. Cardinalibus.

In Faſtos Conſulares Appendix.

Libri III. de Ludis Sæcularibus. De Sibyllinis Carminibus. De Antiquis Romanorum nominibus.

Faſti & Triumphi Romanorum uſque ad Carolum &c.

Reipublica Romana commentariorum libri III.

Romanorum Principum, & eorum, quorum maxima in Italia Imperia fuerunt, libri II.

Acceſſiones in hiſtoriam Platinæ de Vitis Pontificum.

De Urbis Veronę Viris doctrinâ, & bellica laude illuſtribus Libellus.

De Epiſcopatibus, Titulis, & Diaconiis Cardinalium.

De ritu ſepeliendi mortuos apud Chriſtianos veteres, & cœmeteriis.

Interpretatio multarum vocum Eccleſiaſticarum.

De Stationibus Urbis Romę ad Cardinales ſcriptum.

De Primatu Petri, & Apoſtolicæ ſedis poteſtate libri II.

Vitę Patriarcharum quatuor primarum Sedium.

De Triumpho, & Circenſibus.

De pręcipuis Urbis Romę Baſilicis, quas VII. Eccleſias appellant.

Civitas Romana.

De Antiquo ritu Baptizandi Catechumenos, & de Origine benedicendi imaginibus Cereis, quas Agnos Dei vocant liber I.

Viginti ſeptem Romanorum Pontificum Elogia, & Imagines.

Hæc

(1) Epiſt. 18. & in Calce catal. Diſcipul. (2) Inveſt. 1. in Plagiar. (3) Præfat in lib. de Antiq. urbiſ. Veron. (4) Inſignium lib. 3. p. 467. (5) lib. 1. Epiſt. 9. (6) Ghil. Theatr. Vol. 1. p. 177. (7) loc. cit. (8) ibid. & p. 178. (9) Addit. ad Elog. Thuan. Tom. 1. p. 320

Hæc edita ſunt, multa ſuperſunt anecdota, nec ad umbilicum deducta, quorum titulos recenſere, otioſum & inutile ſit. Leguntur apud Ghilinum (1), & Teiſſerum (2). Extabant duobus tomis ingentibus in Cimeliis biblicis Leonis Allatii, ubi ea vidimus, & quà licuit in opus annorum, quod parabamus, excerpſimus. Ea nos hercle non tanti habenda cenſuimus, quanti edita, in quibus quamvis non omnia recentiori Criticæ & emunctæ naris hominum judicio reſpondeant, ſunt attamen multa maximi facienda, indicantque ac planè comprobant, ſummam Panvinii, ac venerabilem poſteris eruditionem.

CAPUT XXIV

Ludovicus Dulcius. Franciſcus Luiſinus: Hieronymus Ruſcellus. Cœlius Secundus Curio. Vincentius Pianerus. Ludovicus Caſtelvetrus.

CIV. LUDOVICUM DULCEM Venetiæ genuere, aluit Patavium opibus Corneliorum, quorum à puero domeſticus fuit, Patavinum gymnaſium omnium diſciplinarum ornamentis inſtruxit. Hoc ipſe ſcribit (3), ejuſque nomen eſt in albis gymnaſticis (4) & quęſtoriis. Prę cęteris Italam Poeſim amavit, coluitque Italam & elocutionem & eruditionem non infeliciter, ut ea tempora plerunque in utraque frigentia ferebant. Habitus enim eſt inter claros ſęculi XVI. Scriptores, & inter Poetas Italos nitidus & argutus (5); πολυγραφώτατος quoque & in tanta librorum, quos edidit, multitudine nominis non contemnendi, quamvis inde nullam melioris fortunę aleam expertus, quin imò ſemper pauperrimus nunquam emergere potuit. Mortuus eſt in patria ſexagenarius an. MDLXVIII. conditus in templo S. Lucæ, exceptuſque tumulo quo Dionyſius Athanaſius, Hieronymus Ruſcellus, Alfonſus Ulloa, & Petrus Aretinus, quorum in re literaria par decus, par fortunę conditio. Ejus opera Italica. 1568

Poema. Orlandi egregia facinora. Carmen Heroicum.
Sacripantes. Palmerinus. Primaleon. Poemata.
Tragędię. Dido. Jocaſta. Ulyſſes. Achilles.
Comędię. Servus. Centurio. Fabritia.
Obſervationes in linguam vernaculam Italorum.
Dialogus de Coloribus.
Ephemeris rerum pręcipuarum, quę in Orbe contigere.
Acta Cęſarum Caroli V. & Ferdinandi I.
Dialogus de inſtitutione mulierum.
De Nuptiis celebrandis. Dialogus.
Acta Joſephi Patriarchę.
Compendium Philoſophię.
Annotationes in tres Ciceronis libros de Oratore.
De Conſulum dignitate, de Imperatoribus, geſtiſque Romanorum.
De ratione conſervandę & augendę memorię.
Illuſtria facinora variorum Principum, & Clarorum Virorum.
Carmina moralia, & arguta.
Voces linguę vernaculę cum Petrarcha.
De diverſis Gemmarum generibus libri III.
Diſſertationes de Origine Satyrę, & ejus natura. De Epiſtolis, & Politia.

Vertit, vel per paraphraſim italicè reddidit, Satyras Juvenalis ſex, Ovidii libros de Arte amandi; ejuſdem Metamorphoſes; Thyeſten Senecæ; Epithalamium Carulli; Vitas Impp. Petri Meſſiæ; Ciceronis Dialogum de Oratore; Satyras, & Epiſtolas Morales Horatii, cum ejus vita.

CV. FRANCISCUS LUISINUS Utinenſis bonarum Artium curriculum peregit Patavii ſub Bonamico, qui eum claris diſcipulis ſuis annumerat (6), quem ipſe præceptorem libro edito veneratur, atque Chironem appellat ſuum (7). Celebratur Luiſinus paſſim, cum ob vitæ probitatem, tum verò maximè ob humaniorem literaturam, ex qua inter paucos claruit ſua ætate. In aula Parmenſi Secretorum Ducis particeps eidem etiam ab Epiſtolis fuit. Obiit repentinam mortem adhuc juvenis an. MDLXVIII. Quantus in re literaria fuerit, diſces à Mureto (8), Michaele Bruto (9), Paleario (10), & Giraldo (11), à quo inter clariſſimos ſui temporis Poetas recenſetur. Extant edita ejus opera. 1568

Commentarius in librum Horatii de Poetica, quem fruſtra carpit Riccobonus, ſummopere laudat Jaſon De Nores.

Parergon libri X. Opus eruditiſſimum, in quo loca Græcorum & Latinorum Scri-

(1) d. p. 178. (2) ibid. p. 321. (3) Præfat. in Summa Philoſophiæ. (4) in Collect. Salom.
(5) Ghilin. Theatr. Vol. 1. p. 148. (6) Epiſt. 18. in calce.
(7) Præfat. 10 lib. Parerg. & lib. de compeſc. Affect. (8) in Epiſt. (9) Epiſt. 14.
(10) Epiſt. 39. (11) lib. 2. de Poet. ſui temp.

ptorum appoſitè ab innata obſcuritate vindicantur.

Liber. de Compeſcendis animi affectibus, quem Lazaro Bonamico præceptori dicat.

1569 CVI. Viterbium urbs antiquiſſima Tuſciæ HIERONYMUM RUSCELLUM dedit: iſque à puero in patriâ optimis literis imbutus nondum ætate major in aulam Marini Grimani Cardinalis receptus eſt, quocum venit Aquilejam, ſeu potiùs Utinum, undè Cardinalis ejuſdem, qui adoleſcentis admirabatur ingenium, ſumptibus Patavii, quæ fuerat exorſus mitiorum, graviorumque diſciplinarum ſtudia ſedulus auditor Donati Veronenſis, & Bonamici Baſſanenſis abſolvit(1). Patronum deinde Romam ſecutus clarere cœpit inter eruditiſſimos viros, quorum cùm per ea tempora ſumma eleganter loquendi, ſcribendique penè non ſuperſtitio erat, huc Ruſcellus curas convertit, ac linguam italicam ſcriptis locupletiſſimis illuſtravit. Vixit ob eruditionem totâ Europâ celeberrimus(2), inops tamen ſemper, ejuſdemque fortunæ cum Ludovico Dulcio, quem inter amicos & contubernales, olim condiſcipulum, Venetiis cariſſimum habuit: & ex cujus Epiſtolis (3) hæc, quæ dedimus, & quæ refert Ghilinus, collegimus. Mortalitatem nondum ſenex explevit Venetiis anno MDLXIX. Conditus eſt eodem ſepulcro, quo Dulcius, & alii ſuperiùs in Dulcio laudati ad D. Lucæ. Scripta hæc proſtant, penè omnia Italicè.

Scholia in IV. libros de Venatione Natalis de Comitibus.
De Inſignibus clarorum Virorum libri IV. ex quibus maxime habetur.
De Perfectione Mulierum.
Diſſertatio de Inſignibus cum Comment. Pauli Jovii.
Diſſertationes tres in Opera Ludovici Dulcii.
De Montibus & Fluminibus.
Lexicon Rhythmicum notiſſimum.
Supplementum Hiſtoriarum Jovii.
Lectio in Epigramma Rhythmicum Marchionis à Tertia.
Præcepta recentioris Militiæ terreſtris & maritimæ.
Laudes Orlandi Furioſi Poematis ab Arioſto conſcripti.
Index Virorum Illuſtrium.

1569 CVII. COELIUS SECUNDUS CURIO, tum à Romulo Amaſæo, tum etiam à Donato Veronenſi inſcribitur catalogo diſcipulorum illorum, quibus excolendis peculiarem operam impendebant, quòd inter cæteros Academicos Patavinos ingenio præſtarent, & ad Encyclopediæ gloriam plenâ ſtudiorum contentione niterentur. Bonamicum quoque audiſſe videtur, cùm eum alicubi magiſtrum, doctoremque ſuum appellet (4); atque in Topicis Ciceronis, quam ab ipſo ſententiam acceperat Patavii ſtudens, probet. Albo quoque gymnaſtico Philoſophorum an. MDXXII. & integro deinceps triennio nomen ejus inſcribitur (5). Natus eſt in Fano S. Quirici, quod oppidum eſt agri Taurinenſis in Subalpinis. Studiorum tyrocinio depoſito ſtatim clarere cœpit inter eruditiſſimos Italos Mediolani primùm (6), deinde Ticini, mox Lucæ in Etruriâ, tum apud ſuos Taurini, ubi, cùm, quod ſolent, qui ſibi ex eruditione profanâ omnia pollicentur, ex mero Philoſopho, Rhetore eleganti, & rerum plurium notitiâ non obiter adſperſo, Theologum agere cœpiſſet, & de iis, ut uſuvenit etiamnum audaciæ quorundam, quæ tunc de religione diſceptabantur, acroamaticè loqueretur, primùm ſuſpectus heterodoxi dogmatis Inuvteam fugit; ubi compertus hæreſis fuit conjectus in vincula undè fugiens miro, ut Hoſmannus (7) prædicat, modo Lauſanam venit, deinde ſe Baſileam recepit, ibique publicè per annos XXIII. Philoſophos docuit. Excelluiſſe illum præcipuè humanioris literaturæ laude Ramus (8) tradit: idque ejus confirmant ſcripta, quæ edita hæc ſunt.

Araneus, ſeu de providentia Dei. Libellus de Immortalitate Animarum. De liberis piè educandis. Paradoxa Chriſtiana. Paraphraſis in principium Evangelii ſecundùm Joannem. Adhortatio ad Religionem. Oratio de ingenuis Artibus. Orationes plures diverſi argumenti, inter quas ſunt, ſermo Bernardini Ochini ex Italico latinè verſus, & quatuor breves ex Græco, atque hæretica illa adversùs Florebellum pro vera & antiqua Eccleſiæ Chriſti auctoritate. *Satyræ duæ adverſus Orthodoxos*. Inſcribuntur Paſquillus Extaticus, & Paſquillus Theologaſter. *De Doctrina puerili libri V. cum libello de ratione docendi Grammaticam. Chriſtianæ Religionis inſtitutio. De Menſuris Romanorum. Præfatio in Titum Livium. Comment. Enarrationes, explicationes in Philippicas Ciceronis, & alias Orationes ejuſdem, in Topica, de Claris Oratoribus & Partitiones. Notæ in Saluſtium, & Juvenalem, & Caſtigationes in Senecam. Orationum variarum liber. Epiſtolarum libri III. Hiſtoria Saracenica libri III. Hiſtoria Melitenſis Belli. De utilitate legendæ hiſtoriæ*. Tranſtulit quoque multa Italica & Græca in latinum Sermonem.

Addidit

(1) diſſert. ejuſ. 2, in Opera Dulcii. (2) Ghilin. Theatr. Vol. 1. p. 126-127.
(3) Epiſt. 4. 5. 6. (4) Orat. 7. de Vita & Inſtitut. liberali. (5) in Collect. Salom. ad Inſcrip. Gymn.
(6) Thuan. in Elog. apud Teiſſer. Tom. 1. addit. p. 334. & ſeq. (7) in Diction. hiſtor.
(8) Orat. de laud. Baſileæ.

Addidit ſupplementum hiſtoriarum Sabellico; Auxitque Ciceronianum Nizolii Lexicon. Obiit Baſileæ an. MDLXIX. ætat. LXVII.

CVIII. VINCENTIUM PIANERUM, quem Joannem appellat Ghilinus (1), in Patavino gymnaſio, & Medicæ artis inſtitutionibus inſtructum fuiſſe, & ejuſdem retuliſſe laurum, conſtat ex Adverſariis Curiæ ad an. MDXX. Natus eſt in vico vel oppido Quintiano agri Brixienſis. Redux in patriam medicinam fecit feliciter adeo, ut à Germanis Principibus accerſitus apud hos, & laudem, & opes, & ex utili in morbis curandis dexteritate ſibi gloriam & patriæ comparavit (2). Notus aulæ Cæſareæ jam Ferdinandi I. & Maximiliani II. cœperat familiaritatem auſpicari, quam ſibi utique pleniſſimè conciliaſſet, ni livor, quo ſe invicem ſolent medici perdere, prænſanti ſumma obſtitiſſet. Exoſus hunc vir ſuæ virtutis conſcius, gnaruſque ſibi extero non fore tutum apud inimicos hoſpitium, rediit in Patriam, & Quintianum ſeceſſit, ac vitæ reliquum ad ætatem planè decrepitam pacatè tranſegit. Obiit nonagenario major circa ann. MDLXX. Edita ſunt Pianeri, 1570

Febrium ſimplicium diviſio, & Compoſitio ex Galeno, & Avicenna, redacta in arbores, ut facilius intelligatur.

Liber unus dubitationum & ſolutionum in III. Galeni de diebus Criticis, cum Examine Opinionum de Cauſis Criſium.

Scholia in eundem III. Galeni de diebus Criticis.

Conſilium Viennæ datum de morbo Gallico, & ejus curatione.

Conſilium Brixiæ datum in curatione Dyſuriæ.

Collegia nonnulla ad varios morbos. Epiſtolæ multæ.

Diſſertatio de Immortalitate Animæ.

Henrici Regis Gallorum adventus Venetias.

Deſcriptio Quintiani Oppidi.

CIX. LUDOVICUS CASTELVETRUS Mutinenſis, tum in patria, tum extra patriam pluribus in locis, eloquentiæ, cæteriſque bonarum artium ornamentis, natam ad literas cultiores indolem excoluit. Auditorem fuiſſe Patavii Romuli Amaſæi & aliorum, condiſcipulum verò Annibalis Cari diximus & oſtendimus in Caro: nec admodum à vero peregrinabere, ſi putes, eum hîc Philoſophicis quoque diſciplinis imbutum: quippe in albis gymnaſticis (3) Philoſophus dicitur. Regreſſus in patriam cùm diu ſe cenſorem eruditorum, qui tunc maximè clarebant, ſuis auſpiciis dixiſſet, multoſque Civium ſuorum, imò & Principum quorundam obloquendo caſtigandoque læſiſſet, vertere ſolum coactus eſt (4); erravitque diu apud Helvetios miſer, & ſordibus, quas ingerebat egeſtas, obnoxius, donec ex his ipſis, quorum cauſâ miſer erat, innotuit Maximiliano II. Cæſari, à quo cum fratre accitus in aulam, tutiùs ac liberiùs in æmulos inſurrexit, eoſque inſecutus maledico ſtylo, ſi minùs disjecit, vulneravit certè clam palam, & quà potuit, infamavit. Vir alienæ gloriæ invidus, ſui oſtentator non æquus, ex eorum progenie fuit, quorum etiamnum perennat poſteritas in quibuſdam, qui ritu ſcarabæi nonniſi ſtercoribus inhiant, & in aliorum ſcriptis, ſi quid pulchrum, grande, vel doctum eſt, incurioſi prætereunt, quod ipſis putidum, ac pute occurrit alicubi, unum illud olfaciunt. Nec tamen pari cum Caſtelvetro virtute aut gloria, quod in illo damnatur, ſibi conciliant: Quippe is malo ac triſti, at docto, acuto, & erudito dente, ſi quid clari edebatur in publicum, demordebat: hi ludiones inficeti, & grammaticuli ſcurriles è trivio, neque quæ damnant, intelligunt, ſi deſit quod in alienis ſcriptis carpant, in mores invadunt, & quæ fortè privatim peccarunt aliqui, aut falsò feruntur pecaſſe, hoc univerſim in dedecus familiarum Sectarumque detorquent, atque otioſis vapidorum cœtibus ingerunt. Hinc par in hos proborum odium eſt, nec aliud de ipſis judicium graviſſimorum virorum, quàm quod fuit de Caſtelvetro, apud Rhœtos agente. Nam & deteſtabilis his fuit, & de Fide orthodoxa ſuſpectus. Utranque tamen infamiam ille poſt exilium decennale meliùs conſultus eluit, tandemque acredine illa omnibus invidioſâ prudentiùs mitigatâ editiſque ſuæ fidei teſtimoniis cùm ſuæ religionis caſtitatem comprobaſſet, rediit in patriam, ſcribendoque ac diſſerendo, quam obtrectando detriverat, claritatem ſui nominis, & integram ſapientiæ famam recuperavit, habitus inter eruditiſſimos viros ſæculi XVI (5). Obiit non apud Rhætos, ut refert Thuanus (6), ſed in patria an. MDLXXI. ætatis LXVI. Cadaveri epitaphium à fratre impoſitum, quod illum incomparabilem aſſereret abolitum ab invidis extat apud Ghilinum (7) ſic. 1571

D. O M.

Memoriam Ludovici Caſtelvetri Mutinenſis Viri.

Scien-

(1) Theatr. Vol. 1. p. 86. (2) idem, & Rubeus Elog. p. 411-412. (3) ad A. 1520. & ſeq.
(4) Ghil. Theatr. Vol. 1. p. 147. Laurent. Craſſus in Elog. (5) V. Balzacum Epiſt. lib. 5. Ep. 7. & 8.
(6) in Elog. apud Teiſſer. in addit. T. 1. p. 363 (7) loc. cit.

Scientiæ, judicii, morum, ac vitæ incomparabilis;
Qui dum Patriam ob improborum hominum ſævitiam
Fugit, poſt decennalem peregrinationem tandem hic
In libero ſolo liber moriens liberè quieſcit.
Anno ætatis ſuæ LXVI.
Salutis verò noſtræ
MDLXXI.
Die XX. Febr.
Fr. MM. P.

Celebertimum ejus opus eſt, *Commentarius in Poeticam Ariſtotelis* Italicè. De eo noſtrum hoc judicium eſt. Doctiſſimum, eruditiſſimum exiſtimamus. At negare non poſſumus eo Sententias Ariſtotelis non illuſtrari, obſcurari, impugnari, multis objectis, pluribus extra tem propoſitis, controverſis plurmis importunè ingeſtis, ex quibus hoc unum tandem conficias Poeticen artem eſſe, quam nemo ſatis intelligat (1), & Ariſtotelem planè deſipuiſſe, qui de illa diſputavit, atque illa docuit, quæ ne ipſe quidem ſatis intelligebat.

Expoſitio Rhythmorum Petrarchæ.
Præcepta Rhetorica.
Ratio Cenſuræ latæ in Oden Annibalis Cari.
Apologia ad Romanos Academicos.
Emendationes in Dialogum Varchii de linguis, & in Proſas P. Bembi.

CAPUT XXV.

Joannes Tertius. Octavianus Maninus. Jo. Baptiſta Cynthius Gyraldus. Bernardinus Scardeonius. Cornelius Muſſus.

1572 CX. JOANNEM TERTIUM ex ordine cœnobitico Minorum Bergomatem Calvus (2) tradit in via Scoti Patavii publicè Philoſophiam docuiſſe primùm, mox translatum ad ſedem Theologiæ, inde non acutas dumtaxar argutias Doctoris Subtilis, verùm etiam ſactarum Paginarum arcana ſummâ cum laude interpretatum fuiſſe. Nihil horum habent monumenta gymnaſtica, ſomniatque certiſſimè Calvus, cùm ſeries Theologorum gymnaſii noſtri pugnet cum nomine hujus clari Theologi, quem aliundè ſcimus hìc his omnibus diſciplinis imbutum, atque adeo alumnum fuiſſe gymnaſii, in quo ex legum præſcripto (3), qui vel in cœnobio baſilicæ Antonianæ, vel in eo, quod S. Auguſtini dicitur, religioſi juvenes ſeverioribus diſciplinis operam dant, tenentur publicis prælectionibus intereſſe, nec alibi, quàm hìc doctorum inſignibus decorantur. Has proinde ſcientias Tertius Patavii privatim docuerit, fortè etiam Ticini, undè huc à Calvo traducitur. Fuit magni nominis Theologus, biſque ad Synodum Tridentinam miſſus, ſemel quidem à Senatu Mediolanenſi, deinde à Pontifice Patavino Cornelio, ſpei, atque expectationi mittentium abundè reſpondit. Functus porro præcipuis in ordine, quem profitebatur, dignitatibus, in patria non planè ſenex occubit an. MDLXXII. Edita fuit ejus opera Italicè.

Explanationes in librum Proverbiorum & in eundem Ethicæ diſſertationes.
Expoſitio in librum Eccleſiaſtæ.
Diſſertationes in Eccleſiaſticum habitæ in templo primario Bergomenſi.

Latinè.

Job & Tobias illuſtrati.
Deciſiones Caſuum Conſcientiæ.
Fragmenta in Apocalyſim.
Micæ, quæ cadunt ex Menſâ Domini; hoc eſt Meditationes de Euchariſtico Myſterio.

1573 CXI. Manina Familia apud Carnos in primis nobilis, jampridem verò in ordinem patriciæ apud Venetos nobilitatis recepta, nuper autem etiam Procuratoriâ Purpurâ inſignis, ditionibus, titulis, opibuſque ampliſſimis, quas divino cultui ac religionis ornamento profusè impendit ac largiter, noſtra ætate clariſſima, egregium decus gymnaſio noſtro

(1) Vide Menarderium in Præfat Poetic.
(2) Scen. liter. P. 1. p. 211.
(3) lib. 1. Decret. 25. Octob. 1518.

ſio noſtro ſæculo XVI. fecit in OCTAVIANO MANINO nobili, gravi, pioque Poeta, qualem illum ex Ranucio Ghero (1) celebrat Gaddius (2). In gymnaſio adolevit, omnibuſque liberalibus diſciplinis per annos ferme ſex imbutus eſt: nam ſexies in albis notatur ab an. MDXXXV. Utrum hìc præmium laborum acceperit, non conſtat: fuiſſe tamen eum inter cariſſimos diſcipulos Bonamici, ex hujus epiſtolis (3) manifeſtum eſt. Muſas peculiariùs coluit, hiſque toto vitæ tempore Utini in patria litavit, ubi etiam vitam poſuiſſe creditur ſexagenario major an. MDLXXIII. Pauca ſcripſit edíditque, ſed optima, poetico ſpiritu citra tumorem afflata, nitidiſſimo ſtylo nec tamen elanguido doctè fluentia, fœta ſententiis, & ad affectus movendos elegantiſſimè concinnata. Laudat ea Gaddius (4), in quibus tamen nævos deprehendit quoidam, quibus ceruſſam illinat Critices ſuæ homo ridiculus ſatis, & in aliis ea reprehendens, quæ reprehendi non poſſunt, cùm ipſe in luto mendoſæ latinitatis plerunque hæreat, quidquid de illo adhuc ſuperſtite magnificè prædicent Incogniti (5). Nempe in Manini carminibus non probat, quod alicubi legat aſpros pro aſperis, quandoque etiam verſum ſpondaicum offendat. At Aſpros adhibet Virgilius alicubi (6), aſproſque ſentes appellat, & Spondaico paſſim utuntur Poetæ cùm gravia efferunt. *Sed italiciſſat*, inquit, *Sonus aſpri nec ipſi verſus Spondaicus arridet*. Apage iſtas ineptias, ac de vate clariſſimo cenſe non ex Grammaticorum decempeda, ſed ex amuſſi Poetica. Scripta Manini laudatus Gherus recenſet: quæ vidimus edita, tria ſunt æris probatiſſimi.

Parœneticon Heroico Carmine ad Principes Chriſtianos, ut opem ferant Equitibus Hieroſolymitanis in Melita laborantibus adverſùs Turcas.

Epiſtolam alterno verſu ſcriptam ad ipſos Equites Melitenſes.

Hymnus inſcriptus, Preces pro Equitibus D. Joannis obſeſſis à Turcis.

CXII. JO. BAPTISTA CYNTHIUS familiâ Gyraldorum honeſtâ Ferrariæ natus, 1573
& agnatus Lilii, non alumnus dumtaxat gymnaſii noſtri fuit, ſed propè dixerim incola, & Patavii civis. Quippe hìc majorem ætatis partem ſtudendo, vivendoque tranſegit, ut palam aſſerit in elogiis Thuanus (7), confirmat ipſe, tradunt monumenta gymnaſtica. Hinc mirum eſt ita laudari à Ghilino (8), ut cùm, quæ obiter egit, enumeret, de morâ ejus Patavinâ, ſtudiis in hac urbe peractis, ne verbum quidem. Sed Ghilinus multa de Cynthio tradit quæ certiſſimè falſa ſunt, caſtiganturque ſenſim à Teiſſero (9). Cynthium ſe nominavit (10), ejuratâ quadantenus nomenclatione familiæ ſuæ, quòd receptus inter Academicos Affidatos, hoc ſe nomine nuncupaverit, illudque deinceps retinuit in aliis quoque Academicorum ſocietatibus, quas auxit virtutis ſuæ famâ. Medicinam profeſſus eſt, atque hujus laurum apud nos meruit (11): verùm, cum ex humaniore literatura doctior haberetur, hanc docuit in patriâ, Cœlio Calcagnino fatis crepto ſuffectus. At cùm eodem tempore aulam quoque Ferrarienſem coleret ſecretorum ſui Principis particeps (12), atque homo dicax & facetus Principem ipſum, verbo verſuque læſiſſet, vertit ſolum, & eodem, quo in patria docendi, munere functus eſt in Academia Montis Regalis apud Subalpinos: undè majore ſtipendio conductus venit in eandem operam ad Ticinenſe gymnaſium; quod cùm, renovato Gallos inter & Hiſpanos bello, concuſſum, mox etiam peſſumdatum fuiſſet, Cynthius quieti ac ſtudiis vacaturus remeavit Patavium, ubi habitus inter eximios & Philoſophos, & Rhetoras, & Poetas conſenuit. Senex autem redux in patriam ſtatim vivere deſiit, circa an. MDLXXIII. pridie Kal. Januar. prope ſeptuagenarius. Multa ſcripſit, quorum pleraque ipſe vulgavit, aliqua ab ejus obitu lucem publicam aſpexere. Ex his

Latina ſunt.

Epigrammata ſalis, & mordacitatis, ac jocorum plena.

Poemata & Carmina varia.

Hiſtoria de geſtis Andreæ de Auria Principis Melfitenſis.

Oratio ad M. Antonium Treviſanum Venetorum Principem, ad Franciſcum Venetorum Ducem in funere Franciſci Galliarum Regis.

Italica.

Commentarius de Familia & Principibus Ateſtinis.

Diſſertationes de ratione ſcribendarum Fabularum proſâ Oratione, Tragædiarum,

Comœdiarum, aliorumque Carminum Italicorum.

Diſſertatio de officiis Nobilis Adoleſcentis in Aula ſervientis.

Flamma-

(1) de Poet. Illuſtrib. (2) in Elog. Scriptor. (3) Epiſt. 18. in calce. (4) ibid.
(5) in Gloriis p. 181. & ſeqq. (6) Æneid. lib. 2. (7) apud Teiſſer. in Addit. Tom. 2. p. 407.
(8) Theatr. Vol. 1. p. 98. (9) ibid. p. 407. [10] Ghil. ibid. p. 99.
(11) Adverſar. Curiæ An. 1534. 12. Maii. (12) Gregor. Gyrald. de Poet. ſui temp. lib. 2.

Flammarum Amatoriarum Partes duæ; hoc eſt Rhythmi, & Odæ.
Lectiones in Ariſtotelis Meteora.
Hercules Poema Heroicum.
Tragœdiæ his titulis inſcriptæ. Orbecche. Cleopatra. Dido. Antivalomeni. Selini. Epithia. Euphemia. Arenopia. Altile. Ægla.
Satyra.
Ecatomythi, ſeu fabulæ centum.
Epiſtolæ familiares.

1574 CXIII. BERNARDINUS SCARDEONIUS ampliſſimum habet elogium à Martino Sandelio eruditiſſimo viro editum (1), & inſculptum parietibus templi S. Stephani (2). Inde ſua habet in Elogiis Tomaſinus (3). Natus eſt Patavii an. MCDLXXVIII. atque à pueritiâ optimis tum domi moribus, tum diſciplinis in patrio gymnaſio inſtitutus inſtructuſque eſt. Sacris initiatus ætate major gradatim ad Sacerdotium pervenit; nec dum annum tertium & trigeſimum egreſſus Sanctimonialibus D. Stephani M. Moderator, & ab Exhomologeſibus arbiter præſuit per annos integros quatuor & triginta. Quo tempore grande & impeditiſſimum opus de Antiquitate Urbis Patavinæ, deque claris ejuſdem civibus exantlandum ſuſcepit, & ad umbilicum perduxit. Inde non minus, quam vitæ ſanctitate nobilis, ac de eruditione Antenoreâ optimè meritus inter Flamines Patavinos cooptatus eſt majoris templi Canonicus. Eo munere venerabilis eivibus ſuis functus eſt uſque ad obitum. Mortalitatem explevit IX. Kal. Junii anno MDLXXIV. ætatis XCVI. Conditus eſt in templo, cui Exhomologetes præfuerat cum Effigie & Epitaphio, quod leges apud Tomaſinum (4), emendatiùs apud Salomonium (5). Illi multa opus hoc noſtrum debet ex iis, quæ ſcripſit, & edidit:

De Antiquitate urbis Patavinæ, & claris ejus Civibus libros tres in Claſſes XV. diſtributum, opus egregium, pium, doctum, ſobrium, & ut ea tulere Patavii tempora citra phaleras plerunque elegans & latinum.
De Sepulturis inſignibus Exterorum Patavii jacentium lib. I.
De Caſtitate libros VII.

Scripſit Italicè.

Navem Evangelicam, opuſculum ſacrum ad Sanctimoniales D. Stephani.
De Conſolatione ad eaſdem.
Edendumque curavit librum Petri Barocii Pontificis Patavini, de ratione benè moriendi: Preces quoque quaſdam ad pluviam petendam, arcendaſque tempeſtates, quibus præfationem perutilem præfixit & piam.

1574 CXIV. CORNELIO MUSSO Epiſcopo Bituntino patria Placentia fuit, ab adoleſcentia Ordo cœnobiticus Minoritatum, quibus nomen dedit in patria. Inde ad quæſtum ſcientiarum Patavium miſſus è collegio Antoniano auditor fuit ſimul Jacobi Burgii Profeſſoris ex mente Scoti gymnaſtici, & M. Antonii Zimaræ publici Philoſophi rem naturalem explanantis. Hic quoque Theologiæ initiatus eſt ſub Simone Ardeo Scotiſticam ſcholam in gymnaſio profitente. Ipſe horum teſtis eſt (6), ejuſque dicto ſtamus cùm dicimus, eum hic itidem humanioris literaturæ nitorem & elegantiam, ſi quam habet, ex Bonamico decerpſiſſe. Hoc doctore ita profecit, ut cùm acer fuerit Scotiſta, doctuſque Theologus, orator quoque omnium ſuâ ætate maximus Italiam totam famâ facundiæ ſuæ compleverit. Memoriæ vi polluiſſe dicitur tantâ, ut prælectiones docentium ad verbum reddere, ſacros præconum Chriſti ſermones repetere, ſi liceet uti phraſibus Imperialis (7), reputaret in ludicris. Hinc illi facilitas mira dicendi, præſertim ex tempore, cùm ex inopinato pangenda erant elogia triſtia, & funebres orationes habendæ. Excelluit porrò inter Concionatores adeo, ut ipſi vivo parem neminem audierit Italia. Franciſcus Sfortia Inſubriæ Dux declamantem ita ſuſpexit, ut exinde eum à ſuâ ditione diſcedere non permiſerit, atque idcirco Profeſſorem Theologiæ Ticini publicum eſſe juſſerit. Sfortia mortuo, rebuſque in Inſubriâ turbatis, Bononiam ſeceſſit, undè à Paulo III. ire juſſus in aulam filii ejus Petri Aloyſii, apud hunc Theologi, & Oratoris munere functus eſt quadriennio. Poſtea Petræ Honorii, quæ Bretinorium in Flaminiâ dicitur (8), Epiſcopus creatus, non multo poſt Bituntinis præfectus eſt Sacris apud Appulos Daunios. Indictâ per Paulum III. Synodo Tridentinâ, primus omnium Antiſtitum juſſis Pontificis paruit, primuſque Tridentum venit, vel certè inter primos (9): primuſque in ſeſſione Concilii prima ſacerrimi cœtûs fecit initium eloquentiſſimâ oratione, quam Sarpius more ſuo pacatiſſimè carpit, Pallavicinus doctè & ingenioſè (10), ut ſolet, ab iniquâ obtrectatione tuetur.

Eidem

(1) Elog. 3. (2) Vid. Salom. Inſcrip. Pat. p. 320. n. 11. (3) Tom. 1. p. 129.
(4) ibid. p. 230. (5) loc. cit. (6) Præfat. in Concion. ſuas ad Jul. III.
(7) Muſæi p. 68. (8) V. Ughell. ibid. (9) Pallavic. hiſt. Conc. Trid. lib. 5. c. 8. n. 9.
(10) ibid. c. 18. à n. 1.

Eidem Synodo interfuit ſub Julio III. & Pio IV. ſententiam pro Traditionibus tulit (1), ſtetit à partibus eorum, qui onus reſidendi jure Divino conſtitutum eſſe, & indictum Epiſcopis, cenſuere (2). De Juſtificatione hominum ea decernenda propoſuit, quæ ſummâ omnium commendatione recepta ſunt (3). Obiit etiam legationem pro Synodo ad Cæſarem Ferdinandum, reportataſque victorias de Lutheranis à Carolo V. an. MDXLVI. coram Patribus oratione facundiſſimâ celebravit (4). Tantorum vir meritorum deinceps ſummam apud Pontifices Romanos viſus eſt ſibi gratiam comparaſſe, atque etiam familiaritatem, quæ Purpuræ decus deproperaret. Verùm hoc maledico æmulorum livore dilatum, tandem morte etiam ereptum eſt. Deceſſit Romæ V. Idus Januarii an. MDLXXIV. ætat. LXIV. jacet ad SS. Apoſtolos cum elogio, quod exhibet Ghilinus, ex quo ſua habet Iſaacus Bullartus (5).

Ejus Opera latina.

Synodus Bituntina.
De Hiſtoria divina libri V.
Oratio inauguralis Synodi Tridentinæ.
Oratio de Triumphis ab Eccleſia relatis de hoſtibus ſuis habita Tridenti an. MDXLVI. poſt devictos Lutheranos à Carolo V.
Declaratio Pſalmi De profundis.
Homilia de modo Viſitandi.

Italica.

Concionum Volumina IV.
Conciones Quadrageſimales.
Conciones de Regno Chriſti, de Virgine Deipara in Symbolum Apoſtolorum.
Cruciatus Chriſti à Joanne Evangeliſta deſcripti.
Epiſtolæ multæ, quarum aliquas leges inter Epiſtolas Virorum Illuſtrium.

C A P U T XXVI.

Paulus Manucius. Amalthæi Fratres tres. Hieronymus Cardanus. Petrus Juſtinianus.

CXV. PAULUM MANUCIUM Aldus Senior Venetiis genuit, & à primis annis 1574
eum apud ſe inſtituit, tum in Patavinum Lycæum ad ſeveriores diſciplinas delegavit. Sed adoleſcenti mitiores literæ placuerunt, illarumque ſe ornamentis inſtruxit, reliquis gravioribus vel contemptis, vel certè leviter delibatis. Profeciſſe eum multùm admodum ſub Lazaro Bonamico, ipſe Lazarus teſtis eſt (6) in epiſtola, quam ad eum ſcripſit de tuendâ Tulliani ſermonis elegantiâ. Erat per id tempus Paulus Romæ, atque in illa doctorum hominum turbâ Poeta & Philoſophus eximius habebatur, eminebatque inter humaniorum literarum profeſſores tantâ cum nominis famâ, ut ſelectiſſimis Oratoribus ac Poetis accenſeretur, quamvis laborioſo typorum operi addictus à patre vix poſſet ex ingenio Palladi muſiſque litare. Accitus Bononiam operam ſuam in excudendis Academiæ libris locavit utiliter (7), par patri, ſi non patre major, ſive corrigenda eſſent ad uſum publicum ſcriptorum doctiſſima Monumenta, ſive de argumentis eruditiſſimis eſſet publicè privatimve diſceptandum. Pio V. & Gregorio XIII. ex his carus Vaticanæ baſilicæ præfuit aliquandiu (8), eoque munere notus, præclariſſimorum virorum ſibi gratiam, amorem & exiſtimationem conciliavit ampliſſimam: Quotum adeo propitium deinceps judicium meruit, ut pater & arbiter Muſarum & Elegantiarum, quaſi propria nomenclatione deſignaretur, fuiſſetque inde felix, ni eum fortuna ſolita quieti doctorum hominum invidere Româ extruſiſſet in patria victurum infeliciſſimè. Nam ejus filia olim in Parthenone Virginitatem profeſſa, cùm ſe diceret non ſponte id vitæ genus iniiſſe, minareturque clam ſe à cætu Monialium egreſſuram, ut Genevam contenderet, ni pater omni ſtudio illam inde ſubducere niteretur, is æger animi, affectuſque corpore, labores, itinera, conatus duros, & multos miſerrimè ſubiit: ac modò Venetiis verſatus, modò Patavii, & alibi; tandem raro exemplo, filiam diu dicatam Deo ad cultus profanos abſtractam Venetiis honeſto matrimonio collocaverit. Hæc paulo poſt cùm libidinum rea, & in adulterio deprehenſa ab affinibus & marito fuiſſet interempta, Manucius immenſo mærore correptus vitæ reliquum in luctu duxit & macie, quam augebant incommoda ex lue Gallicâ jam pridem contracta, alternatimque devexam jam ætatem ſævâ morborum varietate vexantia: ut vix illa infractâ, qua pollebat, animi conſtantiâ toleraret, levaretve perpetua doctorum

(1) Ibid. lib. 6. c. 14. n. 3. (2) ibid. lib. 7. c. 6. n. 7. (3) ibid. lib. 8. c. 4. n. 14.
(4) Ghil. Theatr. Vol. 1. p. 40. (5) in Academ. Scient. & Art. [6] Epiſt. 8.
(7) Ghilin. Theatr. Vol. 1. p. 187. (8) Imperial. Muſæ. p. 108.

doctorum virorum Senatorumque conſuetudo atque frequentia, qua domus ejus Lyceum, & academia evaſiſſe videbatur Venetiis, tantâ apud exteros quoque famâ, ut Matthæus Senarega, qui deinde Genuenſis Reipublicæ Dux fuit, Venetias venerit, hoſpitium apud illum octimeſtre peregerit, ut eruditâ viri conſuetudine unus inter domeſticos penitus frueretur. Extremis vitæ annis (1) Romam revocatus, ut Sacrorum codicum editioni, quam Gregorius XIII. deproperabat, præeſſet, ibi cum præ macie in lectulo decubuiſſet attenuato ſtudiis aſſiduis ac valetudine tabidâ corpore, ſupremum diem obiit VIII. Idus Aprilis anno MDLXXIV. (2) ætatis LXII. Sepultus ad S. M. ſupra Minervam, vir de latinitate optimè meritus, quidquid contra ſcribat Scaligeri ſtultus & maledicus calamus (3), auſus aſſerere, P. Manucium ne tria quidem verba latina ſciviſſe unà contexere.

Hęc ejus Opera ſunt.

Epiſtolarum ſtylo Ciceroniano ſcriptarum lib. XIII.

Scholia in Cicer. Rhetor., & Philoſophiam, & omnia ejus Opera.

Comment. in Orat. Cicer. Epiſt. ad Brutum & lib. de Officiis.

Scholia in Comment. Aſconii ad Cicer. Orationes.

Judicium de Poetis legendis, & notæ in Horatium.

Antiquitatum Romanarum lib. IV.

Præfationes Variæ, & de Veterum dierum ratione.

Kalendarium Romanum Vetus cum Comment.

Additiones ad Dictionarium Calepini.

Phraſes titulis delineatæ per Carpentarium.

Quatuor Demoſthenis Orationes contra Philippum latinitate donatæ.

Adagiorum ex utriuſque linguæ Scriptoribus libri VIII. collecti juſſu Synodi Tridentinæ. Hos probavit Gregorius XIII. reliquis omnibus Adagiorum collectionibus damnatis.

Poemata quædam & Epiſtolæ Variorum in libros III. diſtributę.

Epiſtolę Italicæ, & liber de Elementis, mirisque eorum affectibus.

1574 CXVI. Tres AMALTHÆOS fratres Patavini alumnos gymnaſii, & adverſaria curiæ & notæ quæſtoriæ nobis apud Salomonium (4) exhibent in hunc, quem contreximus, clarorum Alumnorum gymnaſii noſtri referendos catalogum, HIERONYMUM, JO. BAPTISTAM, & CORNELIUM, qui Opitergii nati unà Patavii bonis artibus, ac præſertim humanioribus literis operam dedere, nec tamen omnes doctrinæ reportaverunt inſignia. Nam Hieronymum Philoſophiæ ac Medicinæ lauro coronatum in relatis adverſariis notavimus, habemuſque apographon privilegii, atque in eo teſtes fratres ipſos conceſſæ dignitatis Hieronymo fratri. Et Hieronymus quidem Medicinam fecit (5), tum in patria, tum Venetiis, tum etiam Romæ, ubi tamen ut verſificator magis claruit, quàm ut Medicus. Nam ex conſortio Muſarum Poetis omnibus Italis præſtitit judicio Mureti (6), nec aliter cenſet Thuanus (7) ac Toppius (8). Redux in patriam an. MDLXXIV. ætatis LXVII. vivere ibi deſiit, ſepultuſque eſt ad D. Martini. Ante illum obierat Jo. Baptiſta, nec vivendo ſupergreſſus eſt annum ætatis quadrageſimum ſeptimum (9), Vir Græcè, ac latinè loqui & ſcribere doctiſſimus, Poeta par fratri, & ſuâ ætate præclariſſimus. Vitam tranſegit Romæ Romanis Pontificibus tribus continenter notus, & carus, & à ſecretis Cardinalium, qui œcumenicę Synodo Tridentinę pręfuerunt. Obiit Romæ poſt exitum Synodi an. MDLXVII., laudatus à Lilio Gregorio Gyraldo (10), ut mirus ab adoleſcentia vates. Hunc & fratrem Paulus Gualdus (11) appellat muſarum delicias. Utrique ſuperſtes fuit Cornelius, cujus extant aliquot elegantiſſima carmina inter edita à fratribus. Nam publici Juris eſt ſylloge Poematum à tribus his fratribus conſcriptorum ſub unius Hieronymi nomine. In his candorem, & elegantiam laudes, ſpiritus, qui Poetam facit, ſervet dumtaxat in tribus. Horum alterum Epicum eſt de laudibus Pii IV. & Hieronymo tribuitur; alterum, inſcribitur *Proteus*, Cornelii opus; tertium auctorem habet Joannem Baptiſtam, & *Lycidam* præfert in titulo. De his vide quid cenſeat Olaus Borrichius (12).

1576 CXVII. HIERONYMUM CARDANUM famæ ancipitis hominem, ſed Medicum ſæculo XVI. celeberrimum adſcribendum eſſe numero Alumnorum gymnaſii Patavini, ut ſileant alborum catalogi, & ipſe Cardanus fatetur (13), & ex ipſo Tomaſinus affirmat (14) eum ſcribit, prima eum hauſiſſe rudimenta virtutis in Academia Patavina. Patricia gente Mediolani Facio patre natus an. MDI. IX. Kal. Septembris hora ſexta m.

XL.

(1) Thuan. in Elog. apud Teiſſ. Tom. 1. p. ,0). (2) Thuan. ibid. Matth. Tuſcan. in Peplo Ital. Bibliogr. curioſ. Germanopoli A. 1667. Speron. in Dialog. (3) Scaligeriana I. (4) In Collect. ad Inſcrip. Gymn.
(5) Tomaſ. in Chronotaxi. (6) Epiſt. ad Lambinum. (7) Elog. apud Teiſſer. in addit. Tom. 1. p. 417.
(8) in Pepl. Ital. lib. 4. (9) Thuan. Elog. ibid. p. 11S. (10) de Poet. ſui temporis lib. 2.
(11) in Vita Pinelli. (12) Diſſert. 3. de Poetis. (13) in Vita ſua. (14) Elog. lib. 1. p. 55.

XL. à meridie, ut ipſe notat (1), vi extractus è matris utero revixit lavacro vini, capillatus ante quàm natus. Infans obnoxius humoribus frigidis, adoleſcentiam, juventutem, totum reliquum vitæ curſum vario ſortunæ luſu, nunc adverſo, repente proſpero diſtinxit, modo calumniis penè non obrutus, modo inſperatis bonis circumfluens, ac propemodum beatus. Diverſiſſimis Scientiarum ornamentis inſtructus, Medicinam ita profeſſus eſt, ut præcipuè Aſtrologum ſe, Metopoſcopum, & Chiromantem jactaverit, atque ex his artibus Principibus viris multis placuerit: ſibi autem adeò, ut cùm ipſe ſtatuerit, milleſimo quoque anno vix unum aliquem Medicum numeris omnibus abſolutum natum agnitumve in Orbe terrarum fuiſſe, ſe horum ſeptimum ipſe dixerit: quippe, ajebat, bonum perfectumque Medicum ſine quodam peculiari numinis afflatu eſſe non poſſe. Quamobrem (verène an falsò? difficile ſtatues) ſæpe ſe nocturnis admonitum ſomnus aſſerebat, non levia pericula evaſiſſe: iiſdem docentibus multa didiciſſe: ſcripſiſſe plurima, quæ ſint veriſſima, cùm tamen illa debuerit unicè ſomniis ſuis eruditiſſimis. His proinde numiſma cudit, quod per Felicem Oſium à Jo. Antonio Caſtillionæo acceptum Tomaſinus videndum exhibet (2), meminitque ipſe Cardanus, qui numiſmatis hujus interpretationem graviter comminiſcitur (3). Vit tamen hic ſibi divinus, præter annum & diem ſuæ mortis, quam ſibi feſtinaſſe creditur interdicto ſibi cibo, ut eam prædixiſſe videretur, de ſe reliqua, neque prædivinando fatus eſt, & planè ignoravit. Nam prolis deſiderio uxorem duxit perſpicacem, eamque optimæ ſobolis & longævam credidit, & fortunatum ſe ſperavit ex filiis. At uxorem intra quindecim annos trium filiorum abortu infelicem, filiis duobus & filiâ ſuperſtitibus turpem amiſit: ipſe, ſi Scaligero credas (4), filiam meretricem, & cum amaſio profugam tulit. Major natu filius Baptiſta, ut refert Andreas Cologníus (5), reus veneni, quod propinavit uxori, ſecuri percuſſus interiit; minor Cavalerotus ictus ſyphonis incendiarii globulo periit. Ita perſpicax hic rerum alienarum vates in re ſuâ planè cæcutiit. Sed homo peſſimus fuerit, ſi quidem iis, quæ de ſe ipſe narrat (6), fidem adhibeas, impius, atrox ultor injuriarum, lividus, proditor, magus, maledicus calumniator, ſuorum hoſtis, libidinoſus, atque obſcæniſſimis criminibus, planèque deteſtandis obnoxius. Tametſi multa Naudæus congerat (7), ut illum vel excuſet, vel tueatur. Protritæ frontis eum, animique timidi & inconſtantis fuiſſe, quod Scaliger pari laborans morbo annotavit (8), manifeſtum eſt. Nec porro moribus ejus damnatis, damnamus ingenium & eruditionem immenſam, ex qua in Phyſicis, in Medicina, in aſtronomicis, in hiſtoriâ, & pertinentibus ad ethicam, & alias diſciplinas plurimas, hic plura detexit, quàm qui ſingulis hiſce ſcientiis illuſtrandis inſudavere peculiarium laborum ſtudio ſingulari. Scaliger ipſe, quamvis eum ſcripto conatus refellere, ſcriptiſque obtrectare, tamen ingenium ejus altiſſimum, feliciſſimum, incomparabile nuncupat, obtrectationeſque ſuas adeo non probavit doctiſſimis viris, ut Voſſius (9) exiſtimet, licet Scaliger præſtet Cardano in humanioribus literis, hunc attamen longe Scaligero doctiorem fuiſſe in gravioribus diſciplinis, & rerum in Phyſica ac Matheſi novarum explanationibus proponendis. Senex annorum LXXVI. Romæ deceſſit an. MDLXXVI. IX Kal. Octobris, quo ſe moriturum prædixerat. Cadaver translatum in patriam conditum eſt ad D. Marci eodem ſepulcro, quod ipſe Facio patri ante annos quinquaginta paraverat. Opera ejus.

De Secretis liber I. de libris propriis liber I. De Subtilitate lib. XXI. de Vita propria liber I. Conſilia Medica. De Experimentis liber I. Contradicentium Medicorum lib. I. De malo uſu Medicorum recentiorum lib. I. De Sanitate tuenda lib. IV. Comment. in lib. Hippocratis. In Mundinum. in Artem parvam Medendi. De Urinis libri IV. Problematum libri X. De Salſa Purilla & China radice. De Indico Morbo libri VIII. Encomia Medicinæ, Geometriæ, Neronis, & Podagræ. De Somniis libri IV. de Metopoſcopia lib. I. De judiciis Geniturarum. De Gemmis & Coloribus. Elementorum Geometricorum libri XV. De Natura libri V. de Fato libri V. De ludis liber I. De Arithmetica libri V. De ſupernaturalibus libri II. De Conſolatione libri III. De Sapientia libri V. De Summo Bono liber I. De utilitate capienda ex adverſis libri III. De Anima immortalitate liber I. Moralium libri III. De Arcanis æternitatis libri VII.

Recenſet hæc Tomaſinus (10), ſed multo plura ſunt edita tribus Voluminibus in folio Lugduni an. MDCLXIII. unde illorum petendi ſunt tituli, hoc unum obſervamus, ubique deeſſe horoſcopum Chriſti Servatoris, quem à Cardano primùm fuiſſe petulanter erectum declamat Thuanus (11). Quamobrem illi fuerit objectum ſcelus ab aliis perpetra-

(1) lib. Genitur. Genitur. 8. (2) ibid. p. 54. (3) lib. de libris propriis. (4) in lib. de Subtilit.
(5) de Natal. Vir. Illuſtr. (6) in Vita ſua (7) in Judicio Cardani.
(8) ibid. (9) de Theol. Gent. lib. 3. c. 8. (10) ibid. à p. 59.
(11) Elog. apud Teiſſer. Tom. 1. p. 456.

petratum. Certè id primum Cardanum non fuiſſe auſum, ſed alios ante hunc multos idipſum audacter & impiè fuiſſe conatos, probat Naudæus (1).

1577 CXVIII. PETRUS JUSTINIANUS patricius Venetus & Senator celeberrimus circa an. MDVI. natus, Aloyſii filius (2), fuit inter clariſſimos alumnos gymnaſii noſtri, in quo vixit ad annum uſque vigeſimum quintum, fortè etiam diutiùs, nam inter præcipuos auditores ſuos eum Lazarus Bonamicus numerat (3). Nec dubium, quin hìc gravioribus quoque animum diſciplinis ornaverit: fuit enim graviſſimus in patria doctiſſimuſque Senator, ac togâ ſumptâ Rempublicam integerrimè juxta & ſapientiſſimè geſſit. Celebratur à Felice Oſio (4) inter eruditiſſimos Venetos, quorum in Muſæo ſuo habebat imagines, & aſſiduus puriſſimæ latinitatis vindex aſſeritur, qui quod ſupererat temporis huic excolendæ daret, qui verbo & exemplo patriciam nobilitatem moneret, ut latinæ vetuſtatis opes ne ſperneret. Qui non aliam ob cauſam conſcribendæ laborem Hiſtoriæ Venetæ ſuſceperit, quàm ut in ea Sabellici barbariem emendaret. Diſceptat curioſè admodum, ſed & ad rem ſuam appoſitè clar. nepos noſter Apoſtolus Zeno (5), de eo, an Petrus ex Senatusconſulto juſſus Venetam hiſtoriam deſcripſerit, ut videtur Cardinalis Valerius aſſerere; ſtatuitque id affirmari non poſſe, quodque ſtatuit locupletiſſimè comprobat. Suis ergo auſpiciis edidit hiſtoriarum XVI. libros, quibus rem Venetam complexus eſt elegantiſſima narratione ab Urbe condita ad an. MDXXV. poſt quem anno ſeptimo creditur obiiſſe. Hos ejus libros Italice reddidit Joſeph ab Horologio.

CAPUT XXVII.

Benedictus Patina. Bartbolomæus Arnigius. Joannes Polancus. Petrus Andreas Matbiolus. Joannes Baptiſta Raſarius.

1577 CXIX. ALumnum gymnaſii noſtri BENEDICTUM PATINAM Brixienſem clariſſimum Medicum celebrat multis Ghilinus (6). Is artem, quam Patavii didicerat (7), tractavit in patria, tantuſque ex ea omnibus fuit, ut Maximilianus II. famâ nominis ejus excitus illum Vindobonam acciverit, opem ipſi laturum in acri, qua laborabat, cordis palpitatione. Perſanato Cæſare Vindobonâ Patavium venit, quo tempore urbem peſtis funeſtabat, atque hìc artem ſummâ exercuit cum laude, donec vita ſuperfuit, non Medicus minor, quam Poeta Satyricus, quo genere carminis efferus & maledicus nulli pepercit. Patavii è vivis abiit tertio & quadrageſimo ætatis anno immaturâ morte peremptus, quam ille ritè expiavit Satyris omnibus Uulcano dicatis anno, quo deſiit eſſe mortalis MDLXXVII. VI. Nonas Quinctiles. Edita ſunt ejus Italicè

De Palpitatione Cordis liber I. *De Venenis internis libri III.*

De febribus ſe per puſtulas prodentibus lib. I. Plura de eo peculiarius Octavius Rubeus (8).

1577 CXX. Hæc de BARTHOLOMÆO ARNIGIO tradit Ghilinus (9) ex Rubeo (10). Brixiæ natus patre fabro ferrario, domi ad annum uſque duodevigeſimum incudem luteumque Uulcanum tractavit: inde ſuis auſpiciis ad ſtudia ſcientiarum converſus, ubi ſatis latini ſermonis ſibi comparavit in patriâ, Patavium conceſſit; atque hìc amicorum patronorumque ſubſidiis adiutus brevi uſque adeo profecit, ut laurum Jatricam non ſine laude receperit. Hac ornatus cum remeaſſet in patriam, Medicinæ praxim profeſſus eſt in oppidis agri Brixienſis famæ inhians ac lucro, ſed infeliciter, quippe quam reliqui medicorum fortunatè cum lucro carnificinam faciunt, ea illi penè non interitum attulit, quòd plures occideret quàm ſanaret. Hinc in illum oppidanorum indignatio, atque ira ob infelices curationes, lapidibuſque non ſemel petitus vix ſe vitæ periculo exemit. Ergo praxi relictâ privatam primùm, mox & publicam Brixiæ Medicinæ Theoricæ Scholam aperuit, habuitque in ea honeſtum ſtipendium, claruitque non mediocriter, quamvis reclamantibus æmulis, quorum princeps fuiſſe dicitur Patina, quem proximè laudavimus. Subceſivis horis Italæ Poeſi operam dedit, placuitque ſatis ex ea non ſine lucro. Nam pro carmine in laudem Octaviæ Bajardæ edito ultrà ducentos Coronatos à Jo. Baptiſta Gavardo patricio Brixienſi Literatorum hominum Mecænate dono accepit; & à Comite Alfonſo Capriolo in familiam receptus vitæ habuit inempta ſubſidia uſque ad mortem,

(1) In Judic. Card. (2) Ghil. Theatr. Vol. 1. p. 194. (3) Epiſt. 8. in calce.
(4) Carm. de Muſæo ſuo. (5) Præfat. ad Hiſtoricos Venet. Tom. 1. p. 18-19.
(6) Theatr. Vol. 1. p. 28-29. (7) Album Gymn. ad An. 1555. (8) Elog. p. 352.
(9) Theatr. Vol. 1. p. 22.23. (10) Elog. p. 390-391.

Digitized by Google

rem, quam illi intulit peſtilentia toti Europæ fatalis an. MDLXXVII. Edita ſunt hæc Italica opuſcula.

Meteoria, hoc eſt diſſertatio de Impreſſionibus imperfectis, humidis, ſiccis, & miſtis, tum in alto, tum in viſceribus terræ generatis.

Prognoſtica perpetua & Ephemerides, aliaque ad Naturalem Philoſophiam ſpectantia.

Rythmi Italici.

Vigilia & Medicamenta Cupidinis.

CXXI. JOANNES POLANCUS, natione Hiſpanus (1), patriâ Burgenſis, humanio- 1577
ribus literis ac diſciplinis Philoſophicis excultus in Academia Pariſienſi Romam venit,
atque inter Scriptores Apoſtolicos cooptatus eſt. A Jacobo Lainio ſacris exercitationibus ad pietatis evocatus excitusque ſtudium animum appulit ad Societatem Jeſu in ipſo flore juventæ an. MD XLI. Miſſus ad Patavinum gymnaſium, tum in lycæo noſtro auditor aſſiduus publicarum prælectionum, tum apud Profeſſores Societatis ſacræ Theologiæ operam dedit; jamque inſignibus doctrinæ proximus, his contemptis, hic ſe Chriſti jugo ſubjecit, atque deinceps eò nominis ac virtutis evaſit, ut à Gullielmo Eyſengreino (2) vir doctrinâ & eloquentiâ clarus ex merito appelletur, Orator facundus, Philoſophus gravis, Sacrarum literarum ſcientiâ nemini ſecundus. Revocatus Romam à S. Ignatio Loyola, & conſiliorum, actionum, totius denique gubernationis præcipuus miniſter, & adiutor fuit: A Secretis Societatis & ejuſdem Procurator Generalis apud eundem S. Fundatorem tanti habitus eſt, ut illi propemodum totam Ordinis adminiſtrationem permiſerit. Eâdem, imò & majoribus ac penè non maximis dignitatibus auctus vixit ſub Lainio, S. Franciſco Borgia, & Everardo Mercuriano Præpoſitis Generalibus: ſub hoc autem mortalitatem depoſuit Romæ an. MDLXXVII. Hæc pia & docta ejus opuſcula in bibliotheca Societatis recenſentur.

Breve directorium ad confeſſarii & confitentis munus bene obeundum.

Doctrina Chriſtiana.

Methodus ad eos adiuvandos qui moriuntur.

Liber de ſeptem Peccatis Mortalibus.

Libellus de modo Orandi pſallendique cum fructu,

Induſtria ad uſum & doctrinam Operariorum Societ. qui Miſſionibus verſantur.

Latinas fecit ex Hiſpanico ſermone Conſtitutiones Societ. à S. Ignatio conſcriptas.

Induſtria ad Vitam ſecundùm triplicem conatum, ad Deum euntis ad noſtra pergentis, ad Deum redeuntis.

Non ſunt editæ: MSS. legit Andreas Eudæmonioannes (3), eaſq; cenſuit, pii ſummi ac mirabilis prorſus ingenii.

CXXII. PETRUS ANDREAS MATTHIOLUS notiſſimus Botanicus, Etruſcus gen- 1577
te, domo Senenſis, primam ætatem Venetiis egit cum patre Franciſco, qui in ea urbe diu Medicinam factitavit. Refert Tomaſinus (4) à Patre filium ablegatum fuiſſe Patavium Canonico ſæculari commendatum, jamque minore litteraturâ Græcâ & latinâ inſtructum ſatis, ad Juriſprudentiæ ſtudia deſtinatum. Sed is Jura & inanes lauros contempſit, ſeque totum Medicis diſciplinis addixit. Patre mortuo, à matre vidua, negato ſumptuum ſubſidio redire Senas compulſus, receptis raptim inſignibus doctrinæ in patriam remeavit; ibique curationum felicitate inclareſcens, cum divitiarum quod ſatis eſt, comparaſſet, praxi parum, ſtudiis admodum, ac vitæ ſolitariæ dedit, in eaque plurima ſcripſit, in quibus & rei Medicæ pretium ex utilitate fecit, & ſibi nominis immortalitatem comparavit. Accerſitus in aulam Cæſaream diu Imperatorum Archiatrus fuit (5), paterque geminæ prolis maſculæ Tridentum ſe recepit. Ibi extinctâ uxore Etruſcâ Hieronyma è Comitum Verniæ familiâ (6), ſecundam duxit Tridentinam nomine Cherubinam, ex qua etiam filium, & filias habuit. Ibidem extremum clauſit diem peſtilentiâ è vivis ereptus an. MDLXXVII. ætatis LXXVII. Conditus eſt in templo majore cum hoc epitaphio.

Saxa quidem abſumit tempus, ſed tempore nunquam
Interitura tua eſt Gloria, Matthiole.

Edita ſunt ejus hæc celeberrima Scripta.

Dialogus ſe inter & Franciſcum Aligerum de Morbi Gallici curatione.

Epiſtolarum Medicinalium libri V.

Anatome de Plantis.

De Simplicium Medicamentorum facultatibus ſecundùm loca & genera.

Compendium de Plantis cum eorum Iconibus.

(1) Allegambe. Biblioth. Societ. Jeſu p. 266. (2) lib. de teſtib. Veritatis.
(3) Collect. adver. Heref. Calvini. (4) in Chronotaxi ad An. 1523.
(5) Elog. Thuan. apud Teiſſer. in Addit. Tom. 2. p. 11. 18. (6) Gerard. à Stochen in Thuan. enuclea.

Diſputatio adverſus XX. Problemata Melchioris Guillandini.
Objectiones, quibus Amati Medici Luſitani errata patefacit.
Libri VI. Commentariorum in Dioſcoridem.

Opus notiſſimum, quod Matthiolus primum ſcripſit Italice (1), mox ipſe latinum fecit, Gullielmus Rovillius Gallicè reddi curavit, vertit Joannes Molins, ut notat Janus Jacobus Boiſſardus (2), cùm apud me Verſionis Editio an. MDCV. interpretem Gallum nominet Antonium du Pinet. Celeberrimum Commentarium ut ut & Amatus Luſitanus & Melchior Guillandinus accuſare, & carpere ſtudioſiſſimè conati ſint, tamen in re Botanica & Medica præcipuum eſt (3), tantique ſtatim ac in lucem prodiit, habitum, ut Valgriſius typographus aſſeruerit (4), quamvis poſt primam editionem à ſe factam pluſquam triginta exemplarium millia diſtraxiſſet, attamen non minus, quàm ſi tunc primùm recentiſſimè prælis fuiſſet emiſſum, undequaque fuiſſe quæſitum, petitum, expetitumque. Reipſa nullum eo Pharmacopolium caret, teriturque manibus omnium, nec utiliter minus Medicos, quàm eruditionis Phyſicæ cupidos delectat. Ferunt (5), quæ in eo typis exhibentur Simplicia, Vindobonæ conſpici juſtis coloribus illuſtrata.

1578 CXXIII. Cum de JOANNE BAPTISTA RASARIO ſcribant Thuanus (6), Ghilinus (7), Lucas Contilis (8), Teiſſerus (9), Gerardus à Stochen (10) & ex his alii, nemo illum ſtuduiſſe Patavii ſignificat. At ipſe propalam profitetur (11), ſe Græcas literas, & latinas Mediolani ſub Octaviano Ferrario, Logicam ſub eodem Ticini didiciſſe: Phyſicos Ariſtotelis libros, & Interpretationes Averrois audiſſe Patavii: atque hic Medicæ artis inſtitutiones accepiſſe à Profeſſoribus famigeratiſſimis M. Antonio Genua, Franciſco Victorio, Matthęo Curtio. Mureto quoque ſcribens (12), cum ab eo Romam invitabatur, ſe dicit Veneto cœlo maximè delectari & collibus Euganeis, in quorum adſpectu, & aere ſalubri, atque ſtudiis opportunâ temperie diu vixerat gravioribus diſciplinis addictus. Natus eſt familiâ nobili in ſuburbio Novarienſi, quod Soſiam Ghilinus, alii Vallem Uziæ vel Ugiæ vocant. Emenſus curriculum ſcientiarum rediit Mediolanum, in eamque virtutis & eruditionis famam evaſit brevi, ut per ea tempora Philippus II. Rex Hiſpaniarum cùm Mediolano proficiſcens in Hiſpaniam remearet è Germania, quam evocante Carolo patre inviſerat, Raſarii nomen audierit, paſſimque celebrari miratus ſit. Poſt hæc Venetias accitus, cùm laborem oblatæ à literariis Triumviris Patavinæ Sedis recuſaſſet, in urbe ipſa Oratoriam artem publico privatoque ſtipendio docuit per annos fermè duos & viginti: adibatque quotannis Patavium relaxandi animi cauſa, conveniendique propiùs Sigonium, quocum, quemadmodum & cum Octaviano Ferratio, & M. Antonio Mureto, Pauloque Manucio arctiſſima familiaritate conjunctus vixit, amabilis omnibus, at nobilibus Venetis venerabilis. Ipſe porro peramicus Patavinorum, eorumque hoſpes, horum collegio Academico, quod Affidatorum appellabant, aſſumpto Euthymii nomine, adſcribi voluit. Jam declinabat in ſenium, cùm coactus eſt juſſis Philippi II. parere. Is eum ad Conimbricenſe gymnaſium evocaverat, quòdque cauſatus ætatis incommoda excuſaverat ſe, juſſus eſt ad Ticinenſem Academiam proficiſci. Nec illi & ſubdito, & magnis à Rege beneficiis affecto (quippe magnanimo Principi & fratris in vincula conjecti libertatem, & addictorum Fiſco bonorum reſtitutionem debebat) integrum fuit obſequium detrectare. Ergo Ticinum profectus ibi artem Rhetoricam quadriennio docuit; ibidemque maligna febri correptus, major ſexagenatio vivere deſiit an. MDLXXVIII. Totâ vitâ cælebs incorruptæ caſtitatis vir fuit: erga pauperes largus ægrotos nulla mercede curavit, ſolitus in egenos, quæ habebat, effundere. Ejus funus, omnibus civitatis ordinibus luctuoſa pompa proſequentibus, curatum eſt. Scripſit multa, & Orationes præſertim lucubratiſſimas. Has in bibliotheca S. Caroli Borromæi latuiſſe, atque etiamnum latere ferunt. Una edita eſt, & quidem celeberrima de Victoria navali Chriſtianorum ad Echinadas, quam dixit Venetiis. Reliqua ejus opera in vertendis Græcorum libris laborarunt. Nam ejus eleganti ſtylo latinè reddita leguntur.

Oribaſii Sardiani Medici Opera omnia in tres Tomos digeſta GL.
Ejuſdem ad Euſtathium filium libri IX.
Georgii Pachymeri Epitome in univerſam diſſerendi Artem.
Ammonii Exhegeſis in V. Voces Porphyrii.
Joannis Grammatici Philoponi, Explanatio in IV. libros Phyſicorum.
Libellus Xenocratis de Alimento ex Aquatilibus cum Epiſtola ad M. A. Muretum.

CAPUT

(1) Rovill. Prompt. Iconum Inſignior. (2) Vit. Vir. Doct. (3) Scaligerana 1. Geſner. Biblioth. (4) Teiſſer. in addit. ad Elog. Thuan. ex Epiſt. Donzellini T. 2. p. 12. (5) Boiſſard. loc. cit. (6) in Elog. (7) Vol. 2. p. 142. (8) de Inſignibus. (9) ad Elog. Thuan. T. 2. p. 30. (10) in Thuan. enucleat. (11) Præfat. in Oribaſium. (12) in calce libelli Xenoc. de alim.

CAPUT XXVIII.

Alexander Piccolomineus. Stanislaus Hoſius Cardinalis. Ludovicus Regius. Franciſcus Alumnus. Hieronymus Oſorius.

CXXIV. ALEXANDER PICCOLOMINEUS Senenſis adoleſcens nobiliſſimus an- 1578
norum fermè viginti ſtudebat Patavii auditor aſſiduus M. Antonii Ge-
nuæ de Paſſeribus clari Profeſſoris Philoſophi, tantâ autem doctrinæ ſamâ jam tum cla-
rebat inter diſcipulos, tantæque eloquentiæ, præſertim Italicæ juvenis habebatur, ut
quod rarum prædicat Tomaſinus (1), contra leges Academiæ receptus omnium ſuffra-
giis fuerit in collegium Inflammatorum, quorum ſumma exiſtimatio Patavii, ſumma
gloria. In hoc collegio ſæpiſſimè dixit, ut ex aliquot ejus diſſertationibus, quas ex
hæreditate magni Speronii Alfonſus Comes Alvarotus habebat, manifeſtum eſt, aſſe-
ritque palam Ghilinus (2), qui cenſet Alexandrum, dum in eo collegio verſabatur,
rem novam, quam poſtmodum præſtitit, animo concepiſſe, ut nimirum, Philoſophiam
latinè tantum ad eum diem, & quidem barbarè, docere ſolitam, italicè, & quidem
elegantiſſimè cogeret loqui. Ergo Senas regreſſus in id totus incubuit, ut primus om-
nium exemplo novo & ſanè difficili, quod propterea raros (3), vel nullos imitatores
invenit, Etruſca lingua diſciplinas eximias, ſeveras, ac ſerias ediſcendas proponeret.
Nec invento defuit felicitas. Ita enim per aſperos & ſenticoſos Philoſophiæ campos
deliciis italicis diſſluens, tamque eleganter ac ſplendidè vir ſtudioſiſſimus, & in per-
currendis omnium ſcientiarum Scriptoribus laborioſiſſimus ſpatiatus eſt, ut Ariſtotelem,
quem ſibi magiſtrum dixerat, æquè atque olim Græcis, italis hominibus ingenuè lo-
qui, ſuaque luculentiùs explicate compulerit. Hinc illi famæ celebritas maxima (4),
quam confirmabat virtutis opinio comprobata pietate, religione, modeſtiâ, largitate er-
ga egenos eximiâ, inculpato demum candore morum, & qui lydius veræ ſapientiæ la-
pis eſt, divitiarum dignitatumque contemptu. Ab harum pluribus expetitus unam dum-
taxat admiſit, titulo tenus Patrenſis Archiepiſcopus, ut patriæ ſerviret Adiutor Ar-
chiepiſcopi patrii, & Præſes apud eum Sacrorum, ſalvo ſtudiorum ſuorum eruditiſſimo
otio, extra cujus diſpendium ita in rebus ſacris verſatus eſt, ut has curaverit, ornave-
rit, illuſtrarit. Tunc enim prælatæ mentis, quâ pollebat, & apud omnes cenſebatur,
argumentum clariſſimum edidit in opuſculo, quod juſſu Franciſci Magni Ducis Etru-
riæ de Emendatione Kalendarii Romani à Gregorio XIII. tentatâ vulgavit (5). Quip-
pe acutiſſimi quique illuſtrem in illo pugnantium opinionum anfractu Alexandri ſen-
tentiam pleniſſima ſuffragatione ſanxere. Ceſſerunt Germani Scriptores, longè perſpica-
cioris viri theorematibus; ex eoque opere tanti eum habuiſſe dicitur, qui uno rerum
divinarum aſpectu delectari ſolebat, ſanctiſſimus Cardinalis Carolus Borromæus, ut ad
ipſum inviſendum ac ſalutandum conſultò Senas acceſſerit. Ad ſuperos evolavit morte
pacatiſſimâ ſeptuagenarius an. MDLXXVIII. conditusque eſt à nepotibus cum Elogio
in templo Senatum principe (6).

Præter laudata, quæ vidimus, typis excuſa ejus opera, hæc ſunt.

Philoſophia Moralis.
Theorica Planetarum.
Inſtitutio Chriſtiani Principis.
De Magnitudine Aquæ, & Terræ.
Inſtitutio benè morata Fœmina.
De Stellis fixis, & de Sphæra.
Theſaurus hominis in partes tres diſtributus.

Omnia Etruſco ſermone conſcripta ſunt, ſicut & Comœdiæ: *Amor conſtans, & Ale-
xander, ac Cyprianus*, quas luſit egregiè, & ex quibus eum Boccallinus Principem inter
Italos Comicorum exiſtimat (7).

CXXV. Ex actis, & albis nationis Polonæ, quæ habeo, ex priſcis, quas Lignami-
neus collegit inſcriptionibus, & ex iis, quæ ſcribit Thomas Freherus (8), STANIS- 1579
LAUS HOSIUS Cardinalis, Patavii Artium liberalium diſciplinis vacavit quadriennio,
huc profectus cum nobili Polono Caſimiro GnensKi, cujus peregrinationem in Italiam
moderabatur. Hoc idem conſtituit Stanislaus Reſcius (9), ex quo ſuâ habet Oldoi-
nus (10), qui tamen in eo fallitur, quod tradit Hoſium veniſſe Bononiam, ſecutum

(1) In Chronotaxi An. 1530. (2) Theatr. Vol. 1. p. 8. (3) Imper. Muſæ. p. 82. (4) Vid. Voſſium de Mathem. p. 302.
(5) Imperial ibid. & p. 83. (6) Vid. apud Imper. ibid. (7) apud Imper. ibid. & Teiſſer. ad Elog. Thuan. Tom. 2. p. 28.
(8) Carmen de Vit. Card. Hoſii. (9) Vit. Card. Hoſii. (10) Tom. 3. p. 908. 917.

præceptorem Lazarum Bonamicum. Patavium venerit ſi Bonamicum ſecutus eſt, qui non docuit Bononiæ, docuit Patavii. Natus Cracoviæ an. MDIII. jactis bonarum artium ſundamentis in patria, conſecutuſque primam Philoſophiæ lauream in Italiam venit: moratuſque hic per annos aliquot reliquas diſciplinas plenis faucibus ebibit. Regreſſus in patriam, an ibi vel alibi laureatus Theologus dictus fuerit, ignoramus, fuerit autem alicubi; nam ſe ipſe doctorem Theologum aſſerit pluries in iis, quæ adverſus Hæreticos edidit (1). Certè cùm ex Theologia, tum ex Polemicis aliis diſciplinis tantus apud ſuos fuit, ut ex opinione ſapientiæ, licet plebejorum natalium homo, inter indigetes eminuerit; ac Polonorum Procerum ad ſe ora converterit: Regis præſertim, qui eum in Senatum Polonicum legit, deinde ad inſulas Varmienſes provexit, mox & ad Purpuram, nam hoc petente in Ordinem ſacri Senatus à Pio IV. Presbyter Card. renunciatus eſt an. MDLXI. In ea dignitate uſque adeo ex animi dotibus, pietate, ac ſapientiâ inclaruit Romæ, ut non ſolùm varias legationes ad Carolum V. & Ferdinandum Cæſarem ex voto curiæ felix obierit, verùm etiam, cùm Pius iterum Synodum Tridentinam indixit, hunc illi legatum cum Hercule Gonzaga & Hieronymo Seripando præfecerit. Quid ibi pro Fide orthodoxâ præſtiterit, ut Synodo peractâ redierit ad ſuos, ſteteritque in Sarmatiâ contra hæreſes uſque ad exitum vitæ, noſces ex hiſtoriâ communi, ex Simone Stravolſcio (2), Ghilino (3), & Oldoino (4), quem conſule, ſi plura de hoc Antiſtite celeberrimo, Theologo maximo, Cardinali ſanctiſſimo, noſcere percupis: ea enim propoſito noſtro majora ſunt. Summus in Eccleſia Romana Pœnitentiariæ præſes Romæ deceſſit Nonis Auguſti an. MDLXXIX. ætatis LXXVI. Jacet in templo S. Laurentii, cujus titulum gerebat, habetque ibi Elogium, quod prolixum ſatis ex Ghilino leges apud Freherum (5). Ejus opera.

Examen & excuſſio Confœderationis Hæreticorum.
Confutatio Prolegomenon Brentii.
Libellus de expreſſo Verbo Dei.
De Sacerdotum Conjugio.
Dialogus de Communione ſub utraque ſpecie.
De Miſſa vulgari lingua celebranda.
Recantationes VII.
Judicium & Cenſura de adoranda Trinitate.
Epiſtolæ Catholicæ inſignes de Religione.
De loco & auctoritate Pontificis in Eccleſia & Concilio.
De Actis cum Elbingenſibus & aliis Hæreticis.
De Actis in Legatione Germanica.
Confeſſio Fidei Catholicæ celeberrima edita vicibus quatuor & triginta, & in varias linguas à variis tranſlata.
Obſervationes latini Sermonis.
Sermones & Conciones in Evangelia Dominicalia.

CXXVI. LUDOVICUS REGIUS natus eſt Coſediæ ſive in Caſtris Conſtantiis Gal-
1579 liæ Celticæ, quà nunc Normannia dicitur. Bonis artibus excultus à Philippo Coſſæo ejus urbis Epiſcopo, majorem vitæ partem in Italiâ tranſegit poſt obitum præceptoris, præſertimque in hoc noſtro gymnaſio diſciplinarum omnium præceptis diu audax & ſuperbum ingenium expolivit. Notat hoc Tomaſinus (6), quique ubicunque ſcribit totus Germanorum eſt, in eum declamat; nihil eo juvene rixioſiùs autumat, & ad jurgia movenda contra Germanos proclivius fuiſſe. Fuit deinde in aula Henrici II. Gallorum Regis (7), tandemque ſedem fixit Pariſiis, quo in loco inconſtantiſſimum ad eam diem animum intra certos terminos eruditæ Polymathiæ ſtitit. Multa latinè ſcripſit elegantiſſimè; ſed ex eo maximè claruit, quod ad verſiones Gallicas calamum vertit. Verùm dum his vacans circa rem domeſticam verſatur incurioſiſſimè (8), atque interim in aliena ſcripta non vocatus cenſor atrox invehitur, utroque miſer in ſenectute fuit. Nam poſt multos livido dente demorſos, aggreſſus injurioſè carmina Joachimi Bellaii, ab hoc iis reſponſionibus caſtigatus eſt, ex quibus in aula diu deridiculo fuit (9): rerum autem ſuarum egenus eò calamitatis dejectus eſt, ut qui nullius imperio parere unquam voluit, ſenex coactus ſit, alienis ſumptibus vivere, ſenioque inter ærumnas aliquandiu exacto, non invitus mori an. MDLXXIX. Opera ejus latina ſunt.

Conſolatio ad Reginam Caterinam Medicen.
Corollarium, quòd omnia infra lunam, præter animos cœlitus demiſſos mortalia ſint & caduca.
Vita Gullielmi Budæi elegantiſſimè nitidiſſimè ſcripta.
Prolegomena Politica in Politices Ariſtotelis libros.
Oratio de motu Franciæ, & caſibus aliarum Gentium.

Altera,

(1) libr. de Verbo Dei, & libr. adverſ. Brentium libr. de conjug. Sacerdot. (2) in Elog. Illuſt. Polonor.
(3) Theatr. Vol. 2. p. 228. & ſeq. (4) ibid. à p. 911. 917. (5) Tom. 1. P. 1. ſect. 2. p. 45. 46.
(6) in Chronotaxi ad An. 1536. (7) Elog. Sammarthanor. (8) Thuan. in Elog. apud Teiſſer. Tom. 1. p. 33. 34.
(9) Teiſſer. ibid. p. 34.

Altera, de jungenda ſapiendi, & ſentiendi ſcientia cum facultate ornatè diſſerendi.
Tertia in funere Caroli Valeſii Aurelianenſis Ducis.
Libri II. Exercitationum Peripateticarum.
Epiſtolæ & Præfationes.

Gallicè multa ſcripſit, quæ Teiſſetus recenſet unà cum Gallicis ejus Translationibus (1).

CXXVII. FRANCISCUS ALUMNUS tenui genere natus Ferrariæ primas literas in 1580
patria didicit, humanioribus diſciplinis operam dedit Patavii, ut ipſe fatetur (2), indicantque alba gymnaſtica. His ſatis imbutus Venetias venit, ubi ad Arithmeticam, ſive artem calculatoriam animum convertit, & in characteribus graphicè ducendis diligenter verſatus eſt: excelluitque ex his artibus ita, ut XVirali Decreto ad eas tradendas ingetendaſque juventuti Venetæ, quæ bono publico ad Munus XViralium Scribarum educatur, præceptor fuerit conſtitutus amplo ac liberali ſtipendio. In eo munere diu vixit gratus munificentiſſimæ Reipublicæ, quam ſummis laudibus ad ſuperos evehit (3), patriam appellat ſuam, gloriaturque in ea, inſumptos à ſe annos vitę ſuæ fructuoſiores. Scilicet homo ad eam partem bonarum artium natus, quæ pertinet ad Grammaticam, tenuiorem Philoſophiam, atque artem Miniacam, ex his claruit Venetiis ſi quis alius, ſibique nomen ac famam peperit apud poſteros perennaturam. Scripſit Venetiis elegantem Commentarium Etruſco ſermone *de divitiis linguæ vernaculæ*: opuſculum multiplex, laborioſum, ac diligens: ex quo cœpit apud eruditos & ſedulos Etruſcæ elocutionis aucupes celebrari: mox in opus eximium ac perutile totus incubuit, quod non niſi variis peregrinationibus ad id, ut ipſe refert (4), ſuſceptis abſolvit. Hoc *Fabricam* dixit *Mundi*, quod eruditum, doctum, varium, & candore refertum Etruſco, nemo ibit infiçias, at ex ordine perplexo, perturbatoque, nemo non dixerit minus utile. Quo in loco è vivis abierit, non ſatis conſtat: veriſimillimum eſt, obiiſſe Venetiis majorem ſexagenario circa an. MDLXXX.

CXXVIII. HIERONYMUS OSORIUS ab iis, qui ejus acta conſcripſere (5), Bo- 1580
noniæ ſtuduiſſe dicitur; certumque eſt, eum in Italia gloriæ literarum, qua ex merito intra ſæculum XVI. claruit, poſuiſſe tyrocinium. At poſt auditos Doctores Bononienſes fuiſſe illum etiam Patavii, conſtat tum ex albo gymnaſtico, tum ex priſcis inſcriptionibus, tum verò maximè ex Epiſtola Bonamici, qui Oſorium & Philoſophum doctum & altæ mentis Theologum tradit, tanti feciſſe humaniorem literaturam, ut toto triennio, quo etiam Patavii ſeverioribus diſciplinis operam dedit, ſe magiſtro eloquentiam & Muſas operoſè coluerit. Natus eſt Uliſſipone, atque ab adoleſcentiâ ſe virginitati perpetuò colendæ obligavit voto piè concepto. Philoſophiæ Pariſiis nomen dedit, deinde Bononiæ ſacris literis & linguæ Hebraicæ, Patavii denique horum omnium pleniorem inſtitutionem nactus eſt, & cultioris literaturæ ornamentis hæc omnia coronavit. Regreſſus in patriam vir apprimè nobilis & doctus Conimbricæ Theologiam profeſſus eſt juſſu Regis Luſitaniæ Joannis. Indè cùm ſe ſacris addixiſſet, his initiatus Eccleſiam Tavirenſem in Algarbiis adminiſtravit, mox Archidiaconus Eborenſis, ex ea dignitate ad Silvenſes inſulas venit. Nemo ſua ætate in Luſitaniâ clarior fuit, ſive ſplendorem generis ſpectes, ſive decus cum ſapientiæ, tum pietatis, quâ præſtitiſſe illum ad exemplar priſcorum Patrum abſolutiſſimum conſtat (6): Antiſtes largus in pauperes, quibus decumas Pontificalium proventuum ſacravit, in viros doctos munificus, quorum plurimos domi ſuæ aluit, quibuſque ſemper convixit, ſolitus in prandiis ac cœna Bernardi Scripta legentem audire, eoque tacente, cum convivis diſceptare de iis, quæ ex lectione collegerant. Eum ſummæ & doctrinæ & eruditionis virum cum doctiſſima Hiſpania, tum orthodoxi reliqui cenſuere; ut pudendum ſit effronti hæreticorum petulantiæ cùm allegat in eum cenſuram ſtolidam Foxi (7), qui quæ ſcripſit Oſorius adversùs Gualterum Haddonum refellens, non aliter illis reſponderi poſſe putat, quàm tribus his verbis: mentiris, maledicis, falleris. Scilicet ſic per ſummam impudentiam atque ſtupiditatem facilè ſolvitur difficultas omnis inextricabilium rationum, nec aliter latro affigendus patibulo ſe adversùs accuſatorem tutabitur. Conſenuit Antiſtes eximius in Eccleſiâ ſuâ, deceſſitque pacatiſſimè an. MDLXXX. Ejus opera ab obitu in quatuor volumina diſtributa, edita ſunt à nepote Romæ hos titulos librorum complexa.

De Regis inſtitutione. De Nobilitate Civili. De Nobilitate Chriſtiana. De Gloria. De rebus Emanuelis Regis Luſitaniæ virtute, & auſpicio geſtis. Defenſio ſui nominis. Epiſtola. Admonitio

(1) ibid. p. 35. (2) Præfat. ad lib. de divit. linguæ. (3) in Fabrica Mundi tit. de Civit. n. 893.
(4) ibid. & num. ſeqq. (5) Biblioth. Hiſpana in Oſorio; Vit. Oſor. [6] Elog. Thuan. apud Teiſſer Tom. 2. p. 44.
(7) reſponſ. ad Oſor. pro Haddonio.

Admonitio ad Epiſtolam Eliſabetæ Angliæ. In Gualterum Haddonum. De Juſtitia. De Sapientia. In Epiſtolam ad Rom. Paraphraſis in Job, & in Pſalmos, cum annotat.

Ejuſdem nominis habuit nepotem Eborenſem Canonicum non confundendum cum patruo; iſque multa ſcripſit, quæ recenſet Teiſſerus (1).

CAPUT XXIX.

Hieronymus Wolfius. Achilles Statius. Deſiderius Lignamineus. Franciſcus Portus.

1580 CXXIX. HIERONYMI WOLFII Rhœti nomen albis Germanorum inſcriptum eſt an. MDXL. Anno verò ſequenti addito titulo Conſiliarii primi I. N. G. Natum eum OEtingæ Thuanus tradit (2), Melchior Adamus nobiliſſimo apud Rhœtos exortum genere (3), & Rhœtus eſt in monumentis gymnaſticis (4). Exili corpore, ac temperie infirmâ uſque adeo fuiſſe eum ferunt, ut imparem labori ſtudiorum judicaverit pater, atque hanc ob cauſam ſumptus ad luſtrandas Academias neceſſarios negaverit. At ille ſciendi cupidiſſimus, & ad literas ſummopere propenſus, cùm Tubingam confugiſſet, ibi cœpit Muſis, & Apollini nomen dare alienis ſumptibus, quos diſcipulorum nobilium obſequio ſibi comparabat. Horum comes, ac propè famulus Patavium venit, atque adeo in humanioribus literis Græcis juxta & Latinis profecit ſub Lazaro Bonamico (5), ut redux ad ſuos, princeps eruditorum virorum in Germania ex hac nobilium linguarum notitia & cultiore dicendi ſcribendique felicitate ſit habitus. Docuit has aliquandiu Nurembergæ: præfuit deinde Auguſtæ Vindelicorum bibliothecæ, primuſque inter Auguſtanos Collegas fuit. Ibidem an. MDLXXX. ætatis LXIV. obiit doloribus calculi enectus, & ſordibus obſitus paupertatis, qua totâ vitâ preſſus adeo, vexatuſque dicitur, ut ſæpè de fato quereretur, optaretque mortem miſeriarum ſuarum opportunum remedium. Edita ſunt ejus hæc opera,

Progymnaſmata Scholaſtica in aliquot ſententias Cicer.
Judicium de Poetis legendis.
Comment. in libros Cicer. de Officiis. Scholia in Catonem, in Lælium, in Paradoxa, in Somnium Scipionis.
Annotat. in Tabulam Cebetis, & in Tabulam compendioſam de Origine, ſucceſſione, & doctrina veterum Philoſophor. à G. Morello collectam.
Elegia in Stuporem Germaniæ.
Inſtitutio Auguſtani Gymnaſii.
De expedita utriuſque linguæ diſcendæ Ratione.
De Chriſtianæ claſſis Victoria Protrepticon Poema.
Iſocratis Sententiæ GL. cum annotat, & Veterum Gnomologia.
Quæſtiones in tres libros Ciceronis de Officiis.
Annotat. in Cicer. Tuſculanas Quæſtiones.

Latinè è Græco tranſtulit.

Demoſthenis Opera cum Ulpiani Rhetoris Comment. Æſchinis & Dinarchi Orationes adverſarias Demoſtheni.
Jo. Zonaræ, Nicetæ, Choniatæ, Laonici Chalcondylæ Hiſtorias.
Epicteti Enchiridion. Tabulam Cebetis. Simplicii, & Arriani comment. in Epictetum.
Suidæ Hiſtorica, Philonis Judæi Opera. Gregorii Nazianzeni Alphabetum morum. Hermiæ inſectationem diſſidentium inter ſe Philoſophorum cum annotationibus.

Ex his translationibus maximi eum habitum apud Germanos, ſcribet Teiſſerus; indeque à Principibus ac Rebuſpublicis ingentibus fuiſſe muneribus affectum. Verùm repugnat his ejus quamvis cœlibis maxima paupertas, nec habendum ex translationibus magni, conſtat linguæ noſtræ peritis. Quare merito ſæpè vapulat ab Allatio, noſque in iis, quæ ſcripſimus, non rarò aberraſſe eum à ſententia Græcorum, quos latinè reddidit, demonſtravimus.

1581 CXXX. ACHILLES STATIUS Luſitanus à Ghilino (6) natus dicitur Utigeriæ, quæ quòd oppidum Luſitaniæ ſit, tacentibus Geographis, liceat ignorare. A patre militiæ militiæ deſtinatus & ad Orientales Indos, ad quos pater militaturus abibat, deductus, cùm ſe imparem duro ludo Martis fuiſſet expertus, bonâ parentis cum veniâ rediit in Luſitaniam. Ibi primas literas didicit ſub Joanne de Barros Grammatico: mox ad Belgas pro-

(1) in Add. ad Elog. Thuan. Tom. 2. p. 45. (2) Elog. apud Teiſſer. Tom. 2. p. 37.
(3) Vitæ Philoſoph. (4) Collect. Salom. ad Inſcript. Gymn. (5) Bonam. Epiſt. 8, in calce.
(6) Theatr. Vol. 2. p. 3.

gas profectus initiatus eſt eloquentiæ, à Petro Nannio claro Lovanii Rhetore; ſimul etiam Græcis literis imbutus eſt. Venit deinde Patavium excitus famâ Robortelli: hoc inſtitutore preſſiùs & uberiùs cultioris doctrinæ ſe ſe ornamentis inſtruxit; cumque per ea tempora Muretus Venetiis ageret, unde poſtea, ut olim à patriâ, turpiſſimi criminis illum abegit ſuſpicio, ad hunc ſępiſſimè commeabat, ut ex tanti viri contubernio nitorem candidiſſimæ latinitatis contraheret. Narrat hæc ipſa de ſe ipſe Statius (1), qui jam tum, ut videtur, de ſe ſibi maxima promittebat. Hinc ergo ſatis dives opibus, quas longis adeo peregrinationibus comparaverat, Romam ſe contulit, brevique tum conterraneis ſuis, tum eruditiſſimis Romanorum probatus, celebratuſque, in aulam Sfortiæ Cardinalis irrepſit, cui à cuſtodiâ bibliothecæ fuit, eoque otio uſus quicquid antiquitatis in marmoribus, inſcriptionibus, Epitaphiis, ac ſimulacris Urbs habet ſpectandum, notandumque, curioſè ſcrutatus eſt; uſus præſertim familiaritate Fulvii Urſini, quo non major ea ætate Antiquarius fuit. Inde illi fama eruditionis, atque eloquentiæ ſingularis, quam ipſi quoque profuſiùs comparavit occaſio perorandi non ſemel coram Pontificibus Maximis nomine Sebaſtiani Luſitaniæ Regis: quo permittente D. Pio V. ab Epiſtolis latinis operam præſtitit. Hoc ad ſuperos translato, literarium ſeceſſum & otium amavit in Urbe ipsà, contemptorque ſacerdotiorum, quæ plurima offerebantur & opulenta, valedixit Aulæ ſuâ ſorte contentus, & amicâ quiete beatus, in qua vitam poſuit nondum ſenex an. MDLXXXI. ætat. LVII. Claruit cum ex operibus ſuis, tum ex interpretationibus Græcorum editis. Ipſius ſunt.

In M. Tullii Topica, de Fato, & optimo genere Oratorum cum appendicibus obſervationum in varios latinorum Scriptorum locos liber I.

In Suetonii illuſtres Grammaticos & claros Rhetoras Scholia.

In Horatii artem Poeticam Commentarius.

In Catullum, & Tibullum Commentarius.

Sylva Carminum.

Tabula Geographica Luſitaniæ.

Oratio in Topica Ciceronis.

Oratio Quodlibetica de Animorum Immortalitate.

Orationes tres obedientiales pro Sebaſtiano Rege Luſitaniæ ad Pium IV. Pium V. & Gregorium XIII.

Epiſtolæ Variæ, & illa prolixa ad Martinum Navarrum de Redditibus Eccleſiæ.

Vertit ex Græco *Callimachi Hymnos in Jovem & Apollinem. Nili Abbatis Epiſtolas tres. Typos Epiſtolicos Anonymi. Libanii, & Demetrii Phalerei de Epiſtolis. Chryſoſtomi Orationes IV. Gregorii Nyſſeni de Abraham & Iſaac. Athanaſii in Magnam Paraſcevem. Amphilochii in Sabbatum Sanctum. Gregorii Antiocheni in Exaltationem S. Crucis & Reſurrectionem. Cyrilli in Parabolam Vineæ. Anaſtaſii Sinaitæ de S. Synaxi. Marciani Bethleemitæ fragmenta.* Anecdota, quæ non vidimus, dabit Ghilinus.

CXXXI. Debet hoc noſtrum opus perhonorificam mentionem DESIDERIO LIGNAMINEO Ordinis Prædicatorum viro docto, erudito, & Antiquitatis Patavinæ ſtudioſiſſimo. Quippe laboribus ejus & adverſariis ſæpè profecimus, multumque lucis hauſimus Miſcellanea ejus, & Collectanea percurrentes, quæ nobis conterraneus noſter Jacobus Salomonius conceſſit ad hunc ipſum laborem, quem exantlamus, ut ipſe teſtatum poſteris voluit (2) adjectâ operi ſuo officioſâ noſtri, quam neque meremur, neque merebimur unquam, commendatione. De Deſiderio Lignamineo adhuc ſuperſtite aliqua Scardeonius (3), plura ipſe (4) de ſe, ex quibus dabimus, quod ſatis ſit ad ejus notitiam. Natus eſt Patavii honeſtiſſimo genere Hieronymi filius, Blaſii nepos, qui ab eodem Scardeonio (5), Decretorum doctor inſignis dicitur extitiſſe, primuſque edendum curaſſe Tarviſii archetypum de Orthographia Tortellii Grammatici commentarium. A primâ ætate pronum ad pietatem & ſapientiam ingenium addixit, utrique diuque in adoleſcentiâ eruditis inſtitutionibus Donati Veronenſis & Lazari Bonamici Baſſanenſis excultus in patrio gymnaſio, ſacræ Prædicatorum familiæ nomen dedit. In ea ſeverioribus diſciplinis ſub Alberto Utinenſi Philoſopho, & Gaſpare Peruſino Theologo imbutus, utriuſque ſcientiæ decus promeruit, ſeditque in ſubſelliis collegarum doctor Theologus. Navigavit deinde in Cretam, atque ibi manſuetiores literas docuit, teſtabaturque etiam ætate Salomonii (6) urbs Inſulæ princeps utiliſſimos Lignaminei labores poſito lapide, atque elogio in periſtyliis cœnobii S. Petri. Decennio apud Cretenſes peracto, cùm juventutem nobilem, & ut Græcum ingenium ex indole flagitat, eruditionis avidiſſimam, literis & moribus reformaſſet, clarus inde, ſed & ex privatis mercedibus dives dum in Italiam remeabat, viſus ſibi eſt Ciceronis in inſula Zacyntho ſepulchrum repeiſſe, faciemque ejus inde allatam primus omnium typis editam affabrè Italiæ noſcendam 1581

dedit,

(1) Epiſt. ad Jo Baptiſt. Raſarium. (2) Epiſt. ad lect. præfix. Inſcript. Urbis Patav. in fine.
(3) lib. 2. Claſſ. 6. p. 233. (4) Præfat. ad hiſt. Cœnob. (5) ibid.
(6) In Collectan. ad Inſcrip. Gymn.

dedit, atque inventionis hiſtoriam eleganti epiſtolâ ad Hieronymum Marcatellum Venetum, Canonicum Patavinum erutam è tenebris obſoletæ vetuſtatis expoſuit. Reſtitutus in patriam, ne otio marceſceret, neu in illo patriæ eſſet inutilis, paſſus eſt ſibi onus imponi erudiendorum Clericorum in templo majore ſervientium: quo munere fungebatur an. MDLX., cum Scardeonius ſcribebat: perrexeritque id ipſum agens ad extremam uſque senectutem, quâ è vivis videtur ſublatus circa an. MDLXXXI. Vir curioſus & antiquitatis agnoſcendæ cupidiſſimus, erga ſuos amicos gratiſſimus, quorum memoriæ elogia multa, inſcriptiones, epitaphia, carmina dedicavit, munificus in cœnobium ſuum, cui quicquid corraſerat ex inſula Creta, quidquid è ſtipendiis obiti muneris habuit, in ſolidum contulit, ornando reparandoque. Scripſit multa, quæ anecdota vidimus. *Hiſtoriam cœnobii ſui S. Auguſtini*, quam alicubi laudat Salomonius. *Indicem Inſcriptionum gymnaſii noſtri, cum annotationibus* utiliſſimis operi noſtro. *Librum de Viris ex pietate illuſtribus in familia S. Dominici. Deſcriptionem haſtiludii celebrati Patavii an. MDLXXIV. Hiſtoriam Peſtilentiæ an. MDLXXVII. Concionum Volumen.* Habebat hæc Salomonius, à quo inſcriptiones habuimus gymnaſii, immiſtas & cumulatas Collectaneis ſuis: reliqua pollicitus ſe daturum Georgio Cardinali Cornelio; an præſtiterit, ignoramus.

1581 CXXXII. FRANCISCUS PORTUS familiâ quidem nobili & oriundâ Vicentiâ, paupere tamen in urbe Cretæ Metropoli natus eſt (1); parentibus è vita ereptis orphanus ab affinibus domum receptus, pietate Georgii Calergii Venetias deductus eſt, indeque Patavium dimiſſus, hìc primas literas & humaniores, atque etiam Philoſophiam didicit per annos circiter ſex, ut ex monumentis nationis Transmarinæ licuit colligere. Patrono Calergio in Cretam reduce, cùm non facile ſuppeterent ſumptus procul à gentilibus & conterraneis victuro, remeavit Venetias, ubi græcas literas in gymnaſio Græcorum, tunc poſito ad Sanctum Antonium, pia mercatorum noſtrorum liberalitate, tam celeri laboris aſſidui tractu perdidicit, ut intra triennium [illegible] appellari meruerit à Margunio (2), tunc Michaele, & Venetiis typographo Græcorum. Præfuit igitur juvenis ſcholæ illi maximi habitus, quòd dicax eſſet, & omnia ſuſpendere naſo adunco ſolitus. Verùm cùm ſacris etiam illudere, ac ſuperſtitioſos appellare Gentiles ſuos, eorumque jejunia, inflexiones corporum coram divorum iconibus deridere cœpiſſet, nec itidem ex reliquo moribus ſe probum oſtenderet, poſt annum in confirmatione muneris repulſam paſſus eſt, flexitque animum egeſtate compulſus, ut Græcum mendicabulum in Gallias proficiſceretur. Iter ingreſſus Ferrariam venit, ubi à diſcipulo, quem privato ſtipendio græca Venetiis docuerat, agnitus, & hoſpitio receptus, ut Græcorum doctiſſimus in aulam Renatæ uxoris Herculis II. Ducis irrepſit; nec diu poſt, in ea verſatus, quam jampridem Calvinianum venenum infecerat, à Sacris orthodoxis defecit, dogmata omnia deteſtatus Orientalis Eccleſiæ (3), in cujus ſinu natus, altuſque fuerat. Interim Ferrariæ Græcam linguam docuit; (4) indeque non ante diſceſſit, quàm Hercule mortuo Renata rediit in Galliam. Quamobrem non ante an. MDLIX. Genevam Portus transfugerit. Ibi palam Calvinianus verbo ſcriptoque ſcriptores Græcos interpretatus eſt, plaudente Beza, ex quo eum Joſephus Scaliger (5) ſenem optimum, & doctiſſimum appellat. Ad ultimam ſenectutem provectus robuſto corpore, ſeptuagenarius deceſſit Genevæ an. MDLXXXI. (6) Eumque hoc epitaphio Carmine celebravit Beza (7).

Cretenſem Patria Portum, non moribus, oras
Traxerat in Venetas quem pietatis amor:
Nec ſatis in Venetis nactum feliciter oris,
Quærere ſuadebat quod pietatis amor;
Hoſpitio profugum excepit fovitque Geneba
Exulibus portus tutus, & ora piis.
Nec ſolum excepit, ſed & illum hinc inde ſecutas
Et Porti aſſiduas Pieridas comites.
Exuvias cujus matura ætate ſepulti
Hoc portu manibus compoſuere ſuis.
Pars autem melior portu meliore potita,
Qua pietas illum quærere juſſit, habet.

Quàm

(1) Margun. Epiſt. ad Georg. Palæocap. inter edita à Metaxa 24. (2) Epiſt. ad Coſtant. Palæocap. eit 34. (3) Margun. ibid. (4) Thuan. Elog. apud Teiſſer. Tom. 2. p. 63. (5) Epiſt. 340. & in Scaligeriana. (6) Thuan. ibid. (7) apud Teiſſer. ibid. p. 64.

Quam falſa hæc ſint, quæ narravimus, probant, non ex Muſa Bezę cerebroque Simmyſtę deducta, ſed ex certiſſimis monumentis, quę proſtant apud nos & in tabulario Cretenſi Venetiis, confirmanturque teſtimonio Margunii. Filium reliquit Æmilium (1), qui linguam Gręcam profeſſus eſt Heidelbergę, multaque edidit, quorum catalogum leges in elogiis Cęſaris Capacii & Laurentii Craſſi. Ipſe Franciſcus hęc ſcripſit, & pręlo commiſit.

Reſponſionem ad P. Carpentarii Epiſtolam plenam calumniis in vires honor.
Comment. in Pindari Olympia, Nemea, Iſthmia.
In Xenophontis Opuſcula.
In Thucydidem.
Caſtigationes in Florilegium Græcorum Epigrammatum.
In Syntaxim Apollonii Alexandrini, & in alia quædam Græcorum ſcripta.
Epigrammata Varia & Orationes; de Tragœdia, & ejus origine: Sophoclis & Euripidis collationem.

CAPUT XXX.

Gullielmus Poſtellus. Gabriel Fraſcata. Io. Baptiſta Camotius. Franciſcus Venerio. Thomas Eraſtus. Gentianus Heruetus.

CXXXIII. GULLIELMUS POSTELLUS humili loco genitus (2) in Galliæ Celticæ provincia, quæ olim Neuſtria, nunc Normannia eſt, adoleſcens, ut ſe ab egeſtate redimeret, ludum aperuit in vico Sahi apud Pontiſaram, ſeu Pontem ad OEſiam urbem Franciæ. Inde in comitem ab epiſtolis adſcitus ab Oratore Galliæ Regis ad Venetos in Italiam venit, ac per otium Patavium ventitans, cœpit in hoc noſtro gymnaſio pluribus ſe diſciplinis inſerere, quas revocato in Galliam patrono, ipſe in Italia remanens, & Patavii diu verſatus hauſit uberiùs. Præcipuum illi variarum linguarum ſtudium fuit, præſertim Orientalium, quibus, poſt quadriennium Patavinum, Venetiis agens ſe penitus imbuit; multaque ſcripſit, & edidit, quæ per Italiam & Germaniam non ſine laude percrebuerunt (3). Sed interim Venetiis quoque eas ſibi opiniones exoticas & impias comparavit, ex quarum ineptiis diu ancipitis fidei, apud plerosque vel hęreticus habitus eſt, vel planè demens. Sed tunc in Galliam regreſſus, & ex tot ſcientiarum linguarumque notitiâ clarus, Regius Profeſſor Pariſiis fuit ſub Franciſco I. bonarum artium Mecænate munifico, deinde prolytes Medicinæ in Academia Pariſinâ (4), & ſacris initiatus, vix credi poteſt quot, quales, quantos ſibi omnium plauſus conciliaverit. Miris laudibus extollitur à Burburio (5) ejus ingenium acre, acutum, expeditum; ejus eruditio plena, elegans, univerſalis, linguarum quoque notitia, non priſcarum dumtaxat, ſed omnium quotquot uſurpantur in toto orbe terrarum, quem Poſtellus aſſerebat, à ſe peragrari ſine interprete poſſe. Hinc tanta de eo apud viros principes erat exiſtimatio, ut illum Franciſcus I. & Navarræ Regina illa doctiſſima judicio omnium, quaſi mundi miraculum contemplarentur (6): cæteri omnes atque inter hos Cardinales Turnonius, Lotharingus, Amaniacus crebra miſcere cum illo colloquia optarent, atque ipſi penè non aſſectatoris officium præſtare ſtuderent. Sapientiſſimi quoque in Gallia viri hominem admirabantur, paſſimque quicquid ab ejus ore prodibat, ut oraculum aliquod excipiebant. Ferunt, tanta auditorum frequentiâ dicere ſolitum in collegio Longobardorum, ut, cum aula, permagna licet, illius collegii multitudinem illam non caperet, auditores juſſi ſint, in ejuſdem compluvium, atriumque ſubdiale deſcendere, undè dicentem è feneſtrâ audirent. Verùm hæc omnia homo novarum ſententiarum cupidus artifex, dum nimis Rabinorum ſtudiis indulget, aſtraque contemplatur curioſiùs, planè corrupit, atque in ea dogmata cudenda proceſſit, ex quibus apud poſteros infamatur (7). Docuit, Servatorem Chriſtum venturum iterum, ſumpturumque novum corpus in Virgine Venetâ ſanctimoniali, quam Venetiis amaverat, ac per eam redempturum fœmineum ſexum, quem nondum planè redemerat (8). Scripſit, vulgavitque fœminas aliquando viris imperaturas (9), ſectas omnes à Chriſto ſalutem conſecuturas; Myſteria Chriſtianorum fabulas eſſe: doceri ſe arcana divina ab Angelo Raphaele, ſcriptaque ſua eſſe Chriſti ipſius ipſiſſima ſcripta. Teſte Sammarthano (10) aſſerebat, ſe olim mortuum, iterum vitæ fuiſſe reſtitutum; utque hoc perſuaderet iis quoque, qui eum olim viderant pallidum, decolorem, incanum, ſolebat barbam, capillumque 1581

(1) Teiſſer. d. p. 64. (2) Verderius in Proſopograph. (3) Thuan. Elog. apud Teiſſer. Tom. 1. p. 47. (4) Teiſſ. ibid. p. 48. (5) Vit. S. Ignatii. (6) idem Teiſſer. ibid. p. 49. (7) Thuan. & Teiſſ. ibid. (8) libro de Virgin. Venet. (9) lib. de mira fœmin. Victoria (10) in Elog.

Digitized by Google

que ac faciem pingere. Reipſa non aliam ob cauſam ſe ubique Poſtellum reſtitutum appellat, nec immerito Joſeph Scaliger (1) eum inſanum potiùs quàm impium, diu verſatus cum illo, affirmatè cenſet ac prædicat. Gulielmus Monteyus refert (2), ſibi Poſtellum ſeriò dixiſſe, ſibi naviganti in Græciam & Orientem ex aere marino caniciem obortam, ſed reduci in Continentem eam paulatim excuſſam, cano pilo decidente, cujus in locum niger ſucceſſerit. Ob hæc inſaniæ vel impietatis comperto (prædicabat enim hæc propalam typiſque vulganda tradiderat) ſilentium indictum, interdictumque publicis prælectionibus. Re enim ipſâ inſanabili laborabat inſania, quam neque vir ſanctus Ignatius Loyola ſanare potuerat, nec tot, quæ illi adverſa contigerant, mitigare. Nam ut hactenus relatis ea quoque addamus, quę Daniel Bartolus refert (3), cum Romæ erat jam ſacris initiatus Inſtituto Societatis Jeſu ſe ſe devoverat, receptùſque inter Socios, cum aliquandiu ſobriè ſanctèque vixiſſet, repentè ad prophetica ſomnia Cabaliſtarum, quibus inſueverat, recidit: quamobrem Vicario Pontificis traditus cum reſipuiſſet, iterum à S. Ignatio peramanter, ſed & cautè in contubernium exceptus non diù poſt in eaſdem ineptias erupit. Ergo ejecto expulſoque interdictum eſt ſociorum conſortio, percurritque Picenum in ſacri Præconis officio multa docens orthodoxis dogmatibus repugnantia. Inde Venetias venit ea ibi præſtiturus quæ ſuperiùs narravimus, quæque illum vinctum reduxere Romam, ubi fuit in carcere, donec poſt fugam infeliciter tentatam, cùm utcunque ſacris Tribunalibus feciſſet ſatis, dimiſſus remeavit in Galliam, eaque auſus eſt, quorum cauſâ ſilentium illi, uti diximus, indictum eſt, interdictumque prælectionibus publicis, quas anno MDLXIV. cupiens iterum aggredi Reginæ Gallorum palinodiam obtulit quandam (4), qua non tam recantabat ineptias ſuas, quàm phanaticis quibuſdam rationibus honeſtare conabatur. Hinc illi permiſſum, ut Mathematica dumtaxat doceret ab Exedrâ. Sed eùm in horum explanationes eadem deliramenta paſſim intruderet, adderetque nova, qualia ſunt, quæ Beza refert apud Verderium (5): nempe in ſe animam Adami migraſſe, ſe fratrem eſſe dementis cujuſdam, qui ſe putabat Joannem Evangeliſtam eſſe, atque ob eam cauſam incendio Toloſæ damnatus perierat: Cum, inquam, hæc, & alia priſca dogmata in vulgus effunderet, dejectus à munere publico, relegatuſque in cœnobium S. Martini, quod Campi dicitur, ibi continuit, crudâ adhuc & validâ adeo ſenectute, ut centenarius pedes ad Cameracenſe collegium à cœnobio S. Martini, mulo ſequente, commearet. Obiit in illo cœnobio an. MDLXXXI. ex Thuano centenario major. Teiſſerus (6) annum illi emortualem aſſignat decimum ſupra centeſimum. Scripta ejus, quamvis eruditiſſima, paſſim familiaribus ipſi maculantur ineptiis. Unum excipit Naudæus (7) librum *de Orbis concordia*, quem etiam Spondanus laudat, cenſetque eo validiſſimè confutari Ethnicos, Mahumetanos, Hæreticos, indeque Ludovicum Vives ea compilaſſe, quæ optima judicantur in ejus opere de Religione Chriſtiana. Operum Poſtelli multa Gallicè ſcripta ſunt, eorum quæ latinè ſunt edita, titulos damus.

De originibus, ſive de lingua Hebraica, & gentis antiquitate, & affinitate variarum linguarum ejuſque Grammatica Arabica.

[illegible]. *De Compoſitione omnium diſſidiorum circa æternam Veritatem.*

Mediatoris ultima. Abſconditarum à conſtitutione mundi clavis.

Comment. in Ruth. Evangelium Jacobi Fratris Domini è Græco latinum.

De Originibus ſeu varia Hiſtoria Orientalium, Tartarorum præcipuè, Turcarum, Perſarum, & omnium Abrahami & Noachi alumnorum.

De Numerorum Platonicorum admirandis ſecretis.

De æterno Chriſti in interioribus regno, & ſacro Petri Primatu.

Admirabilis Judæorum ſub Turcis & Iſmaelitis hiſtoria.

Demonſtratio, quod Ariſtotelis placita præcipua ſint contra ſenſum & rationem.

De Etruria, quæ prima in Europa habitata eſt, Originibus commentatio.

De Phœnicum literis libellus, & liber de Vinculo Mundi, ſeu Fide Catholica.

Coſmographia, ſeu de Univerſitate, & Tabula in Aſtronomiam, Arithmeticam Theoricam, & Muſicam Theoricam.

Abrahami Patriarchæ liber Jeziraeh inſcriptus, ideſt Formatio ex Hebræo.

Everſio falſorum Ariſtotelis dogmatum Juſtini Martyris ex Græco.

De Originibus Naturę ubi ex Ariſtotele demonſtratur tum Providentia particularis, tum Immortalitas animarum.

Judicium de Stella anno 1572. quę cæpit apparere.

De Magiſtratibus Athenienſium. De cauſis naturæ utruſque.

Liber de Univerſitate. Signorum Cœli configuratio.

De

(1) lib. 4. Epiſt. Epiſt. 261. (2) lib. de Sanit. conſerv. (3) lib. 3. Vit. S. Ignat. mihi p. 402. 405.
(4) Thuan. Elog. ibid. p. 48. (5) Proſopographia (6) ibid. p. 50. (7) in Bibliographia.

De Ultimo Judicio. *bus Spiritus Sancti.*
Comment. in Obadiam Profetam. De rationi- *Alcorani & Evangelii concordantię.*

Multa alia ſcripſit & edidit ſub falſo nomine Proſperi Feſulani (1), de quibus conſule bibliothecam Simleri. Scribit Henricus Stephanus (2), vidiſſe ſe Poſtellum Venetiis, atque docentem audiſſe, non aliter bonam aliquam religionem confectum iri, niſi quis Turcicam, Judaicam, & Chriſtianam in unum commiſceat. Naudæus addit (3), agente Poſtello Venetiis, viros quatuor ſolitos convenire, ac de omnibus orbis religionibus liberrimè diſceptare: Poſtellum, quæ hi diſſerebant, excepiſſe, eoque mortuo, cùm illa ejus adverſaria in poteſtatem veniſſent Bodini, ex illis hunc ea decerpſiſſe, quæ tractavit in opere de abditis rerum ſublimium arcanis.

CXXXIV. GABRIEL FRASCATA Brixienſis apud nos Medicinam poſt Philoſophicam Theoriam didicit, & ejuſdem in Patavino collegio lauream reportavit (4). Claruit ex hac arte in Inſubriâ, quò familiam tranſtulit, ditavitque. Nam curaſſe dicitur penè omnes Italiæ Principes (5), eorumque morbis opportunas ſuppetias feliciter attuliſſe: undè illi præmia laborum atque operarum eximia. Præſtitit etiam linguarum notitiâ, nec Aſtrologiæ fuit expers: hac maximè in curandis ægrotis uſus eſt, advocato ad Canonem Therapeutices aſpectu ſiderum, & obſervatione Planetarum adhibitâ. Scripſit *Commentarios de Aquis Returbii Ticinenſibus*, harum Mineras, facultates & uſum explicantes. Hos inſcripſit Philippo II. Hiſpaniarum Regi, cui ferunt opus hujuſmodi placuiſſe uſque adeo, ut illum in aulam venire Regiam juſſerit, cui itineri dum ſe parat, mediâ in ſpe fortunæ Medicis omnibus invidendæ, morte interceptus Ticini eſt an. MDLXXXI., ut Ghilinus tradit: ibi ſolemni funere elatus tumulum habet. 1581

CXXXV. JO. BAPTISTA CAMOTIUS nobili & antiquo genere Aſyli in agro Tarviſino natus (6), poſtquàm in gymnaſio Patavino Medicinæ ac Philoſophiæ ſtipendiis confectis legitimè, utriuſque reportavit adoream (7), hanc auxit, ornavitque gloriâ linguarum Orientalium, præſertimque Græcæ, cujus nemo ſua ætate dicitur fuiſſe peritus magis. Medicinam neglexit, Philoſophiam coluit, quam publicè quoque docuit Bononiæ in Hiſpanorum collegio ſub Julio III. Pont. Max. Eandem profeſſus eſt in Maceratenſi gymnaſio ſub Paulo IV., indeque à Pio IV. Romam accitus in vertendis Sanctorum Patrum Operibus conſenuit, obiitque ſexagenarius an. MDLXXXI. Multa ſcripſit, extant pauca, *Orationes* nimirum aliquot, & *Græca Poemata*, quæ verè Græciam ſapiunt, quam rariſſimè ſapiunt non Græcorum græca ſcripta, ex barbarâ planè ſyntaxi, in Græcis vocibus barbara. Hinc jure Simlero Camotius (8) in Græcis literis eſt incomparabilis. Emendavit *Opera Theophraſti*, & *Ariſtotelis*, ediditque *Græcos Commentarios in Metaphyſica tum Theophraſti*, *tum Ariſtotelis*. Vertit latinè *Phyſica Pſelli*, & *Comment. Olympiodori in Meteora*. 1581

CXXXVI. FRANCISCUS VENERIO patricius Venetus, Senator ampliſſimus, & quod ad nos pertinet, Triumvir gymnaſii noſtri Moderator vigilantiſſimus cum Paulo Theupolo Equite (9), & Jacobo Fuſcareno doctore, à prima adoleſcentia in hoc lycæo, cui deinde bonis artibus præfuit liberales diſciplinas omnes exhauſit (10), ſed præ reliquis Philoſophiam amavit, cui ſtrenuam operam, vim totam ſtudiorum impendit: in patria deinde honores Reipublicæ magnâ integritatis ac prudentiæ cum laude geſſit (11). Jam ſenex ac gymnaſio noſtro præfectus, huic Inſtaurando, augendo, ornandoque vires omnes & curas ac ſtudia contulit, ſolitus quotannis Menſem Novembrem prælectionibus publicis dare, nec ſecus atque diſcipuli reliqui Profeſſoribus plaudere. Deceſſit Venetiis an. MDLXXXI. De tanto Philoſopho videndus Thuanus, & in Additionibus Teiſſerus (12). Edidit Italicè multa; quæ vidimus, hæc ſunt. 1581

Libri IV. in Ariſtotelem de Anima. *Orationes doctiſſimas in libros Ariſtotelis de*
Dialogus de Voluntate humana. *Generatione & Corruptione.*

CXXXVII. Teſte Melchiore Adamo (13), THOMAS ERASTUS annos novem in Italia quæſtui ſcientiarum impendit. Horum tres Bononiæ dederit, ſex reliquos Patavino gymnaſio; quippe id apertè colligitur ex albis gymnaſticis (14), notis quæſtoriis & priſcis inſcriptionibus, atque ex Conſiliariorum catalogo, in quo bis legitur L. N. G. Conſiliarius, anno nimirum MDXLIX. & MDLII. Prodiit Thermis Superioribus, quæ Oppidum Helveticum ſunt ad Limagum fluvium, nunc Bada ſeu Oder-Baden. A 1583

(1) Placius de Script. Anonymis. (2) in Iſagoge. (3) ibid. (4) Adverſar. Curiæ ad An. 1559.
(5) Ghilin. Theatr. Vol. 1. p. 100. & ſeq. (6) Thuan. Elog. apud Teiſſ. p. 57. & ſeq. (7) Adverſ. Curiæ ad An. 1553.
(8) in Biblioth. (9) Tomaſ. Gym. lib. 3. c. 43. p. 345. (10) Præfat. in lib. de Anima.
(11) Ghil. Vol. 1. Theatr. p. 65. & ſeq. (12) Tom. 2. p. 65. (13) Vit. Medicor.
(14) Salom. in Collect. ad Inſcript. Gym.

pueritiâ cupidiſſimo diſcendi, & ad ſapientiam facto duplex obſtitit impedimentum, à natura aliud, aliud à fortuna; nam à natalibus lævus, atque ita ſiniſter fuit, ut nullo modo dexterâ ad ſcribendum uti poſſet, ſummâ verò adoleſcens paupertate laboravit. Vicit utrumque, diſpulitque, & induſtria ejus, & amicorum charitas. Ipſe adeo uſui ſiniſtræ aſſuevit, ut celeriùs hac ſcriberet, quàm dexterâ cæteri: affuitque amor cujuſdam divitis, quo ſumptus præbente, in Italiam venit, andivitque Bononiæ Franchinum, & Ghinum (1), hic Philoſophum Genuam, Medicos claros Oddum de Oddis, Jo. Baptiſtam Montanum, Victorem Trincavellum, quibus doctoribus poſito Medicinæ tyrocinio in Germaniam remeavit. Ibi Medicinam feliciter fecit, claruitque ex hiſtoriâ medicâ, in qua doctiſſimum eum fuiſſe & fama vulgavit, & opera ejus edita comprobant. Hoſtis acerrimus Aſtrologiæ, dogmara Paracelſi vehementi ſpiritu conſutavit, vanoſque plauſus his in Germaniâ tributos compeſcuit. Docuit Heidelbergæ diu, nec Medicis tractationibus contentus, Theologicis etiam diſceptationibus ſeſe immiſcuit, ac de diſciplinâ ſacrâ, & cenſuris ita in colloquio habito diſputavit, ut lata ab eo ſententia contra dogmata gentis ſuæ magnos tumultus excierit in Helvetiâ. Senex accitus Baſileam, ibi medicinam profeſſus eſt, quo in munere vitam ibidem poſuit ſexagenarius Kal. Januarii anno MDLXXXIII. Jacet in templo S. Martini: Vir habitus omnium ſuæ ætatis Germanorum Medicorum eruditiſſimus. Edita ſunt hæc ejus opera.

- *Epiſtola ad Simonem Grynæum de diſcrimine Logicæ, Dialecticæ, & Scientiæ demonſtrativæ.*
- *Defenſio libelli H. Savonarolæ de Aſtrologia divinatrice, adverſùs Chriſtophorum Stathmionem. Acceſſit alia Diſputatio de eodem Argumento, & libellus Savonarolæ italicus latinè redditus.*
- *Explicatio Queſt. an Aurum ex ignobilibus metallis conflari poſſit.*
- Πόλεμος, *ſeu Belli deteſtatio.*
- *Judicium de indicatione Cometarum.*
- *Commentarius in hymnos Prudentii.*
- *Diſputationes contra novam Medicinam Paracelſi.*
- *Diſputatio de auro potabili. De cauſa Morborum continente, & de occultis Pharmacorum poteſtatibus, & de Medicamentis purgantibus.*
- *Vrsa Anatome librorum quinque de Morbis*
- *Com. Montani Vicentini novi Medicorum Cenſoris.*
- *Liber de Putredine & Reſponſio ad Archangeli Mercenarii de Putredine.*
- *Volumen diſputationum & Epiſtolarum Medicinalium.*
- *Varia Opuſcula Medica Poſthuma & Conſilia Medica.*
- *De Aſtrologia divinatrice Epiſtola, & de Cometarum ortu, natura & cauſis defenſio contra Squarcialupum.*
- *Repetitio diſputationis de lamiis, & ſtrigibus.*
- *Reſponſio ad Jo. Schioppium, & ejus libellum de una Perſona & duabus naturis Chriſti, & Declaratio ejuſdem libri de eâdem Materia.*
- *De Excommunicatione Eccleſiaſtica: cui dicitur Beza reſpondiſſe in tractatu de Excommunicat. & Chriſtiano Presbytero.*

1584 CXXXVIII. GENTIANI HERVETI celebertimum nomen alumnorum gymnaſii noſtri decus amplificet. Jure enim alumnis noſtris annumerabitur, qui ſe admodum profeciſſe, multa didiciſſe Patavii non unâ in diſſertatione (3), multis in Epiſtolis (4), profitetur. Gente Gallus natus an. MCDXCIX. Oliveti prope Aurelianum à puero artibus optimis capacem animum imbuit (5). Nondum adoleſcentiam egreſſus, ut ſibi alimenta pararet atque familiæ, Pariſiis ludum aperuit, atque inter alios diſcipulos uno felix, ſe præceptorem fuiſse Claudii Albaſpinæi viri clariſſimi, ſæpè jactare potuit. Eduardo deinde Lupſeto Anglo in excudendo Galeno, quem Thomas Linacrus latinè verterat, deſudanti locavit operam, eumdemque ſecutus redeuntem in Britanniam Arturo Polo inſtituendo à Satisberienſi matre datus magiſter eſt. Dein à Reginaldo Polo matris permiſſu in Italiam evocatus diu vixit Patavii, ubi & latinas delicias, ut ipſe teſtatur, ſibi conciliavit, & linguam Græcam feliciter adeò perdidicit, ut poſt triennium reddendis latinè græcis Scriptoribus fuerit idoneus, vertitque hìc plures Reginaldi juſſu, plures Lippomani rogatu. Theologiæ quoque ſe diſcipulum præſtitit, atque in eum virum evaſit, quem certatim deinceps eruditi omnes amarent, colerent, inter cariſſimos haberent. Secundùm hæc fuit Romæ cum Cardinali Polo: adhæſit deindè Marcello Cervino Cardinali, quem ſecutus interfuit Synodo Tridentinæ; atque tunc ibi celeberrimam orationem habuit de honeſtate Matrimonii, ex qua apud

Sanctiſſimum

(1) Epiſt. de diſcrimi. Log. &c. (2) Thuan. apud Teiſs. Tom. 2. p. 78. 79.
(3) Orat. 2. de alen. barba, & Or. 3. (4) Epiſt. 2. ad Polum. Epiſt. 1. ad Lippam.
(5) Thuan. Elog. apud Teiſs. p. 87. & ſeq. Tom. 2.

Sanctiſſimum illum cœtum vir multum admodum doctus & eruditus audiit linguarum Græcæ & latinæ peritiſſimus, Theologus ſingularis: quibus titulis etiam à Poſsevino graviſſimo ingeniorum Cenſore ampliſſimè cumulatur. Regreſsus in Galliam, Sodalis collegii Rhemenſis Theologiæ profeſsor & Canonicus Burdigalenſis reliquum vitæ vertendis Patribus Græcis impendit, obiitque ſenex decrepitus anno MDLXXXIV. ætatis LXXXV. Præclari nominis eſt ex his ipſis translationibus Scriptorum Græcorum, quarum catalogum prolixum dabit Teiſserus (1). Scripſit Gallicè plurima pro dogmatibus orthodoxis adversùs Hæreticos, multa de diſciplina Eccleſiaſtica. Latina, quæ pauca vidimus, recenſemus.

Librum Epigrammaton LVII.

Epiſtolas XXV. quarum ſex ſunt ad Polum Cardinalem, Septem ad Aloyſium Lippomanum Epiſcopum Veronenſem, ad Lazarum Bonamicum tres, ad Bembum duæ, tres ad Sadoletum, quas annotavimus, quòd egregiam doctrinam nitidiſſimâ latinitate pereleganter exponunt.

Orationes quoque eum habuiſse plurimas certum eſt, quarum decem editas vidimus. Prima eſt, quam fortaſſis ultimam habuit in Synodo Tridentina *de honeſtate Matrimonii*, eâque in Matrimonia clandeſtina ferox invehitur, &, ſi placet adſtipulari relatis à Thuano, hac Patres inducti ſint, ut ederent, quæ de Matrimoniis clandeſtinis decreverunt.

Tres aliæ *de alenda, radendave barba* ingenioſè declamant.

Quarta eſt *Præfatio in Prælectiones Olinthiacarum Orationum Demoſthenis*. Quinta *de Aſcenſu Domini*. Sexta *de Amore erga Patriam*. Septima *de Patientia*. Octava *de vitando otio*. Nona *de grati animi Virtute*.

Plura de Herveto Thuanus (2), Quenſtedius (3), Bucholzerus (4), & alii.

C A P U T XXXI.

Joannes Sambucus. Ioannes Crato. Aloyſius Crottus. Gullielmus Sirletus Cardinalis.

CXXXIX. JOANNES SAMBUCUS Philologus magis quàm Medicus inter viros doctiſſimos ſæculi XVI. exeuntis meritò nominatur. Tirnaviæ in Pannonia natus adoleſcens in præcipuis Galliæ, Germaniæ, & Italiæ lycæis verſatus eſt, poſtremò ac diuriùs in Patavino, ut conſtat ex albis Hungarorum & notis quæſtoriis, in quibus navatæ in re Medica operæ teſtimonium, quod Licentiam vocant, reportaſse ſcribitur an. MDLV. (5) auſpiciis Oddi de Oddis & Victoris Trincavelli. An inſignia deindè doctoris acceperit, non liquet, & alioqui olim plures titulo Prolytarum contenti Medicinam profeſſi ſunt. Arti Jatricæ gloriam multiplicem addidit ex humaniorum literarum ſtudiis (6), habitus Poeta elegans, eruditus hiſtoricus, Antiquarius de priſcis & rebus & Scriptoribus præſertim Græcis optimè meritus. Adſcitus inter Conſiliarios Cæſaris Maximiliani II. & Rodulfi II. titulum apud hos Hiſtorici geſſit, quo tempore totum fere patrimonium, remque domeſticam conquirendis libris, monetis, & ſtatuis antiquis impendit; atque hac unâ hæreditate dives, cætera pauper Vindobonæ in Auſtriâ apoplexi ictus occubuit an. MDLXXXIV. ætatis LIII. Acta ejus hoc carmine Epitaphium ejus complectitur. 1584

Sambucus linguas coluit, qui doctus & artes,
Cui natale fuit Pannonis ora Solum:
Cæſaris Hiſtoricus præmiſſi temporis acta,
Et dignos ſcripſit Cognitione libros.
Aonios inter meruit quoque nomen Olores,
Carmine jucundum qui cecinere melos.
Ante diem quamvis, Muſis plorantibus, ipſum
E medio tulerit Mortis avara manus;

(1) ibid. p. 89. 90. (2) ibid. (3) Dial. de Patr. Vir. doct. (4) Indic. Chronol.
(5) Salom. in Collect. ad Gym. Inſcrip. ex Syllog. Lignamin. (6) Ghilin. Theatr. Vol 1. p. 86. 87. Freher. Tom. 2. P. 3. p. 1282. Bucholzer. in Chronol. Indic. Joan. Jacob. Boiſſard. in Icon. P. Lotichius in Biblioth. Poetic. P. 4.

Ipſe tamen ſupereſt, meliori parte ſuperſtes,
In Cœlis anima, nomine clarus homo.
Nil in ſolertes Muſarum Juris alumnos
Mors habet: à Muſis doctus obire nequit.

Quæ ſcripſit, atque edidit varia & multa, his titulis deſignantur.

Poemata varia. Emblemata Poetica CCL. Vitæ Rom. Impp. Dialogi IV. de Imitatione Ciceronis. Orat. VI. Epitheta Græca. Tetraſticha Mythologica in Luciani Dialogos. Carmina Ethica. Paraphraſis cum Comment. in Poeticam Horatii. Sententiæ & Regulæ Vitæ ex Nazianzeno cum ejuſdem aliquot Jambis. Tabula de LXX. diſcipulis Chriſti ex Cod. Vetuſtiſſ. Chronologia Hungariæ. Narratio Obſidionis Agriæ & Zighetti à Turcis. Chronicon Petri Romani de Rebus Hungariæ cum Appendice. Appendix Rerum Hungaricarum à Rege Matthia ad Imp. Ferdinandum. Expoſitio ſimplex Orationis Dominicæ. Funebris in obitu Imp. Fe.dinandi. Thucydidis & Xenophontis Conciones artificio explicatæ. Verſio latina Dialogorum Platonis, Phedri, Alcibiadis, Axiochi. Item operum ac dierum Heſiodi cum Batrachomyomachia. Epiſtolæ DCCC. ſacræ nondum editæ Nazianzeni, Chryſoſtomi, Theophylacti, Baſilii, Cyrilli, Beſſarionis, & Chryſoloræ. Dialogi Bonfinii de Conjugali Pudicitia. Continuatio Bonfinii rerum Hungaricarum uſque ad Imp. Maximilianum II. Arcus Triumphalis pro Claſſica Victoria ad Echinadas Jani Auſtriæ An. 1572. Philo de Virtutibus. Bornii Salæ de Patientia, & ad mortem præparatione. Lilii Tifernatis Epitome in Herodotum. Hepheſtion Grammaticus. Veterum antiquorum aliquot, & Philoſophorum Icones cum Elogiis.

Recenſet hæc & alia Ghilinus (1), & poſt hunc Teiſſerus (2). Thuanus autem profitetur plurium Scriptorum editionem Sambuco deberi (3), ſignatimque nominat Nonni Panopolitæ Dionyſiaca, Opera Ariſtæneti, Eunapii, Heſychii.

1585 CXL. JOANNEM CRATONEM Uratislavienſem Chriſtophoro Senatore & Anna Bidermanna parentibus ortum (4), & à primâ ætate diſcendi cupidiſſimum mala avi ſors tulit Wittembergam, ubi præceptore in humanioribus literis Philippo Melanchthone uſus, ad Theologica deductus eſt à Martino Luthero; & ex utroque venenum hæreſis prorſus exhauſit: adhæſit autem ita, tum ex inſtitutione peculiari, tum ex diuturno ſex annorum convictu ſecundo, ut hujus præcipuus Encomiaſtes deinceps fuerit, cujus & familiares ſermones, & effata non pauca in codicem retulit, ediditque deinde commentarium inſcriptum *Sermones convivales Lutheri*. Hoc tamen ſuadente Theologiam deſeruit, privatimque Wittembergæ Philoſophiam docuit. Quæ omnia miris laudibus, & in commendationem hæreſiarchæ palam effuſis amplificationibus exaggerat Teiſſerus (5), & ante eum Melchior Adamus, qui certiſſimè fallitur cum refert Cratonem, cùm decreviſſet Medicinæ ſe totum addicere, veniſſe Veronam, ut ibi profitente Joanne Baptiſta Montano Medicæ artis peritiſſimo præceptore uteretur. Montanus ut ut Veronenſis in patria neque Medicinam privatim fecit, neque profiteri publicè potuit, qui eam artem in Venetâ ditione Patavii ſolùm exercuit, Patavii ſolùm publicè docuit. Quamobrem Crato, qui certiſſimè Montani auditor & diſcipulus amantiſſimus fuit, Patavii didicit Medicinam, ubi ex albis gymnaſticis ſtudebat ab an. MDXLVI. ad MDXLIX. (6), quo ipſo Montano Brabeuta inde laureatus doctor diſceſſit ex actis Medicorum. Redux ex Italia Lipſiæ aliquandiu vixit, eamque cum Joachimo Camerario amicitiam contraxit, quam coluit, quoad vixit, vir cæteroqui omnium, qui tunc florebant egregiâ virtutis famâ, familiariſſimus, quos inter numera præter Camerarium, Geſnerum, & Sambucum in Germania, in Gallia Henricum Stephanum, Abrahamum Ortelium, in Italia Paulum & Aldum Manucios, Petrum Victorium, Mercurialem, Sigonium. Secundùm hæc recepit ſe in patriam, ibi uxore ducta, Medicinæ praxim profeſſus eſt tantâ & gloriâ & felicitate, ut hac exciti Cæſares eum Conſiliariis annumeraverint ſuis, & Archiatrum Aulæ Cæſareæ dixerint. Hoc munere functus eſt per annos ferme ſex & viginti Ferdinandi I. Maximiliani II. Rodulfi II. Medicus, ac duobus poſtremis cariſſimus, quòd Maximiliano toto corpore ac vultu ſimillimus, illi ſuam, filio patris imaginem repræſentaret. Tandem quietis amans rediit in patriam, ubi diem clauſit extremum an. MDLXXXV. ætatis LXVI. vel ſequenti. Laudatur à Thuano ex ingenio comi & placido (7), at illum alii moroſum (8), difficilem fuiſſe dicunt, & lucri non mediocriter avidum. Illud in eo meritò laudaveris, quòd gratiſſimo ſemper animo fuerit erga magiſtrum ſuum Jo. Baptiſtam Montanum, quem

(1) ibid. p. 87. (2) Addit. Thuan. T. 2. p. 95. 96. (3) Elog. apud Teiſs. ibid. p. 94. 95. (4) Melch. Adam. Vit. Medic.
(5) Addit. ad Elog. Thuan. Tom. 2. p. 114. (6) apud Salom. ex Lignam. collect. ad Inſcrip. Pat.
(7) in Elog. apud Teiſſer. Tom. 2. p. 113. (8) apud Teiſſer. ibid. p. 115.

quem ſæpe in libris ſuis laudat, probat, ac veneratur, cujuſque Conſilia & opera reliqua imprimenda curavit, emendavit, & auxit. Ipſe multa ſcripſit, quæ volumine uno in ſolio magna ex parte typis edita continentur; reliqua ſeorſim publici juris ſunt.

Iſagoge Medicinæ. Perioche Methodica in libros Galeni de elementis, natura humana, atra bile, temperamentis, & Naturalibus.
Parva Ars Medicinalis. Methodus Therapeutica ex Galeni & Montani ſententia.
Idea Hippocratica cum methodo de humore melancholico.
Conſiliorum & Epiſtolarum Medicinalium libri VII.
De Morbo Gallico.
Epiſtola ad G. Peucerum de Peſte. Epiſt. II. ad P. Andream Matthiolum.
Tractat. Germanicè de febri peſtilenti, & Apologia pro eodem Tractatu.
Elegia de Angelis. Pſalmus VI. carmine redditus. Carmina Varia.
Orat. Funebris de Maximiliano II.
Epiſtola de ratione rectè legendi Galenum.

Ejus quoque tres Epiſtolæ latinæ leguntur Volum. II. Obſervat. Medicinalium in Miſcellaneis curioſis.

CXLI. Propè ab exortu cæcum addimus claris alumnis gymnaſii noſtri ALOYSIUM 1585
GROTTUM, qui notior eſt nomine Adrienſis Cœci. Nobili genere Adriæ apud Venetos natus, octavo à natali die viſum infans amiſit: attamen ita ingenio & memoriâ viguit, ut non ſolùm in patriâ latinam, & Italicam linguam, quibus elegantiſſimè uteretur, didicerit, verùm etiam Patavium transferri voluerit, ubi ſeverioribus diſciplinis excoleretur. Scribit Lignamineus (1), hoſpitem eum fuiſſe cœnobii ſui ſancti Auguſtini, ſecum itaſſe ad gymnaſium, atque aſſiduè publicis prælectionibus interfuiſſe, fuiſſeque miraculo omnibus, quod cœcus omnium ſtudioſiſſimus omnium perſpicaciſſimus haberetur in re literariâ. Salomonius (2) confirmat hæc ipſa ex priſcis monumentis ejuſdem cœnobii; cubiculoque ſuo non vulgare decus ſe putat conciliaſſe, ſi credamus, cœcum Adrienſem in eo fuiſſe triennio diverſatum. Certum eſt, eum diſcipulum fuiſſe Bernardini Tomitani: nam hic in ea diſſertatione, qua præfatur ad ſolutiones contradictionum in Ariſtotelis & Averrois dicta (3), Grottum honorificentiſſimè ſalutat, & novum Didymum Adrienſem appellat, qui quicquid audiret, celerrimè intelligeret, intellectum retineret, retentum validioribus argumentis conſtitutum proferret in publicum. Diſceptare eum de rebus difficillimis ſolitum in publicis cœtibus, aſſerit idem Salomonius; confirmatque ejus dictum Ghilinus (4) tradens, ferociter adeo ac robuſtè in hujuſmodi congreſſibus adversùs æmulos inſurgere ſolitum, ut omnes terreret, & ad ſilentium compelleret. Redux in patriam humanioribus literis, ac muſis ſe addixit in ſolidum, ex quibus deinceps admodum inclaruit; atque ultrò receptus eſt in collegia celeberrimarum per Italiam Academiarum. Præſtitit porro inter paucos eloquentiâ. Quamobrem ſepties miſſus à patria Venetias Principatûs initia gratulatus eſt Ducibus Venetis orationibus habitis in Majore Sapientûm Collegio. Idem ad Henricum III. Poloniâ ad avitum Galliæ regnum remeantem dixit egregiè: cumque Bonæ Reginæ Sarmatiæ rhithmos Italicos elegantes obtuliſſet, inſcriptos, *Annulus Etruſcus Rhithmorum*; præmium retulit, pulcherrimum ac pretioſiſſimum annulum à Regina donatum. Obiit Venetiis an. MDLXXXV. ætatis L. Sepultus eſt ad D. Lucæ, undè relatus Adriam, & funus perhonorificum habuit, & ſepulcrum. Quæ vidimus ejus opuſcula Italica, hæc ſunt.

Rhithmorum Partes III. Epiſtolæ Familiares.
Iliados liber I. Italicè redditus.
Paſtoralis Fabula inſcripta: Pœnitentia Amatoria.
Comœdiæ. Alteria, Æmilia, Theſaurus.
Tragœdia. Hadriana; Dalida.
Drama Sacrum. Iſaac.
Oratio de Sanctis omnibus.
Comparatio Romanos inter & Venetos.
Vita S. Caterinæ Virg. & Martyr.

CXLII. GULLIELMUS SIRLETUS Cardinalis natus Styli in Calabriâ an. MDXIV. 1585
primum literarum tyrocinium Neapoli poſuit. Venit deinde Patavium datus moderator, formatorque morum filiis Matalonæ Ducis, qui huc nobiliſſimum ſobolem excitus famâ Romuli Amaſæi ſtudiorum cauſâ dimiſerat. Eam occaſionem nactus bonis artibus addiſcendis apprimè ſe dedidit; jamque gnarus latinæ linguæ, peritus verò Græcæ, quæ Italo-græco penè non gentilis erat, eò animum convertit, ut ſubſecivis horis, & cùm à gravioribus vacabat ſtudiis, Hebraicæ atque Chaldaicæ linguæ operam daret præceptoribus quibuſdam Hebræis, quos & Patavii & Venetiis, dato, quod recipiebat à Duce Matalonæ ſtipendio, ſibi conciliaverat. Narrat hæc ipſe amico ſuo Calabro Græcè ſcribens (5); extat ejus Epiſtola inter Græcas, ut mirum ſit, eos, qui de hoc viro ſcripſere, ac ejus recenſent opera, hiſque epiſtolas ejus annumerant, hoc ipſum non anno-

(1) ad Inſcript. Gymn. in Collect. (2) Miſcell. ad Inſcript. Gymn. (3) circa finem.
(4) Theatr. Vol. 1. p. 158. (5) Epiſt. Catumſyrit Archipresby. Regii.

caſſe. Annis tribus exactis Patavii, quibus Auditor Bartholomæi Spinę Thomiſtæ, Theologiæ ſibi Polemicæ ornamenta paravit, alumnos ſuos reduxit Neapolim: ipſe in patriam regreſſus, patre ſalutato, vix habens viatici ſatis Romam contendit. Ibi verſatus eſt aliquandiu in tenuiore fortuna (1), cui privatim Græca docens conſulebat. In his habuiſſe dicitur diſcipulum Antonium Aiellum Epiſcopum, pluresque alios ex Clericis Theatinis, quos ad S. Silveſtrum in Quirinali conductus, ad linguæ Græcæ notitiam deduxit. Horum commendatione, ac præſertim Jo. Petri Caraffæ, qui deinde Paulus IV. Pontifex fuit, innoteſcere cœpit curiæ Romanæ, in qua aliquandiu patronum pauperum egit, quorum & pater dici meruit, tantâ deinceps cum famâ probitatis & ſapientiæ, ut emenſus gradus potiſſimos munerum in curiâ, & in aulâ dignitatum, familiaris Marcello II. cum laude, carus Paulo. IV. citra invidiam, & Caraffenſium cliens ſine ſcelere, à Pio IV. qui eum inter Participantes Protonotarium dixit, mox petente S. Carolo Borromæo, ac toto collegio Cardinalium flagitante, renunciatus fuerit Cardinalis, & Vaticanæ bibliothecæ præpoſitus. Hanc auxit mirificè, ſed & privatam ſibi comparavit ampliſſimam decem millium aureorum impendio. Ea poſt obitum ejus juri bibliothecæ Columniæ ceſſit, diſtracta, ut eſſet, undè æs alienum, quod vivens, ut in pauperes largitionibus ſufficeret, Princeps munificentiſſimus contraxerat, ſolveretur. Fertur enim in omnes ac præſertim egenos eouſque liberalis fuiſſe, ut nemini unquam ſubſidium ſtipemve pecuniariam petenti, nullo habito petentis diſcrimine, quod poſtulabatur, denegaverit. Quamobrem nihil moriens ſibi reliquum fecit, admonituſque, dum è proximo mortem ſpectabat, ut ultimum ſibi elogium diceret, riſit, converſuſque ad Sacerdotem ab exhomologeſi, quem Societatis Jeſu Theologum habuit ſemper; *tu ſcis*, inquit, *me mea omnia legaſſe jampridem creditoribus meis.* Vir reverà ſapiens, Philoſophus, Mathematicus, Juriconſultus, Theologus autem eruditiſſimus doctiſſimus, peritiſſimus linguæ Græcæ, cujus codices ſemper habuit præ manibus, Græcorum fautor inſignis, quorum urbano collegio ſub Gregorio XIII. patrocinium impendit amantiſſimè, advenas Romæ omnibus officiis, ac paterno planè ſinu complexus eſt, dicere ſolitus, horum Eccleſiæ, licet jampridem intermortuæ, deberi omnem ſacræ vetuſtatis notitiam. De ejus geſtis ſatis eruditè diſſeruit funebri oratione Joannes Vaz Mattamora Luſitanus; inde habent ſua reliqui cum Oldoino (2); indeque petenda ſunt, quæ de hoc maximo Cardinali pauca hìc diximus, & quæ plurima brevitatis cauſâ diſſimulamus. Obiit ſeptuagenario major anno primo Sixti V. æræ communis MDLXXXV. VIII. Idus Octobris, ut notatur in ejus elogio (3) lapidi cuſtodi cinctum inſculpto ad S. Laurentii in Pane & Perna, cujus titulum geſſit. Scripſit multa.

Epiſtolas Græcas & latinas.
Librum de Monarchia Eccleſiaſtica.
Annotationes in Pſalterium.
Correctiones & additiones in Jus Civile.
Biblicos Apparatus, varianteſque lectiones in Bibliis Regiis: atque has unas edidit. Reliqua MSS. tum in Columniâ, tum in aliis Urbanis Bibliothecis tineas nutriunt.

CAPUT XXXII.

Franciſcus Sanſovinus: Jacobus Pamelius. Joannes Viſcherus. Bernardinus Taleſius. Martinus Cromer.

1586 CXXXXIII. FRANCISCUM SANSOVINUM ſtuduiſſe Patavii, conſtat ex catalogis Venetorum gymnaſticis (4), & notis in aula fiſcali. Ipſe quoque gloriatur (5) alicubi, quadriennio ſe vixiſſe Patavii, ut Lazarum Bonamicum audiret, & Tomitani prælectiones exciperet. Natus (6) eſt Venetiis Jacobo patre ſculptore, & Architecto notiſſimo, qui oriundus ex oppido Etruriæ, quod Montem S. Sabini vocant, inde ſibi cognomen adſcivit, & Sanſavinum, corruptiùs Sanſovinum nominavit. Secundùm adoleſcentiam hìc humaniori literaturæ ac Philoſophiæ juventutem dedit, mox Romam cum patre profectus, diu verſatus eſt in curia, commendatuſque & famâ parentis & virtute propria à Julio III. inter familiares, quos à ſecreto cubiculo dicunt, adlectus eſt. Poſt obitum Julii ſacerdotiis dives, & politicis aulicisque artibus apprimè inſtructus vixit Romæ ſui juris, amicus eorum qui tunc erant à ſecretis Cardinalium,

(1) Ghilin. Theatr. Vol. 2. p. 180. (2) T. 3. p. 968. 969. (3) Vid. Ghilin. ibid. & ſeq.
(4) apud Salom. in Collect. ad Inſcrip. Gymn. (5) Epiſt. ad Jo. Michaelem Præt. Brixiæ.
(6) Ghilin. Theatr. Vol. 2. pag. 64. 65.

lium, perpetuâ conſuetudine conjunctus cum omnibus, quorum fama ex eruditione cla-
rebat. Ibidem deceſſit ſenex an. MDLXXXVI. Latinè ſcripſit *Epiſtolas* aliquot ad diver-
ſos præſertim Patricios Venetos, præter emunctum candorem ſtyli, qui tamen plerun-
que repit, nihil referentes, quod laudes. Italica ejus præſtant, & habentur in pretio.

*De Regnorum & rerumpublicarum priſcarum ac recentiorum Regimine. Sententiæ Politicæ Ro-
dulfo II. dicatæ. Beroſi Chaldæi Sacerdotis Antiquitates Italicè reddidit, & explicavit. Mundi Chro-
nologiam ab O.C. ad A. MDLXXXII. Annales Othomanici. Deſcriptio Militiæ Turcicæ. Urbium
quoque ac Nobiliorum Italiæ Familiarum*, opus egregium. Itemque illud, quod inſcribitur
*de Illuſtribus Italiæ familiis. Sylloge Orationum à Viris illuſtribus habitarum diſtributa in partes II.
Secretarius ſive inſtitutio ad Munus Secretarii* utiliſſima. *Deſcriptio Urbis Venetæ. Origo Ordinum
Equeſtrium. Hiſtoria Urſinæ Familiæ. Epitome Hiſtor. Guicciardini. Hiſtoria Turcarum. Regimen tri-
um Rerumpublic. Genuenſis, Lucenſis, Epidauriæ in Illyrico. Humani Corporis Structura. Fabulæ
centum. Libri IX. Epiſtolarum Amatoriarum à Viris illuſtribus conſcriptarum*. Mundi Fabricam F.
Alumni recenſuit & auxit.

CXLIV. JACOBUS PAMELIUS tanti nominis intra ſæculum XVI. vir eſt, ut quam- 1587
vis pluribus per Europam gymnaſiis cauſâ ſtudiorum nomen dederit, omnibus illuſtran-
dis par ſit. Fuiſſe illum Patavii, conſtat ex albo Germanico (1), in quo ſe ſignat
Jacobum de Pamele nobilem Brugenſem & Sacerdotem ann. MDLX. ſed & auditorem
fuiſſe inter præcipuos Hieronymi Wielmi Theologiam hìc publicè profitentis, certum
eſt ex iis, quæ ſcribit Wielmus ipſe in opere illi dicato (2). Natus eſt Brugis in Flan-
driâ parte cultiſſima Belgii (3). Stirps illi prænobilis Baronum de Pamele. Maturè à
parentibus miſſus Lovanium liberalibus diſciplinis, Philoſophicis deinde ac Theologicis
operam dedit, præceptoribus Ruardo Tappero, & Jodoco Ravenſtenio. Poſt annos ali-
quot ſuſceptis per Europam peregrinationibus nobiles Academias eruditionis & curioſi-
tatis ergo luſtravit, ſed enim Lutetiæ Pariſiorum, atque Patavii verſatus eſt cum fru-
ctu diutiùs. Inde Lovanium reverſus Theologiæ laurum accepit; revocatus mox Bruges
ac dignitate Canonica ornatus Archipresbyteri munere functus eſt, cùm ſimul Vltraje-
cti Præpoſitus ad S. Salvatorem audiret. Quinquagenario major faventibus omnium vo-
tis, & Eccleſiâ Belgicâ plaudente, Audomarpolitanus Epiſcopus deſignatus, dum ad in-
ſularum initia capienda Bruxellas proficiſcitur, Montibus in Hannonia morbo correptus
intra undecimum diem immaturâ morte peremptus occubuit an MDLXXXVII. ætatis
LI. Sepultus eſt in Æde ſacrâ D. Valdetrudæ cum elogio, quod leges apud SWer-
tium (4), ex quo hæc pauca ad viri celeberrimi notitiam decerpſimus. Edita ſunt

*Liturgica Latinorum in libros II. digeſta. De Ritu Sacrificii apud Latinos ab Apoſtolis & Pa-
tribus obſervato.*

*Relatio ad Ordines Belgii, de non admittendis in una. Republ. diverſarum Religionum exerci-
tiis.*

Conciones Catechetica variis temporibus habitę.

Catalogus Scriptorum Eccleſiaſt. & Interpretum Veterum ſelectorum in Univerſa Biblia. Editus
eſt in calce Caſſiodori.

Sed hæc vulgaria ſunt, nec famæ Pamelii omnino reſpondent. Ex ſequentibus Pame-
lius clariſſimus eſt, & Scriptor eximius.

Tertulliani & Cypriani Opera, MSS. Codicibus emendata, & Annotationibus eruditiſſimis illuſtrata.

Paradoxa Tertulliani, quibus Pamelius Antidotum ſuum adjecit.

CXLV. JOANNES VISCHERUS notus & nobilis Medicus in Germania ſæculo XVI.
exeunte (5) Wemdingæ in Bavaria natus an. MDXXIV. pleraſque Academias Germa- 1587
nicas luſtravit, & Vittembergæ, cujus religionem profitebatur, aliquandiu ſtuduit. Me-
dicinæ quoque operam dedit Tubingę ſub Leonardo FuKſio, & Jacobo SchenKio; nec
tamen contentus inſtitutione gentili Patavium venit, quo in gymnaſio ex albis Germa-
nicis eum fuiſſe moratum triennio conſtat. Auditor hìc fuit Bellacati, Trincavelli,
Fallopii, & Landi ab an. MDLI. ad MDLIII. atque interim & Goritiam adiit, ut rem
Botanicam curioſiùs inveſtigaret apud Matthiolum, & ſæpè Venetias venit, ut priva-
tim Anatomen factitantem chirurgum Venetum obſervaret. Sciendi cupidiſſimus eodem
anno Bononiam profectus, cùm in patriam à ſuis urgentiùs evocaretur, lauream ibi
conſecutus eſt intra menſem, ex quo venerat, ſecundum. Rediit ſecundùm hæc in
Bavariam, in qua triennio poſt profeſſor in gymnaſio Ingolſtadienſi, conceſſâ religio-
nis veniâ, renunciatus, biennio docuit: mox Medicinam in variis Germaniæ civita-
tibus fecit, vel profeſſus eſt. Ter ducta uxore, atque ex his conjugiis pater, tandem
in pa-

(1) apud Salom. ibid. ex lignam. in collect. ad Inſcrip. (2) lib. 2. de D. Thom. doctrin.
(3) Freher. Tom. 1. P. 1. ſect. 3. p. 270. (4) in Athen. Belgicis.
(5) Melchior. Adam. Vit. Medic. Freher. Tom. 2. P. 3. p. 1286. & ſeq.

n patria phtiſicus obiit, cum extremo ſpiritu ediſſet & bibiſſet ſatur an. MDLXXXVII. ætatis LXIII. Edidit

Diſputationes in plurimas Medicinæ partes. Has Italis quoque miraculo eſſe ſcribit Melchior Adamus; id quod fidei ejus relinquimus, prius appellatis ad Sententiam Italis Medicis.

Enarrationem Aphoriſmorum Hippocratis, quas filius ejus Hieronymus vulgavit.

1588 CXLVI. BERNARDINUS TELESIUS, recentiorum Ariſtotelis deſertorum pater & auctor, Coſentiæ in urbe Brutiorum ad Cratidem amnem nobili genere natus, pueritiam tranſegit Mediolani in contubernio patrui raræ doctrinæ, & integritatis viri, à quo ſuiſſe multa doctè nitidèque conſcripta cum vinctâ, tum ſolutâ numeris oratione tradit Teiſſerus (1) ex Toppio (2). Ab hoc Teleſium mitioribus literis imbutum ad quæſtum ſcientiarum ſeveriorum miſſum fuiſſe Patavium ſcribit Thuanus (3), atque hinc Romam veniſſe. Sed verius eſt, Mediolano Romam fuiſſe traductum à Patruo, ut habet Imperialis (4). Nam conſtat annorum ſeptendecim Romam veniſſe, anno ſcilicet MDXXV. moratumque non integro biennio in ea tempora incidiſſe, quibus Urbs ab exercitu Borbonii direpta, vaſtata, & planè perdita memorabile ſævientis fortunæ ſpectaculum edidit an. MDXXVII. Calamitatis illius, & horrendæ cataſtrophes pars aliqua fuit ipſe Teleſius, qui à militibus captus bimeſtres carceris ærumnas, & anguſtias tulit, donec Bernardini Martyrani concivis ſui, qui Aureliano Principi in locum Borbonii cæſi ſubrogato à ſecretis erat, patrocinio in libertatem aſſertus eſt; exoſuſque Romanum cœlum ſub ſidere martiali ſtudiis, ad quæ venerat, importunum, ad ſacras Patavinæ Palladis aras perpetuò ſapientiæ litaturus ſeceſſit. Hic Philoſophiæ præcipuè ſe penitus dedidit: ex eaque laurum doctoribus debitam reportavit, ex albo Siculorum (5) & actis collegii. Mox convertit ſe ad Mathematicas diſciplinas Friderico Delphino Patavino profeſſore uſus; ſimul Moralia documenta, quæ à Hieronymo Amalthæo Opitergino privatim didicerat, recenſuit, eâ maximè horum parte delectatus, quæ de juſtitia, & injuſtitia, aliiſque virtutibus politicis diſputat; quemadmodum ei potiſſimum illa Matheſeos dogmata placuere, quæ ſpectant ad Opticam, cujus nova quædam, & quæ vix perſpici poſſent, plurima rimatus theoremata, detexit; ex quibus id illi evenit, quod multis deinceps, ut Ariſtotelis de re phyſicâ ſententias convellere cogitarit. Ergo ad hujuſmodi propoſitum nonnulla primùm, multa deinde, plurima denique acutiſſimè meditatus in ſolidum Peripateticorum doctrinam damnavit; profectuſque Romam, cùm ibi arctam familiaritatem Ubaldini Bandinelli, & Joannis Caſæ, atque etiam contubernium iniiſſet, his hortantibus, ad perficiendum novum, quod inchoaverat, Philoſophiæ ſyſtema compulſus eſt. Diſtulit tamen hoc ipſum per annos plures: quippe in patriam redux, cum matrimonium nobile, ductâ Dianâ Setlali, contraxiſſet, vacandum illi fuit uxoriæ rei, & adminiſtrationi domeſticæ, quâ ſe tandem abſolvit, cùm filius ex tribus unus ſuperſtes, grandior factus, potuit otia docta quærentem à negotiis domeſticis liberare. Tunc ille ſe in ſilentem locum recepit, & opaco in luco, quem amæno tractu fluvius Corax interfluit, delitèſcens duo illa nota volumina conſcripſit, quibus Peripateticorum principia Phyſica evertere, ſua ſenſuum experientiâ conſtituere, conatus eſt. Ea mox edita cum Neapolitana juventus, excita rerum novitate, quæ leviſſima pectora flectere, ac perſuadere ſolet, excepiſſet ſummo cum plauſu, Teleſius Neapolim venit, ſuâque præſentia ita nutantium plurimorum animos erexit, ut ſe illi ſectatores aſſeruerint, ejuratoque Ariſtotele, novam Academiam excitarint, quæ Teleſiana deinceps dicta eſt, diuque ſtetit, donec non tam bellorum viciſſitudinibus, ut exiſtimat Imperialis; quæ enim poſt obitum Teleſii bella Neapoli exſcindendis Philoſophorum ſectis idonea? ſed ſua imbecillitate apud ſolida Italorum ingenia evanuit. Tunc etiam variis Monachorum afflicta eſt jurgiis, quibus ejus Auctor decrepitus importunè vexatus, melancholicum contraxit affectum, eoque laborans pietate filii tranſvectus Coſentiam, ac per ſeſquiannum quaſi ſtupore extra mentem ac ſenſum traductus exceſſit è vivis propè octogenarius an. MDLXXXVIII.

1588 CXLVII. Quo tempore Stephanus Bathoreus, & Andreas Dudithius in lycæo Patavino ad ſapientiam alebantur, ut ſuo loco diximus (6), medius inter hos plerunque rixantes erat MARTINUS CROMER Polonus, qui ſumptibus utriuſque Theologiæ aliiſque bonis artibus operam dabat, doctore Simone Ardeo, Inſtitutore Lazaro Bonamico (7). Natus fortunâ pertenui Bieczii in minore Polonia (8), poſt Philoſophiam, cujus laurum rece-

(1) addit. ad Elog. Thuan. Tom. 2. p. 166. (2) in Biblioth. Neapol.
(3) in Elog. apud Teiſſer. ibid. p. 165. (4) Muſæi p. 79. (5) ad Annum. 1535.
(6) Partis hujus lib. 3. in. Bathor. & Dudithio. (7) Bonamic. Epiſt. 8. in calce.
(8) Suavolſcius Vit. 100. illuſtr. Polon.

receperat in Cracovienſi Academiâ, ibidem quædam eloquentiæ rudimenta ſibi comparaverat præceptore Joanne de Cazimiria: atque hæc plenius hauſit apud nos, ſactâque ſcientiâ laborum ſuorum ſtudia coronavit. Redux ad ſuos dignitate Theologica, & gloriâ facundiæ præſtare viſus eſt omnibus, indeque Sigiſmundo Auguſto gratiſſimus illi primùm (1), deindè Henrico Valeſio Regibus à ſecretis fuit; admotuſque reipublicæ negotiis, cuncta ſingulari prudentiâ, & induſtriâ tractavit. Quamobrem regiam dignitatem Stephanus Bathoreus adeptus, hunc ſibi jampridem notum, ac duplici deceſſorum ſuorum ſuffragio comprobatum inter ſanctiores Conſiliarios præcipuum recepit: nec diu poſt ab Hoſio Cardinali Adiutor ſacri miniſterii, quo ſenex & abſens fungi minimè poterat, adſumptus, eodem ſatis erepto, præmium virtutis inſulam Varmienſem in Boruſſiâ conſecutus eſt. Quamvis autem tum ſacris tum politicis occupationibus plerunque diſtentus, legationibus ad Suecos, ad Carolum V. & Ferdinandum I. alioſque per Europam Principes impeditus, humanas tamen ac divinas literas non deſpexit, eiſque ſi minus diurnas, nocturnas certe horas impendit acriter & glorioſè. Obiit Varmiæ ſenex an. MDLXXXIX. Ejus opuſcula ſunt.

Poema de Chriſti Reſurgentis Triumpho. Dubitationes de vera via ſalutis. De pœnis Sacrilegorum. De Cælibatu Sacerdotum. De vera & falſa Religione. Catecheſes de Sacramentis. De concentibus Muſicis Eccleſ. Sermones Synodales. Epiſtola præfixa Chronico de optima Politia ad Senatum Polonicum. Theognis latinè verſus. Carmina Phocyllidis Hexametro verſa. Carmen de adverſa valetudine Sigiſmundi Regis Vilnę. Oratio in funere ejuſdem. Epiſtolę familiares multa.

Opera ejus juſta ſunt.

Liber Monachus inſcriptus de Dogmatibus Eccleſię Catholicę.

Libri II. de ſitu Polonię & gente.

Libri XXX. de rebus geſtis Polonorum. Ex hoc poſtremo maximi eſt apud cordatos viros, laudaturque à Poſſevino (2) & Quenſtedio (3); at reprehenditur à Bartholomæo KercKmanno (4), & Andrea Brunnero (5), ob prolixiores narrationes, & inſertas hiſtoriæ fabulas.

C A P U T XXXIII.

Stephanus Luſignanus. Auguſtinus Juſtinianus: Hieronymus Zanchius. Scipio Gonzaga Cardinalis. Joannes Schroterus.

CXLVIII. STEPHANUS LUSIGNANUS Græcus (6), ex legitimo Cypriorum Re- 1590
gum traduce nobiliſſimus ſurculus, natus Leucoſiæ, quæ Nicoſia Cypri Metropolis fuit, poſt pueritiam adoleſcens vividiſſimi ingenii Venetias miſſus, cauſa ſtudiorum Patavium venit (7), ubi fultus patrocinio Corneliorum, poſtquam literis latinis operam dedit, doctore Adriano Veneto Metaphyſico in Philoſophicis diſceptationibus verſatus eſt. Ea occaſione ſanctimoniâ nobiliſſimi Ordinis Prædicatorum illectus ejus ſe legibus mancipavit, ſtuduitque Theologiæ præeunte Sixto Medice Veneto, à quo doctor in Sacro Theologorum collegio renunciatus Patavio Romam commeavit. Ibi familiaritate contracta cum Regis Gallorum Legato, quòd ſe è Gallia oriundum optare diceret avitæ originis decora, propiùs intueri, ad contubernium receptus, ac traductus in Galliam vixit Pariſiis diu, ex eo pleriſque cariſſimus, quod Græcè & Italicè loqui multos doceret. In ea vitæ quiete multa latinè ſcripſit, plura italicè, gallicè quædam. In his fruſtra elocutionem, ordinem, delicias exquiſitæ eruditionis quæras: ſubruſticus ubique eſt, ac perturbatus: at rerum plurium copiâ paſſim exultat, verſatur in genealogiis utiliter, prodeſt peculiarius hiſtoriis ad Græcarum Gallicarumque familiarum notitiam, nec tutò, hoc non lecto, verſabere in hiſtoriâ Cypriâ. Nobis certè utiliſſimus fuit in annotationibus ad illuſtrandam hiſtoriam Eccleſiaſticam, quam continent Menæa, & Menologia Græcorum. Ubi vivere deſierit, ſe neſcire aſfirmabat vir clariſſimus & gymnaſio noſtro memorandus Scipio Gonemius. Salomonius tradit in Italiam rediiſſe (8), obiiſſe Romæ. Ubicunque eum fata deprehenderint, perſenex deceſſerit an. MDXC. Edita ſunt.

Arbor

(1) idem ibid. Ghilin. Theatr. Vol. 2. p. 194. Freher. Tom. 2. P. 2. Sect. 4. p. 914. (2) in Appar. & Biblioth. lib. 16. c. 42. (3) de Vit. Poet. illuſtr. (4) Comm. de nat. & prop. hiſtor. (5) Annal. Boicor. lib. 10. (6) Ghil. Theatr. Vol. 2. p. 221. (7) Salom. in collect. ad Inſcrip. Gymn. (8) ibid.

Arbor Luſignanę Familię. Deſcriptio Inſulę Cypri. Genealogia Valeſiorum, Borboniorum, Luſignanorum.

Catalogus Virorum Illuſtrium Veteris & Novi Teſtamenti.

Liber de Impp. Regibuſque, qui in familias religioſorum adſciti ſunt.

Arbor Machinę Mundi ad Gregorium XIII. P. M.

Affinitates ferè omnium Principum Chriſtianorum cum Franciſco Mediceo M. Etrurię Duce.

Apologia pro Religioſis hominibus adversùs Obtrectatores.

Chronographia per Epitomen Inſulę Cypri à Noe ad annum MDLXXI.

Epitome hiſtoriarum de rebus geſtis Regum Hieruſalem, Cypri, Armenię, & conterminarum Provinciarum.

Sylloge Diſſertationum quinque, quas *Coronas* inſcripſit, quod de rebus Regum ac Principum agant. I. de Origine Regni Francorum. II. Vaticinatur, futurum Regem Francorum, qui Turcarum Imperium diruat. III. de Nobilitate Hieroſolymitana. IV. de Regibus & Impp. Mundi, qui in Sanctorum Catalogos relati ſunt. V. Chronologia Univerſalis ſub aſpectu Planetarum poſita.

Scripſiſſe eum alia multa, quæ Anecdota ſint & Clar. Gonemius & Salomonius aſſerebant. Ea nobis ignota ſunt: ſed non alia fuerint à recenſitis per Ghilinum (1).

1590 CXLIX. AUGUSTINUS JUSTINIANUS Genuenſis Pauli Reipublicæ Ducis filius ex albo gymnaſtico Franciſci Piccolominei diſcipulus fuit (2), eoque tempore, quo de lauto reportanda cogitabat adoleſcens religioſiſſimus, nobiliſſimus, ſtudioſiſſimus repente ad inſtitutum Societatis Jeſu converſus eſt. Miſſus Patavio Romam ibi Sacrum tyrocinium poſuit (3), quo nondum peracto anno ætatis XXII. Chriſti MDLXXIII. Mediolanum ire juſſus Philoſophiam unà publicè docuit, & privatim apud domeſticos operam dedit Theologiæ, quam tantâ ingenii celeritate percurrit, ut poſt annos aliquot eandem Patavii in collegio ſui Ordinis profeſſus ſit magnâ diſcipulorum frequentiâ & admiratione. Idipſum poſtea præſtitit Romæ in collegio Romano: verùm ex labore docendi fractis viribus, tabem concepit, quâ, licet à ſtudiis abſtractus, & regendis Sociis præpoſitus, extinctus eſt an. MDXC. ætat. XL. Neapoli, quo Puteolana remedia exploraturus conceſſerat. Edidit nihil, reliquit attamen memorabile ſapientiæ monumentum, quod vidimus inter collectanea Eudæmonioannis. Inſcribitur: *Doctrina Theologica digeſta ordine titulorum D. Thomę*, quem ſibi magiſtrum unicum præſtituerat poſt D. Auguſtinum: illius quidem Articulos ita arctè complexus, ut memoriâ comprehendiſſe videretur: hujus verò tam pertinax lector & indeſeſſus, ut ex aſſiduâ lectione viſus ſit acumen, ac phraſim ipſam ſummi Doctoris, cujus nomen ſibi eſſe gratulabatur, exhauſiſſe. De eo videndus Allegambe (4), & Lucheſinus (5).

1590 CL. HIERONYMUS ZANCHIUS cùm inter deſertores orthodoxæ religionis modeſtiſſimus fuerit, fuit etiam inter hæreticorum Theologos acutiſſimus, ut cenſet Labbeus (6). Hunc Thuanus & alii natum dicunt apud Cœnomanos Bergomi (7), Melchior Adamus Alzani in oppido Venetiis proximo (8). Et forte ortundus Bergomo Alzani ſit natus Franciſco patre, qui Venetiis cauſidicus peſte obiit, atque uxorem viduam cum filio reliquit in ea urbe, in qua Hieronymus annos natus ſexdecim an. MDXXI. Ordini Regularium Canonicorum adſcriptus eſt, ac miſſus Patavium, bonas artes, & ſeveriores diſciplinas, linguam utranque præcipuis uſus Doctoribus, Bonamico, Tubetta, Ardeo percurrit. Scribit ipſe (9), cum his diu commercium literarium habuiſſe, faceturque ſe & ſcientias dilexiſſe Polemicas ſacras atque profanas, & à Juriſconſultorum tricis abhorruiſſe. Hinc fallitur Salomonius (10), qui hunc præſtantiſſimum fuiſſe Juriſconſultum ex Pignorio autumat: cum hic & Theologus ac Philoſophus fuerit, & longè diverſus cenſendus ſit à cognomine Zanchio, qui nominis alicujus Juriſconſultus ſcripta quædam in jure reliquit, ut admonet Teiſſerus (11). Porro Zanchius, quo de agimus, peracto Studiorum curriculo doctor, cùm non ſine facundiæ famâ multis in urbibus Italiæ Concionatoris munere fuiſſet perfunctus, Lucam venit in cœnobium, cui præerat Vermilius, ac novis opinionibus aurem accomodavit; paulatimque hoc præceptore, mores, poteſtatem, ac ritus Eccleſiæ ſpernere doctus, cœpit in Sacramentariorum partes abire, horum dogmata clam palam pro roſtris ſacris edicere, &, quod ſolet infelix impietas, à morum corruptelâ ad vituperationem dogmatum gradum facere. Hinc illi periculum à Quæſitoribus pravitatis hæreticæ, quod tandem effugit an. MDL. cum

(1) d. p. 211. (2) ad An. 1565. (3) Allegamb. Bibl. Soc. Jeſu p. 50. (4) loc. cit.
(5) Indicul. Vir. Illuſt. Societ. Jeſu. (6) de Scrip. Eccl. Tom. 1. p. 503.
(7) in Elog. apud Teiſſer. Tom. 2. p. 220. (8) Vit. Theologor. (9) Epiſt. ad Martin.
(10) in Collect. ad Inſcript. Gymn. (11) in addit. ad Elog. Thuani ibid. p. 223.

MDL cum fugâ ſe recepit ad Rhœtos. Inde Genevam acceſſit; nec diu moratus iter in Angliam aggreſſus eſt, quò à Pſeudo-Martyre vocabatur. Subſtitit tamen Argentorati detentus, ut ibi Theologiam adornatam phaleris hæreticorum ad an. MDLXIII. explanaret; mox pugnantium Sectarum diſſidiis vexatus, rediit ad Rhœtos, paſtoremque Clavennæ ſe dixit & geſſit non diu. Nam an. MDLXVIII. Heidelbergam accerſitus, ut Theologum ageret, paſſus eſt ſibi, quem acceperat olim Patavii, Doctoris titulum novis ex adyto hæreſis inſignibus cumulari. Decennio in ea urbe docuit, ſeptennio deinde Neoſtadii: undè Heidelbergam redux, vivere deſiit an. MDXC. ætatis LXXV. Vir fuit ſi quis inter hæreticos acutiſſimus, & rerum ac literarum ſacrarum peritiſſimus: tractabilis quoque ac modeſtus, ſi Thuano credendum (1), & pacis amans, qui ſe ad Eccleſiam, undè deſciverat, rediturum profiteretur; ſi quæ in ea contra mores, & doctrinam priſcam Eccleſiæ docentur, licuiſſet expungere. At quæ iſta ſint præter hæreticas opiniones ipſe nec dicere poterat, nec dicebat: cùm nihil non priſcis moribus, & dogmatibus conſentaneum unquam orthodoxa docuerit Eccleſia, quæ privatim quidem in filiis ſuis peccare poteſt, ac moribus uſurpare, quod publicè damnat, publicè nec errare poteſt, aut potuit. Scripſit doctè ſatis, nec tamen ubique è regula catholicæ veritatis.

Miſcellanea Theologica. De tribus Eloihim. De Natura Dei.
De Incarnatione Filii Dei libr. II. De Sacra Scriptura.
Comment. in Oſeam, in Epiſt. Pauli ad Epheſios, Philippenſes, Coloſſenſes, Theſſalonicenſes.
Compendium præcipuorum Capitum Doctrinæ Christiana.
Reſponſ. ad cujuſdam Ariani Libellum, & ad Partem Prodromi Wilhelmi Heldert.
De Spirituali inter Chriſtum & Eccleſiam, ſingulosque Fideles connubio.
Prolegomena in Phyſicam, Epiſtolas, & Orationes.

CLI. SCIPIO GONZAGA Cardinalis, Caroli Marchionis Gazoli filius, adoleſcens 1593
ad Oratoriam, Poeticen, Matheſim curas contulit ac ſtudia primùm Bononiæ, deinde Patavii: qua in urbe commoratus diutiùs, gymnaſium ſi quis alius, diligentiſſimè frequentabat. Pulcherrimus juvenis, nec minus ob multiplicem literarum doctrinarumque notitiam, quàm ob formam egregii corporis undequaque atque univerſim amabilis, poſtquam in aula Cæſaris rerum civilium uſum edidicit, iterum Patavium regreſſus, Theologiæ operam dedit; eamque ſcientiam deinceps in amoribus habuit ac deliciis, quam uſque adeò ex ingenio ſuæ virtutis excoluit, ut additâ ſermonis elegantiâ, atque elocutione barbariem ejus abſterſerit, maximi propterea penes viros eruditiſſimos habitus, quibus literarum commercium, & arctiſſimam familiaritatem profeſsus eſt, præſertim Mureto, Taſſo, Guarino, ſumma invicem ab his exiſtimatione, ſummo cultus obſequio. Nam Taſsus ut ut Poetarum princeps, nullum unquam edidit verſum, quem ejus judicio non commiſiſset: Guarinus verò ſcriptorum licet alienorum cenſor acerrimus, hujus cenſuræ ſua ſemper ſubjecit. Patavii Academiam Æthereorum inſtituit, eique donec in hac urbe vixit, vixit autem perdiu, præfuit. Militiæ ſecundùm hæc Eccleſiaſticæ ſe addixit, quem Romam profectum ſummopere dilexere Pius V. & Gregorius XIII. cujus juſſu Ludovicum Madrutium Cardinalem Legatum de Latere ſecutus eſt in Germaniam, undè regreſsus infortunio vexatus eſt ex rixâ, quam habuit cum Duce Mantuæ Gullielmo, quocum contendebat graviſſimè: imo etiam ob eam cauſam detruſus in carcerem, vix ab eo prodiit ſub Sixto V., à quo deinceps Patriarcha Hieroſolymitanus primò, deinde annuente, imò & deprecante ipſo Gullielmo Duce an. MDLXXXVIII. Presbyter Cardinalis S. Mariæ de Populo renunciatus eſt. Varia poſt hæc obivit munera, & dignitates ſub Urbano VII. Gregorio XIV. Innocentio IX. & Clemente VIII. ſub quo obiit in oppido S. Martini paternæ ditionis anno MDXCIII. ætatis LI. Ibidem ſepultus in ſacello S. Crucis extructo à Majoribus. Videnda Epiſtola Equitis Baptiſtæ Guarini (2); conſulendique Petramellarius (3), & alii, quos nominat Oldoinus (4); ex quo hæc pauca collegimus.

CLII. JOANNES SCHROTERUS, ut refert ex Jo. VVittichio Freherus, Vinariæ 1593
Saxonum natus an. MDXIII. primas literas tum in patria, tum in Rhœtia didicit, VVittembergæ diſciplinis Philoſophicis imbutus eſt; venit deinde Vindobonam addiſcendæ Medicinæ causâ, atque inſtitutioni VVolfangi Lazii ſe ſubjecit, & uxorem duxit; paterque jam in Italiam itinere ſuſcepto Patavii ſubſtitit non alius à ſignato in albis Germanicis an. MDXLVIII. & ſeqq. Montani præſertim auditor aſſiduus eo doctore Medicinam perdidicit, & in eâ arte Prolytes poſt reditum in patriam inſignia doctoris

(1) ibid. p. 221. (2) Epiſt. ad Ferant. Gonzag. (3) de Cardinal. (4) ad Ciaccon. Tom. 4. p. 172.

doctoris accepit. Accitus in Aulam à Maximiliano II. tunc Rege Bohemiæ apud hunc Medicinam fecit; à Jo. Friderico Saxonum Duce poſtea revocatus Profeſſor Jenenſis & Archiatrus Saxoniæ deſignatus eſt. Bis Prodromus ejuſdem Ducis Patavium venit, cum ut Medicos Profeſſores de ejus ſalute conſuleret, tum ut poteſtatem eidem apud Venetos pararet veniendi ad Thermas Aponenſes. Academiam Jenenſem, cui pluries præfuit, quæſitis ab Imperatore privilegiis auxit, atque ita claruit in praxi Medica, ut ab ipſo ingreſſu contemplatus decumbentes incredibili ſagacitate & morbos deprehenderet, & quid agendum eſſet ſtans pede in uno decerneret. Hac virtutis famâ per Germaniam nobilis Equeſtri ordine ac titulo Comitis cum poſteritate decoratus eſt diplomate Cæſaris Ferdinandi. Vixit ad an. MDXCIII. ætatis LXXX., quo devixit gangræna ſuccedente eryſipelati in pede. Edidit.

Libellum de Prædictionibus eruditum ſatis,
Theſes varias de Materiis difficillimis.
Scholam Medicam ab Auditoribus exceptam.
Tractatus varios Anatomicos.

CAPUT XXXIV.

Valentinus Naiboda. Vincentius Brunus. Franciſcus Panigarola. Valens Acidalius. Lævinus Torrentius.

1593 CLIII. VALENTINUM NAIBODAM etſi non eſt, ut annumeremus alumnis gymnaſii noſtri, eſt attamen, ut ejuſdem cultorem honorarium & quaſi inter cives ac familiares cooptatum aſſeramus. Is enim Coloniæ Agrippinæ natus in Philoſophicis & Mathematicis primas tulit (1). Poſtquam & in patriâ, & extra patriam ſe quidem aſſiduis laboribus, alios privatis, & perfunctoriis excoluit, haberique cœpit Mathematicorum clariſſimus, ad genethliacas obſervationes deflexit, ac ſolitudini deditus naturæ arcana ſcrutari, tentare, quæ caligo futurorum occultat, aſtrorum commercio uti, eorumque aſpectibus præſtare fidem, denique Aſtrologiam non profiteri ſolùm, verùm & experimentis adhibitis illuſtrare, novâque methodo ad agnoſcendos hominum eventus certiùs, quàm ante illum alii, atque artificioſiùs manuducere. Poſt multa ad hoc ipſum edita, pervagatus Italiam, eluctatuſque multa pericula, quorum impetu ſe oppreſſum iri conſtantiſſimè negavit, profeſſus violentâ morte ſe periturum, Patavium ſeceſſit, ut hìc aliquando quieſceret. Inſcriptum eum Germanorum fuiſſe catalogis, conſtat ex actis aulæ quæſtoriæ an. MDLXXXV. quo maximè vigebant privilegia gymnaſtica curâ Bernardini Paterni, qui tunc, abſente gymnaſiarcha, ejus vicibus Præſes ac Gubernator ab urbanis Rectoribus juſſus fungebatur. Hìc Naiboda Profeſſorum auditor perpetuus per annos aliquot fuit; non quòd inſtitutione egeret, qui vel ipſos Profeſſores in rebus Phyſicis, & Mathematicis docere poterat, ſed animi causâ, & ut cenſor dogmatum, quorum erat in gymnaſticis prælectionibus diſquiſitio. Interea vim totam & induſtriam impendebat explanando Quadripartito Ptolemæi, quò ejuſdem operis celeberrimum interpretem Hieronymum Cardanum ſuperaret, atque etiam refelleret; ſimul his curis liberalibus meticuloſum animum & ex iis, quæ ſibi fuerat ominatus, trepidum ſemper, atque ſollicitum recrearet. At cum preſſiùs Directiones Aſtrologicæ, quas ſibi fatales dixerat (2), urgerent, faſſus amicis periculum ſibi mortis proximæ imminere, lytro annuo ſordidam domum conduxit ad S. Caterinam, in eamque ſe abdidit, foribuſque probè oppeſſulatis, ibi ſolus ſine famulo, famulave cibariis & utenſilibus, quæ congeſſerat, & apparaverat, utebatur, vitamque inter contemplationes figurarum cœleſtium trahebat Anachoretarum more triſtem, calamitoſam, exercitam. Jam ibi latuerat menſes circiter ſex, exigebatque dominus locarium, cùmque pulſatis pluries foribus, nemo reſponderet, Prætorem adiit, ut eo auctore contumacis conductoris poſtes aperirentur. Has effringunt ſatellites, evolantque ad ſuperiorem ædium partem, atque ibi deprehendunt Valentini cadaver, in ipſo, in quo ſtudebat, Muſæo humi ſtratum, multis confoſſum vulneribus, ſqualidum, fœtidum, deformatum. Evocati ad ſpectaculum vicini lacrimantes tanti viri reliquias agnoſcunt. Facinus atrox, nefarium, execrandum ſuâ ætate fuiſſe memorabile Tomaſinus teſtatur tum per ſe (3), tum etiam ex eo, quod auctor latuit, eaque cædes inulta fuerit, quamvis adeſſet ſuſpicio. cauſam

criminis.

(1) Tomaſ. Elog. Tom. 1. p. 181. (2) idem ibid. p. 182. (3) ibid. p. 183.

criminis fuiſſe invidiam eorum, qui ſe ab illo multis partibus ſuperari videbant: quippe ejus literaria ſupellex avecta fuerat cum totâ pecuniâ, intactis reliquis. Sexagenarius obiiſſe dicitur, notaturque dies inventi cadaveris V. Nonas Martii an. MDXCIII. Scripſit

Commentarium in Alchabitium.
Aſtronomicarum inſtitutionum libros VI. ad Principem Stephanum Bathoreum.
In Ptolomæi Quadripartitum uberiores Commentarios. Hos extare in Bibliotheca Mantuanorum Ducum, ſcribit Maginus (1) atque ex his citat Comment. in c. 10. Apoteleſmatis 3. Ptolemæi.

CLIV. VINCENTIUS BRUNUS Ariminenſis Italus cùm Bononiæ Medicinæ operam dabat, excitus famâ Baſſiani Landi Patavium venit, atque hìc Artium inſignia retulit doctor, notaturque in actis curiæ (2) ad Medicorum collegium pertinentibus. Functus deinde eſt officio Medici in patria (3), & voti reus, quo ſe adoleſcens obſtrinxerat, pollicitus initurum ſe Ordinem Obſervantium Franciſcanorum, cùm ſecum ſuæ valetudinis rationem habuiſſet, exiſtimavit, huic fore opportunius, ſi priore voto ſolutus ad Societatem Jeſu ſe ſe reciperet: quo facto, in illo religioſiſſimo virtutum omnium ſeminario, cò tum ex doctrina, tum ex pietate opinionis evaſit ac nominis, ut etiamnum primis illis Ordinis tanti cultoribus comparetur. De ejus virtutibus eximiis Allegambe (4). Vixit annos LXIII. affecta ſemper ac phtiſi obnoxiâ ſalute, obiitque Romæ an. MDXCIV. Scripſit Italicè pia opuſcula, quæ aſcetis, & religioſis utriuſque ſexus hominibus maximi ſemper ſunt habita, vulgata typis pluries, latinè quoque reddita, & Gallicè. 1594

Partes III. de præcipuis Myſteriis vitæ & mortis D. N. I. C.
Meditationes in Septem præcipua Feſta Deiparæ Virginis.
Commune Sanctorum.
Meditationes in Evangelia Dominicalia.
Liber I. de Sacramento Pœnitentiæ cum examine ad exhomologeſim generalem.

CLV. FRANCISCUS PANIGAROLA Mediolanenſis non amplo vitæ curriculo ampliſſimam ex eloquentiâ gloriam conſecutus eſt. Mortalitatem auſpicatus an. MDLVIII. adhuc puer Natalem Comitem præceptorem habuit (5), & ex eo ſemina diſciplinarum excepit, quæ brevi in uberrimos fructus excrevere. Piſis Flaminium Nobilium Lucenſem, & Andream Cæſalpinum Philoſophica tractantes audivit, mox ad formam Logicam ſubactus in gymnaſio noſtro à Bernardino Tomitano ita ſe ſcientiis reliquis idoneum exhibuit, ut hìc quidem initia Juriſprudentiæ inierit, cujus à parentibus revocatus ſtadium peregit Ticini, & Bononiæ citra lauream (6). Nam huic proximus D. Franciſci ſe legibus obligavit inter Minores Cœnobitas. Ex horum præſcripto retractus Patavium, hìc Theologiæ inſtitutionibus excultus, hìc inſignibus redimitus eſt (7) adhuc juvenis: qua ætate cùm ſe ſacræ facundiæ dedidiſſet, diſciplinis reliquis, quibus erat inſtructus, valere juſſis, eam ſibi ex hac famam totâ, quà latè patet, Italiâ conciliavit, quam ante illum nemo, poſt illum pauci ſunt aſſecuti. Mira de hac prædicat Imperialis poſt Ghiſinum (8), apud hos Elogiographos magis, quàm hiſtoricos legenda. Nobis ad ferendum de concionibus Panigarolæ judicium hiſtoriæ conſentaneum, abundè eſt ex effato populari ætatis illius, quo de celeberrimis tunc Oratoribus ſacris, & ſynchronis hic efferebatur communis ſenſus, qui rarò fallitur: *Toletus docet*, *Lupus movet*, *Panigarola delectat*. Huic dicto ſi ſtes, quod ejus conciones confirmant, Panigarolæ ſacræ Orationis partes deteriores tribuendæ ſunt, quæ nimirum declamatorem potius umbratilem vel poetam decent, quàm Divini verbi præconem, cujus hoc unum officium eſt, ut auditores ſuos vel doceat, vel certè perſuadeat, eorumque animos ſuadendo docendove à vitiis revocet ac virtuti conciliet. Sed Panigarolam communis hic plauſus, ut notiſſimum Italiæ, ita vitis Magnatibus notum & carum fecit, præſertim Alfonſo Ferrariæ Duci, cujus officiis & benevolentiâ Sixti V. è cœnobio ad infulas Chryſopolitanas honorarias evectus, vices Epiſcopi Ferrarienſis obivit, uſque dum ex literis per notas & latebras characterum ſcriptis ad Card. Mediceum ſuſpectus Alfonſo, ab hoc pulſus Ferrariâ, in immenſos inopiæ fluctus, vix tandem impetrato Epiſcopatu Aſtenſis Eccleſiæ precibus humaniſſimis Caroli Sabaudiæ Ducis, ab extremis calamitatibus emerſit, pacatoque fato Aſtæ defunctus eſt an. MDXCIV. ætat. XLVII. Edita ſunt latinè hæc. 1594

Conciones variæ. Homiliæ à Dominica poſt Pentecoſten ad Adventum.
Rhetorica Eccleſiaſtica. Vita D. Petri Apoſtoli.
Modus componendi brevem & artificioſam Concionem.
Theſes ex Univerſa Theologia, quas defendit coram MDC. Patribus.

(1) lib. de legit. Aſtrolog. uſu. (2) ad An. 1555. (3) in ejus Vita.
(4) Biblioth. Societ. Jeſu. p. 442. (5) Imperial. Muſæi p. 105.
(6) Ghil. Theatr. Vol. 1. p. 60. (7) Act. Curiæ ad An. 1570. (8) ibid. p. 61.

Lectiones XVIII. contra Calvinum. Carmina varia.

Compendium I. Partis Annalium Baronii cum annotat.

Italicè.

Sermones in primum verbum Chriſti è Cruce pendentis.

Orationes II. de laudibus S. Caroli Borromai.

Conciones III. Pariſiis habita.

Expoſitio literalis Canticorum Salomonis.

Conciones in Quadrageſima Roma habita.

Explanatio ad literam Lamentationum Hieremia ac Pſalterii.

Anecdocta plura alia recenſet Ghilinus, quorum aliqua vidimus edita, eandemque cum editis ingerunt ubique ſpeciem, ex qua cenſeas, valuiſſe hominem ingenio verſatili, præcoci, celeri, vario, quod tamen neque acuminę viguerit, neque judicio fuerit temperatum.

1595 CLVI. VALENTEM ACIDALIUM diſcipulis annumerat ſuis Antonius Riccobonus (1), cùm illum producit adversùs Jo. Marium Mazzium Brixianum, ejuſque ſententiam quaſi Critici jam tum nominis non contemnendi ad id explicat, ut libros ad Herennium non Ciceronis, ſed Cornificii eſſe probet. In albis Germanicis inter ſtudioſos artium ac Medicinę ſignatur an. MDLXXXVI. & duobus ſequentibus. Natus eſt Wiſtochii in Marchia Brandeburgicâ ad amnem Dorſam. Adoleſcens eruditionis exoticę cupidus in Italiam venit, atque Patavii verſatus, dum addiſcendę Medicinę operam navat, doctiſſimis viris familiariſſimus, & Riccoboni ad eloquentiam, & Criticem ſtudioſus, brevi ſe ſe imbuit iis literaturę cultioris coloribus, quibus claruit redux in patriam. Calvinianam hęreſim, quam fuerat profeſſus à puero, ejuravit Patavii, ut colligitur ex ejus Epiſtola ad Antonium Poſſevinum, à quo ſe manuductum ad tantum bonum teſtatur. Percurrit deinde luſtravitque Germaniam, magnique Medici & Critici ſibi nomen ubique comparavit (2). Demum venit Uratiſlaviam, quę metropolis Sileſię eſt, undè Niſſam in urbem ejuſdem provincię accitus, ut ejus gymnaſio pręeſſet, ibi dum noctes ac dies indefeſſo labore in corrigendis Plauti comędiis operam ponit, concepto morbo, intra juventutem occubuit nondum tricenarius an. MDXCV. De ejus obitu alia narrat Georgius Konigius (3), quæ profitetur à ſe lecta in exemplari Poematum Acidalii calamo Barthii adjecta. Refert eum, quòd Uratiſlavię diu moratus compendii nihil ſibi parare potuiſſet, ad Papiſtarum caſtra confugiſſe. Evocatum Niſſam, vix munere Rectoris functum per menſes quatuor, ibi dum ſacram Euchariſtiam in pio ac religioſo comitatu proſequeretur, repentino furore correptum vim ſibi, impactis vulneribus, intuliſſe. Hoc inter Calviniana miracula ſcribat Konigius. Acidalius, ut diximus, Patavii Calvinianam hereſim ejuravit. Uratiſlavię non diu vixit, qui redux in Germaniam Gentis Academias luſtravit: ultra biennium Niſſę Rector gymnaſticus fuit, ut ex epiſtolis ejus apertum eſt: Barthius in editis Adverſariis, cùm ex propoſito ſcribat de Acidalio, nihil de his; Thuanus apud Teiſſerum obiiſſe eum dicit morbo ex aſſiduitate ſtudiorum contracto. Edita ſunt ejus opera.

Notę in Q. Curtium, atque hę prę omnibus ſcriptis ejus laudantur.

Notę in Tacitum. Conjectanea in XII. Panegyricos Veteres

Plautinarum Divinationum & interpretationum libri XX.

Epiſtolę, Orationes, Poemata.

1595 CLVII. Ut LÆVINUS TORRENTIUS, vel TORRENTINUS Belga, Gandavenſis primas literas Lovanio debeat (4), & Philoſophiam, Juriſprudentiam verò, ex qua non minimùm claruit, Bononię, Eloquentiam, hiſtoriarum notitiam, & Muſarum delicias debet Patavio, ubi congeſſit hęc omnia in cenſum ſui nominis, ex quo etiamnum gloria ejus apud poſteros perennat. Conſtat enim eum diſcipulum fuiſſe Bonamici, & Robortelli docentium Patavii (5), atque hinc ſępe Venetias commeaſſe, feriaſque ſcholaſticas exegiſſe, ut hiſtoriarum pręcepta, & floridam eruditionem ex ore Sigonii tunc Venetiis docentis hauriret. His mercibus ſapientię dives redux in patriam, ſtatim ita literatorum hominum ſtudioſiſſimi Everardi Marciani Cardinalis Leodienſis animum ſibi conciliavit, ut recepto in familiam ſacerdotium contulerit maximi pretii, & ampliſſimi reditûs. Functus deinde legationibus variis, ex quibus toti Belgio, atque pręcipuè aulę Belgio pręfectę probatus ad Antuerpienſes infulas evectus eſt poſt Franciſcum Sonnium primum ejus urbis Epiſcopum à recepta armis invicti Farneſii Antuerpia. Summe dilexit Societatem Jeſu, cui Lovanienſe collegium extruxit, bibliothecam ſuam legavit cum nu- miſ-

(1) Epiſt. de libr. ad Herenniam, adverſ. Mazzium, ad Jo. Craton.
(2) Biblioth. Vetus & Nova. Elog. Thuan. apud Teiſſer. Tom. 2. p. 292.
(3) apud Teiſſer. in addit. ad Thuan. ibid. (4) Thuan. Elog. apud Teiſſer. Tom. 2. p. 280. Ghil. V. 2. p. 175.
(5) Torren. Præfat. ad lib. de Part. Virg.

miſmatibus, & inſtrumentis pretioſis. Claruit in omni ſcientiarum genere. ſed preſertim ex Poeſi clariſſimus fuit; & ſi recipis Antonii Sanderi (1), Ludovici Guicciardini (2), & Juſti Lipſii cenſuram (3), princeps lyricorum poſt Horatium. Ejus Poemara ſacra Poſſevinus maximi facit (4), ac judicio Joſephi Scaligeri (5), Torrentius ex virtute, doctrina, & notis in Svetonium vir fuit ſuâ famâ & fortunâ dignus. Deſignatus Melchinienſis Archiepiſcopus obiit Bruxellis ſeptuagenario major an. MDXCV. Ejus corpus delatum Antuerpiam conditum eſt in templo principe cum hac epigraphe, in qua ipſe loquitur.

Lævinus Torrentius
Patria Gandavenſis.
literis & legationibus domi foriſque
Spectatus.
Ex Archidiacono & Leodienſis Principis Vicario
Generali II. Antuerpienſium Epiſcopus
III. Melchinienſium Archiepiſcopus deſignatus
Collegii Soc. Jeſu apud Lovanienſes Fundator
Ad rerum Status Belgii Conſilium adſcitus, dum præcipitantem,
Rempubl. fractus viribus animo infracto ſuſtento,
Bruxellis deceſſi VI. Kal. Majas
MDXCV.
Vixi Ann. LXX. M. I. D. XVIII.

Opera edita.

De Partu Virginis libri III. Verſu lyrico.
Vita S. Pauli libri II.
De Cruento Dei Sacrificio libri V.
De Bello Turcico, & Victoria navali apud Naupactum.
Odarum ad Amicos libri II.
Comment. in Horatium.
Commentariolus ad l. Juliam & Papiam de Matrim. Ordinandis.
De Obſidione Lovanienſi, Elegia.
De Natali Chriſti, Elegia.
Votum Virgini Mariæ Lauretanæ, Hymni.
Apologia pro Joanne Goropio Becano Adverſùs Joſephum Scaligerum.
Vertit aliqua Chryſoſtomi ex Ghilino.

C A P U T XXXV.

Conſtantius Buccafocus Sarnano Cardinalis. Julius Camillus Delminius. Bernardinus Baldus. Aldus Manucius Junior. Franciſcus Patricius.

CLVIII. FR. CONSTANTIUS BUCCAFOCUS Cardinalis (6) ex oppido Piceni Sarnano, 1565
unde cognomen ſibi fecit, ex quo unicè notus eſt, honeſtis parentibus natus vix decennis cœpit D. Franciſci inter cœnobitas Minores inſtituta profiteri: miſſuſque jam adoleſcens Firmum, deinde Maceratam ita ſeverioribus diſciplinis capacem animum excoluit, ut majoribus gymnaſiis idoneus viſus ſit, & collegio Patavino dignus. Hìc ergo Theologiæ ſtuduit, vixitque diu ex legibus gymnaſii noſtri, ejus Alumnus. Hanc porro docuit privatim apud ſuos Bononiæ, atque inter ſpectabiles ſuâ ætate Theologos locum habuit. Eandem ſcientiam ſuos docuiſſe Patavii, conſtans opinio multorum eſt, quorum aliqui tradunt, functum eum hìc eo munere tantâ cum doctrinæ famâ, ut ad exedram Theologicam ex mente Scoti à Senatu Veneto fuerit provectus. Nullum habeo rei hujus legitimum teſtimonium ex monumentis gymnaſticis, & fortè invitatus ſe ſe excuſaverit: nam addunt vix eum bis terve in ſedem publicam aſcendiſſe, quippe conjuratione contubernalium ſociorum ita vexatus eſt, iiſque criminationibus falsò apud literarios Triumviros reus factus, ut ſatiùs duxerit Patavio diſcedere, ſeque privatim victurum in patrium Picenum abdere, quàm tot inter moleſtias atque calumnias publicè lucis uſurâ frui. Jam navigaturus Lauretum à Felice Cardinali Montalto, quocum illi priſca conſuetudo fuerat, Romam ire juſſus, (7) ibi

(1) lid. 2. de Gandavis &c. (2) in Deſcrip. Flandriæ. (3) Elector. lib. 2. c. 17.
(4) in Apparatu. (5) in Scaligeriana. (6) Salom. in collect. ad Gymn. Pat.
(7) Oldoin. Tom. 4. p. 166.

Digitized by Google

ibi tum ſuos in cœnobio SS. Apoſtolorum, tum alios in lycæo Romano publicè inſtituit. Felici Montalto jam Principi Sixto V. familiariſſimus fuit, nec tam ob doctrinam, quàm ob animi candorem cariſſimus. Is illum nil tale cogitantem ſperantemve repentè Cardinalem dixit, unàque Vercellenſem Epiſcopum an. MDLXXXVII. Biennio eam Eccleſiam tenuit, mox antiquæ memor & cupidiſſimus quietis miſſionem obtinuit, recepitque ſe in cœnobium Apoſtolorum, undè ad Purpuram exierat. Ibi ſcripſit *in Magiſtrum Sententiarum è Sententia Scoti Commentaria* præliaribus Diſceptationibus perutilia, quorum pars edita eſt. Item *in Prolegomena Porphyrii. Aureolum cum Capreolo conciliatum. Amplificationem Lecturæ, & ad lucem reſtitutionem Fr. Joannis Valloni ſuper formalitate Scoti, Franciſci Mayronis Opera notis illuſtrata. Tartarei & Antonii Andreæ Commentaria in libros Sententiarum additionibus aucta. Summam Theologicam. Librum de ſecundis intentionibus. Additiones in Commentaria Jo. Antonii Delphini in Evangelium Joannis. Comment. in Epiſt. ad Hebræos. Additamenta in formalitates Antonii Sirecti. Tractatum de Syllogiſmo conficiendo. Directorium Theologicum. Librum I. locorum communium Theologicorum*. Obiit Romæ ann. MDXCV. Sepultus eſt ad D. Petri in Monte Aureo: *Vir*, inquit Ughellus (1), *bonæ mentis, & in ſcholaſtico pulvere exercitatiſſimus, ſed ſimplex adeo, ut dignus plerunque viſus ſit, qui riſu circumſtantium exciperetur*.

CLIX. Circa annum MDXCV. notatum in margine obiiſſe Venetiis creditur annis
1595 aliquot nonagenario major JULIUS CAMILLUS DELMINIUS (2). Is hoc agnomen habet à Delminio urbe Dalmatica, nunc Dumno, unde erat oriundus, licet in Carniâ natus (3). Venetiis latinè loqui didicit, linguam Etruſcam (4) à puero excoluit apud Mercatorem Florentinum, cui pater ejus proxenetæ ſeu licitatoris operam obligaverat. Hujus ſumptibus Patavium miſſus Lazari Bonamici in adoleſcentiâ fuit ſedulus auditor, notaturque in catalogo præceptoris, qui cariſſimum ac ſtudioſiſſimum adoleſcentem eum appellat (5), cui fauſto vaticinio bona omnia comprecatur. Patavii quoque ſeverioribus diſciplinis vacaverit; quamobrem ut Philoſophus nominatur in monumentis gymnaſticis, & in aula quæſtoria (6). Ex hac ſcientia clarus in prima Juventute Logicam docuit in Bononienſi gymnaſio. Sed clarior ex cultiore literaturâ, hanc tricis Philoſophicis prætulit, quam variâ rerum diverſarum eruditione inſtruxit, atque ita ſpectabilem reddidit, ut ex ea notus Franciſco I. Gallorum Regi, accitus in aulam, ibi ad obitum uſque Regis annum ſcilicet MDXLVII. vixerit, auctuſque ſit beneficiis ac muneribus citra Aulicorum invidiam, quibus fuiſſe cariſſimus dicitur ex modeſtiâ, lepore, ac ingenuâ morum liberalium elegantiâ. Scribit Ghilinus (7) rem planè miram illi contigiſſe Pariſiis. Nam cum fortè adeſſet ſpectaculo immanium ferarum in theatro pugnantium, leo fractis repagulis, in orcheſtram aſcendit, ac fugientibus omnibus paulatim ad ſupremos theatri gradus pervenit, ubi unus, dilapſo populo, reliquus erat Delminius, ſtabatque exmens ad periculi, imò certè mortis adſpectum. In hunc bellua pedibus prioribus inſiluit prorſus innoxia, permulſit ſemianimum, ejuſque faciem linxit, denique ad ejus pedes procubuit, horrentibus omnibus, qui in tuto erant, ac miraculo rei reipſa mirabilis adſtupentibus. Redux poſt obitum Regis in Italiam Delminius (8), ac dives collocatâ ad fructum pecuniâ, vixit lautè Venetiis, ibique conſenuit. Scripſit multa, quæ typi vulgarunt, latinè quidem *Proſas* elegantiſſimas argumenti varii, ex quibus Philologus inſignis jure cenſeri poteſt; ſed major illi fama fuit ex Italicis, ex quibus meo ſanè judicio ut maximi fiat, non ultra Grammaticum aſſurgit. Hæc ſunt.

Idea Theatri. Diſſertatio de Theatro. Topica ſive de elocutione Tractatus duo, alter de eloquentia, alter de Imitatione.

Grammatica. De Verbis ſimplicibus. De Ideis Hermogenis.

Explanatio in I. & II. Tetraſtichon Petrarchæ.

Epiſtola de converſione hominis ad Deum.

Orationes duæ. Rhythmi. Epiſtolæ plures, & Opuſcula quædam moralia.

1597 CLX. ALDUM MANUCIUM (9) Juniorem Aldi Senioris nepotem, Pauli filium, Venetiis natum ad annum uſque duodevigeſimum pater literis humanioribus imbuit. Miſit deinde Patavium (10), ut à clariſſimis Profeſſoribus, queis tunc maximè gymnaſium noſtrum florebat, plenioris eruditionis arcana pervaderet; pervaſitque ille gnaviter adeo,

ut

(1) Tom. 4. p. 814. n. 93. (2) Michael Juſt. de Vir. illuſt. (3) Ghilin. Vol. 1. Theatr. p. 130.
[4] Michael. Juſtin. ibid. (5) Epiſt. 8. in calce (6) apud Salom. in Miſcell.
(7) ibid. (8) Michael. Juſtin. ibid. (9) Ghilin. Theatr. Vol. 1. p. 5.
(10) Robort. Ep. 14. Salom. ex matric. in collect. Riccob. ep. 7.

ut avo major, Patre non minor, Romam accitus, patre ipſo major apparuerit, habituſque ſit. Patrem ſecutus Venetias, ibi adſcitus, in ordinem Secretariorum, ita eo munere functus eſt, ut unà Venetæ ſcholæ præeſſet, donec patri vita ſuperfuit. Mortuo patre, invitatus à Bononienſibus, ad illos venit, docuitque Bononiæ Rhetoricam, quam deinde profeſſus eſt Piſis, undè, quòd ſe graviore regionis aere lædi crederet, Romam ſub Sixto V. ſarçinulas tranſtulit, pauper adeo ac planè inops, ſi qua fides Nicio Erythræo (1), ut hoſpes Vaticanarum ædium habitationem & victum emendicaverit; coactus coronatos quinque & viginti mutuò quærere, quorum pretio bibliothecam ſuam, quam depoſuerat Veronæ, Romam deferendam curaret. Teſtatur ipſe (2) uſque adeo re penitùs labefactata vixiſſe ſe, ut ne mutuo quidem hujuſmodi facere ſatis unquam potuerit. Quamobrem bibliothecam illam, quam ſenior Aldus paraverat, Paulus auxerat, quamque octoginta millibus voluminum conſtitiſſe ferunt, vendidit & obligurivit, ſive occultis ganeis pecuniam impendebat, ſive pretio ſibi ſpes comparabat in aula ſuâ fortunâ majores. Nam ut Romam acceſſit, repudiaſſe uxorem dicitur, quò faciliùs Eccleſiaſticis dignitatibus inhiaret: vix tamen humaniorum literarum exedram tandem conſecutus eſt, quæ illi dumtaxat ad alimenta profuit, & vitam non planè commodè tolerandam. Nam quod attinet ad gloriam, tam infeliciter è ſuggeſtu bonas artes profeſſus eſt, ut auditorem nullum invenerit; ac plerunque horam ſuis prælectionibus conſtitutam pro foribus ſcholæ deambulans Peripateticus ſolitarius tranſigeret. Deceſſit Romæ ſexagenarius an. MDXCVII. (3) Scripta ejus latinè & Italicè edita hæc laudantur.

Latina.

Comment. in libr. Ciceronis de Rhetorica, Philoſophia, Officiis, ſenectute, Paradoxis, & Sommo Scipionis.

M. T. Cicero Comment. illuſtratus, & antiqua lectioni reſtitutus.

Emendationes & Notæ in Cenſorinum de die Natali, & in Velleium Paterculum.

Oratio de laudibus Franciſci Medicei.

Scholia in Saluſtium. Notæ in Eutropium, & in Comment. Cæſaris. Opus egregium, ex quo tamen plagiatius aſſeritur à Tomaſio (4).

Comment. in lib. Horatii de Arte poetica, & in Epodon.

De Orthographia, de notis Veterum, & interpungendi ratione.

De Veteri Kalendario Romano. De conſcribendis Epiſtolis.

De Quæſitis per Epiſtolam libri III. & Oratio habita in Academia Bononienſi ad Sixtum V.

Italica.

Vita Coſmi Medices M. Ducis Etruriæ I.

De Geſtis Caſtrucii Caſtracani.

Diſſertatio de præſtantia Rerumpublicarum.

Diſſertationes Politicæ XXX. ad Titum Livium.

Elocutiones ex Epiſtolis Ciceronis & ex Terentio.

Elegantiæ cumcopia linguæ Latinæ & Etruſcæ.

De Vetuſtis Romanorum Inſcriptionibus.

Epiſtolæ familiares Ciceronis italicè reddita.

Epiſtolæ Italicæ, quas nitidiſſimas pleriſque cenſent (5), & maximi æſtimant.

CLXI. BERNARDINUS BALDUS nobilis Urbinas, Ducum Urbinatium Aulicus, 1597
Abbas Guaſtallæ, aliiſque dignitatibus ſacris conſpicuus, longè clarior fuit circa finem ſæculi XVI. optimarum artium & ſcientiarum gloriâ, quarum initia Piſis, inſtitutionem pleniſſimam ſibi comparavit, alumnus Patavini gymnaſii, ut notat Ghilinus *(6)* & conſtat ex albis quæſtoriis (7). Cùm ex eloquentia & Poeſi fuerit à viris eruditiſſimis habitus maximi, eorumque familiaritate, & literaria conſuetudine nomen & famam ſibi ſingularem conciliarit, ex Mathematicis tamen præſertim laudatur, & linguarum notitia. Harum duodecim in cenſu habuiſſe dicitur ab Epitaphio cineribus ejus impoſito, nempe præter Italicam Etruſcam, communem, & patriam, Hebrææ, Latinæ, Græcæ, Chaldææ, Arabicæ, Hiſpanæ, Gallæ & Illyricæ. Vixit in aulis Principum ob hæc acceptus, omnibus carus, probatuſque. Nam & Ferdinando Gonzagæ Sablonetæ Duci Vitruvii loca difficiliora doctor aulicus explicavit, & Ferrando Mantuæ Principi fuit inter Miniſtros domeſticos familiariſſimus. Cynthium verò Cardinalem Aldobrandinum in extruendis ſumptu regio ædificiis comes domeſticus opere & conſilio juvit. Apud dominos autem ſuos Urbinates Duces conſenuit, ac deceſſit Urbini an. MDXCVII. ætatis LXV. conditus ad D. Franciſci cum hac epigraphe.

D. O. M.
Bernardino Baldo Urbinati
Guaſtallæ Abbati
XII. linguarum peritia

(1) in Pinacotheca. 1. (2) Epiſt. ad Silvium Antonianum. (3) Thuan. Elog. apud Teiſſ. Tom. 2. p. 337. (4) libr. de Plagiar. (5) Ghil. ibid. (6) Theatr. Vol. 2. p. 43. (7) ad An. 1557.

Encyclopædia, & Euthymia
Inſignito,
Principibus quos coluit,
Orbi quem deſcripſit
æquè caro & claro
Ingenii Monumentis XLVIII. relictis
Ætatis ſuæ Anno LXV.
Heu ſublato
Ex fratre Nepotes, & corde Amicus
P. P.

Hæc, quorum pleraque edita ſunt ab eo, Italicè ſcripta notantur.

Oratio ad Romanos Ædiles pro priſcis Ædificiis ſervandis.

Ad Senatum Venetum in Ducis M. Ant. Memi Inaugurat.

De laudibus & antiquitate Urbini.

Laurus, ſeu Rhythmi Italici. Nautica Poema ad imitationem Georgicon, *Ecloga Miſta & Rhythmi Romani.*

Fabula Leandri & Muſei.

Dialogus de Dignitate & alius de felicitate Principis Arcitenens.

Apologi C. Deiphebe, ſeu de Oraculis Sibyllæ Cumæa.

Monodia qua Rom. Hiſtoriam complectitur ex imitatione Caſsandræ Lycophtonis.

Corona Anni, & Sententiæ Morales cum Carminibus latinis.

Encomia Tropologica in Evangelium Matthæi.

Paralipomena Q. Calabri verſibus Rhythmo ſolutis propoſita.

Vita Mathematicorum & Elogia à Thalete Mileſio ad Commandinum.

Vita Friderici Feltrii Roborei, & Guidi Feltrii Ducum Urbini.

Quæſtiones Mathematicæ cum Paradoxis, & Dictionarium ad Vitruvium.

Explicatio loci Vitruviani de Scamillis imparibus.

Nova Gnomonica libri III. de conficiendis Horologiis Solaribus.

Tractatus de Firmamento & aquis in Geneſim.

Vertit. *Heronem de Automatis cum Prologo & Annotationibus.*

Eundem de Baliſtis & Catapultis.

Paraphraſim Onchali in Pentateuchum cum Comment.

Paraphraſim latinam ex Hebræo Job cum Annotationibus.

Phænomena Arati.

Hortum Geographicum ex Arabico.

1597 CLXII. FRANCISCUS PATRICIUS familiâ, ut ferebatur, Senis oriundâ, natus eſt in arce Clitia (1), quæ olim Jopſica ſeu Lopſica, ſeu Salo, nunc Cliſsa dicitur, Caſtrum non Iſtriæ, ut ſcribit Thuanus, ſed Liburniæ, vultu turpis (2), deformis in corpore parvo & exili, pulcrum ac magnum geſſit ingenium. Muſis & eloquentiæ primùm, tum verò Philoſophiæ operam navavit Patavii adſcriptus albo Dalmatarum, quorum Conſiliarius notatur his (3). Eodem tempore Lazarum Bonamicum Baſſanenſem audivit (4), ſimul meditationibus Philoſophicis à Marco Antonio Genua imbutus eſt (5). Harum ſcientiarum depoſito tyrocinio, diu verſatus Venetiis, edidit diſcuſſiones Philoſophicas, quibus primus omnium recentiorum poſt Teleſium in doctrinam Ariſtotelis inſurgere, atque eorum ſemina proferre cœpit (6), ex quibus Gaſsendus, & Carteſius ſcholam Peripateticam necquicquam convellere conati ſunt. Et primò quidem hæc novitas ingentem plauſum per Italiam ſibi conciliavit; deindè cùm plerique religioſiùs ejus dogmata conſideraſsent, & ad rationum trutinam revocaſsent, magnam Patricius ſibi inde fecit invidiam, innumeroſque hoſtes ac validiſſimos excitavit. Re enim ipſa, ut annotat Auctor Bibliographiæ curioſæ editæ Gratianopoli an. MDCLXVII., confirmabatque Naudæus (7), futilibus argumentis enervare nititur Ariſtotelem. Ergo Venetiis diſcedens Ferrariam venit, qua in urbe adverſariorum agmen in eum impetum fecit (8), cui cùm religio auctoritatem adjeciſset, doctrina ejus gravi cenſura notata eſt, quam ipſe ante obitum comprobavit, ſe erraſse profeſsus. Sed interim Ariſtotelis hoſtis adhæſit Platoni, cujus propalam ſententias docuit per annos circiter ſexdecim; rixiſque ac jurgiis literariis non contemnendis calamum fatigavit,

(1) Thuan. Elog. apud Teiſſer. Tom. 2. p. 339. (2) Erythr. Pinacoth. 1. (3) An. 1552. 1554.
(4) Præfat. in Decad. Poet. (5) Præfat. in Philopon. (6) Laur. Craſſ. in Elog.
(7) in Biblio. Politic. (8) Thuan. ibid.

ſatigavit, palam quidem cum Mazzonio pugnans (1), clam cum Torquato Taſſo (2), in cujus Hieruſalem ſeverè ac dicaciter inſurrexit: ſcripſitque alia multa, ex quibus doctiſſimus habitus gratiam Alfonſi II. Ferrariæ Ducis, amorem Hippolyti Cardinalis Aldobrandini promeruit. Hic ad Pontificatum evectus Clemens VIII. Patricium Romam accitum, & pingui penſione donatum apud ſe voluit (3). In eo otio edendis opuſculis ſuis, quod vitæ ſuperfuit, impendit, ac Romæ deceſſit an. MDXCVIII. ætatis LXVII. Ejus hæc publici Juris ſunt. Latina.

Diſcuſſiones Peripatetica. Philoſophia nova.
Commentarius Græcus Philoponi in Metaphyſica Ariſtotelis verſus.
Mercurii Triſmegiſti Opera in unum corpus collecta.

Italicè.

Decas Poetices diſputata. Decas Hiſtorica.
Dialogi de Arte hiſtorica, Rhetorica, Geometrica.
Paralela Militaria maximi facta à Joſepho Scaligero (4), qui conſtanter aſſerit, ab uno difficultates omnes de Romana Militia optimè fuiſſe tractatas; imò eos, qui de eâdem re aliquid conſcripſere, ab hoc Patricii opere non nominato ea decerpſiſſe, & excerpſiſſe, ex quibus ſuperbiunt. Sugillat autem his Lipſium.
Militia Romana ex Polybio, Livio & Dionyſio Halicarnaſſeo explicata cum Iconibus variis.
Reſponſio ad Objecta Mazzonii.
Apologia ad centum Accuſationes Mazzonii.
Sententia Patricii pro Areoſto.

Sunt qui Patricio noſtro tribuunt Tractatum de Republica, de regno, & regis inſtitutione. Item expoſitionem Oraculorum Leonis Imperatoris. Sed notat opportunè Teiſſerus duos alios nominis ejuſdem Patricios agnoſcendos eſſe, alterum Senenſem, cui tribuenda ſunt opera duo priora, alterum Illyricum, non Dalmatam, cujus eſt opus tertium.

CAPUT XXXVI.

Joachimus Camerarius. Anſelmus Boethius Boodt. Annibal Codretus. Jacobus Mazzonius. Jo. Marius Mazzius.

CLXIII. JOACHIMUS CAMERARIUS nobiliſſima gente Norimbergæ Majoribus 1598
clariſſimis progenitus, non Alumnus dumtaxat gymnaſii noſtri particulam juventutis ſuæ, verùm etiam incola diuturnior annos aliquot devexæ in ſenium ætatis dedit (5). Pater ejuſdem nominis Medicus & Lipſienſis profeſſor, Aſtrologiæ peritus, cum filio erexiſſet horoſcopum, titulum illi præfixit, [illegible] & [illegible]. A prima ætate Lutheranus fuit, & ad Sapientiam clarorum in Germania præceptorum manu ductus eſt, ac præſertim Philippi Melanchtonis, cui cariſſimus extitit. Adoleſcens ad Medicinam animum appulit VVittembergæ, mox Uratislaviæ ſub Jo. Cratone patris amico, quem deinceps auſpicem ſuorum in arte Medica ſtudiorum appellare ſolebat. Inde Patavium venit, ubi non uno ſolùm anno, ut ſcribit Adamus, & ex eo tradunt alii (6), ſed ad minus triennio, ut ex monumentis quæſtoriis clarum eſt (7), audivit Falopium, Capivacium, Trincavellum, & Aquapendentem, quos certè uno anno audire non potuit, quippe diverſo tempore profiteri publicè aggreſſos. Secundùm hæc Patavio Bononiam profectus, ut Ulyſſem Aldovrandum audiret, inde poſt menſes aliquot laureatus doctor in patriam rediit an. MDLXII. Ibi facultatem exercere feliciter Medicam cœpit tantâ deinceps cum gloriâ, ut ab omnibus expetitus ægrotis & omnibus ſatisfaceret, & in iiſdem curandis ſummam diligentiam adhiberet. Fertur enim in medicamentorum præparatione ſollicitus adeò fuiſſe, ut plerunque illa priùs ipſe deguſtaret, quàm ægroto propinarentur. Quamobrem in ſenectute attraxiſſe ſibi magnam virium imbecillitatem animadvertit. Quamvis Chymicus, in praxi tamen, cujus experimentum, præterquamquod fallax, periculoſum eſt, cautè Chymicis & raròuteretur. Norimbergæ primus Medicorum collegium inſtituit, & Senatûs auctoritate confirmavit. In pertractandis excutiendiſque & igne probandis medicinis ex artis Chymicæ dictatis ſumptus non exiguos fecit; magniſque impenſis hortum botanicum extra urbem plantis exoticis refertum excoluit; & ob eam cauſam perpetuum literarum, ac familiaritatis commer-

(1) Apologia adverſ. Mazzon. (2) Sent. Patric. pro Areoſto. (3) Thuan. ibid. (4) Epiſt. lib 2. Ep. 219.
(5) Melchior Adam. Vit. Medic. (6) Freher. Tom. 2. P. 3. p. 1300. (7) Ad An. 1559. & duob. ſeqq.

commercium habuit cum præſtantiſſimis ea tempeſtate Botanicis. Decennio antè obitum Patavium iterum rediit an. MDLXXXVIII. ſpecie quidem inviſendi filium, & nepotem hic ſtudentes, reverâ ut altrice ſtudiorum ſuorum urbe iterum frueretur, viroſque doctiſſimos propiùs agnoſceret. Hoſpes fuit Jacobi Contareni Veneti Senatoris ampliſſimi, mox & Vincentii Pinelli Patavinæ urbis & Academiæ inquilini clariſſimi. Summâ cum voluntate botanicum hortum inſpexit (1), præfectiſque horto Melchiori Guillandino, & Jacobo Antonio Cortuſo ipſe admodum profuit conſilio: illi hunc novis in re herbaria cognitionibus inſtruxere. Integro quadriennio Patavii pacatiſſimè vixit: undè evocatus in Miſniam, cùm aliquandiu ibi apud Septemvirum Auguſtum moras non libenter traxiſſet, tandem impetratâ veniâ redeundi domum, ex itinere morbum contraxit: toto triennio cum depugnaſſet adversùs multiplices corporis ægritudines, prona & præcipiti alvo ſolutis viribus vivere deſiit V. Idus Octobris anno MDXCVIII. ætatis LXIV. Plura de eo extra propoſitum noſtrum leges apud relatum Adamum & alios. Edita ſunt.

Γεωργικὰ ἐκλεκτά. *Opuſcula de Re ruſtica*: ubi Catalogus rei Botanicæ & Ruſticæ Scriptorum Veterum & recentiorum.

Hortus Medicus. Ubi ſtirpium breves deſcriptiones, novæ Icones eum exploſſis remediis afferuntur.

Epitome de Plantis P. Andreæ Matthioli novis Iconibus & deſcriptionibus aucta.

Symbolorum & Emblematum Centuriæ tres.

Comment. de Peſte, cui ſcripta Donzelini, Ingraſſiæ, & Rincii inſeruit.

Epiſtola Medica.

CLXIV. ANSELMUS BOETHIUS DE BOODT Brugenſis Belga Patavii Medicinæ
1599 tyrocinium poſuit, eoque depoſito, inſulis artis ac lauro coronatus hinc abiit in Bohemiam, ut ipſe refert in hiſtoria Gemmarum ac lapidum (2), ubi agens de natura, proprietatibus & facultatibus lapidis Turcoidis, mira quædam ſibi in itinere contigiſſe narrat, quæ Turcoidi, quam in anulo geſtabat, anceps ac dubius ſuſpenſo calamo tribuit. Fuit Medicus Rodulfi II. Cæſaris, atque adeo Archiatrus aulæ Cæſareæ, floruitque circa finem ſæculi XVI. Nam emortualem ejus annum, ætatemque nulla nos aliundè documenta Scriptorum docent. Edidit eruditiſſimum librum, inſcripſitque hoc titulo.

Hiſtoria Gemmarum ac lapidum, undè nobis eſt notus.

CLXV. Auctore Allegambe (3), ANNIBAL CODRETUS Allobrox Gebennæ na-
1599 tus Patavii navabat operam ſtudioſus juvenis arti Medicinæ, cùm ſacrarum Exercitationum meditationibus propoſitis à Hieronymo Domeneco feliciter irretitus, Chriſto Jeſu dedit nomen in ejus Societate, in qua Grammaticam, & cæteras humaniores literas multis in gymnaſiis docuit ſummo cum plauſu ac diſcipulorum frequentia. Subinde ſecutus Lainium Generalem Præpoſitum in Galliâ fuit, Turnonioque collegio, & Academiæ præfuit. Primus Lugdunenſis collegii Rector fuit, præfectuſque Aquitanię Provinciæ, multum laboris atque operæ poſuit in tuenda orthodoxa religione, impugnandiſque, & expugnandis hæreticis, quorum interneciنas inſidias eluctatus, devexâ jam ætate Avenionem ſeceſſit, ibique moleſtiſſimâ ſtranguriâ diu patientiſſimè toleratâ, piè deceſſit XIII. Kal. Octobris an. MDIC. Vir fuit peritiſſimus trium linguarum Hebraicę, Latinę, & Gręcę. Scripſit & edidit *Inſtitutiones Grammaticas*, ſeu brevia Grœco-Latina rudimenta, ex quibus multa deſumpſit Alvarus, & amplificata utiliora fecit Latinis. Ea ſi legiſſet, & lecta intelligere potuiſset pingui & putidâ Minervâ Pędagogus infelix Bagnarius, non iis ſe ineptiis obligaſset, quas Anonymus, at naris emunctę Scriptor, feliciter infamavit.

CLXVI. JACOBUM MAZZONIUM ingenii divinitate priſcos Gręcos, & Arabas
1599 Sapientes ęquaſse, Latinos omnes acumine provocaſse, ſcribit Imperialis (4) turgidus, & hyperbolicus Cenſor nominum, quorum texit Elogia. At ſatis erit, ſi dicas Mazzonium rarę ac prorſus eximię fuiſse memorię, experrectę ac pręfervidę mentis, acutiſſimi ingenii atque eruditionis, omnes undequaque ſcientias operosè & eleganter complexę, qui Scriptores antiquos percurrerit, Philoſophis perpendendis atque invicem committendis inſudaverit, Sacra & Theologica delibaverit, quidquid intra Polyhiſtoris nomenclationem ſignificatione complectimur, in cenſu habuerit & in promptu: quę omnia in unum congeſta, ut intra fines ditiſſimę ac ſingularis eruditionis Mazzonium fuiſse conſtituunt, ita illum neque priſcis Sapientibus ęquant, neque cum Latinis Scriptoribus illis committunt, quorum ex re ſuâ gloria eſt; ſed in ordine Philologorum pręcipuum dicunt, qui tantum ſciret, quantum reminiſceretur, qui reminiſceretur quantum

(1) Tomaſ. in Chronotaxi ad An. 1588. (2) lib. 2. c. 116. (3) Biblio. S. J. p. 33. (4) Muſæi p. 237.

quantum legiſſet, qui legiſſet quidquid ubique ſcriptum repererat, ut ex Leonardo Salviato (1) refert idem Imperialis (2). Natus in Foro Livii urbe Galliæ Togatæ ad viam Æmiliam clarâ, ſtuduit Patavii ad annum ætatis XXVII. ac tam rapido curſu non molliores dumtaxat literas, ſed & ſeveriores ſcientias pervagatus eſt doctoribus Pendaſio & Mercenario, ut adhuc diſcipulus & Pendaſium, cui peculiariùs præ Mercenario adhæſerat, de ſcripto adversùs Mercenarium defenderit, & Venetiis cum Critonio Scoto eâ ætate, ſi vera tradit idem Imperialis (3), ingeniorum phœnice aliquando congreſſus non infeliciter depugnaverit. Venetiis Bononiam venit, atque ipſo anno ætatis XXVII. ibi propoſitis theſibus ac theorematibus ex omni ſcientiarum penu depromptis ad numerum quinque millium centum & nonaginta, ita propugnatorem omnium in Æde D. Dominici ſe publicè profeſſus eſt, ut omnium ac præſertim Cardinalis Caſtaneæ Legati, qui deinde fuit Urbanus VII. Pontifex, admirationem, commendationemque meruerit. Profectus ſubinde Romam ad piacularia jubilei Sacra, & exceptus hoſpitio Cardinalis S. Sixti, Peretti nimirum, incredibilem plauſum Urbis de rebus omnibus diſſerens, diverſiſſimorum Scriptorum utriuſque linguæ ſententias ad verbum referens, pluriumque ſimul ſcientiarum, ac mitioris literaturæ notitiam oſtentans excivit. Inde ab omnibus gymnaſiis per Italiam exoptatus, ut ferunt, evocatuſque, primùm in Romano, quod jam tum pædore ſolitudinis marceſcere cœperat, tum in vacuo & exili Maceratenſi docuit aliquandiu, dehinc ſupra decennium nobile Piſis gymnaſium famâ ſui nominis fecit illuſtrius. Accitus deinde à Petro Cardinali Aldobrandino in aulam, quod ſępè pro patria legati ad ſummos Pontifices munus obierat, eo jubente ad Summos Principes iterum iterumque obeundum ſuſcepit; celebraturque ejus ad Venetum Senatum legatio, quâ recuperationem Ferrariæ Pontificiis armis partam auguſtæ Reipublicæ retulit tam doctè, tam eloquenter, &, quod gratiſſimum ſummis Principibus eſt, tam modeſtè, ut à munificis Patribus torque aureo quadringentorum aureorum donatus ad patronum re benè geſtâ redierit. Ab hoc Academiæ Ferrarienſi moderator præfectus eſt majora, ut omnes exiſtimabant, à liberaliſſimo Mecænate, ac meritis ſuis paria recepturus, ni eum febris lethali Eryſipelate armata numero mortalium exemiſſet nondum ſenem fato præpropero, exeunte ſæculo XVI. Vitæ ejus ſcriptor plurima ab eo ſcripta magnificè profitetur. Literatorum reipublicæ duo dumtaxat ejus opera nota ſunt, ſummiſque ex merito laudibus poſteritati commendata vivunt, viventque.

Defenſio Danthis Aligeri adversùs Rodulfum Caſtravillam & Franciſcum Patricium. Commentarius ampliſſimus, quem jure dixeris promptuarium omnifariam eruditionis.

Opus inſigne *de Conſenſu Ariſtotelis & Platonis*, in quo laudes ingenium & acumen, veritatem deſideres.

CLXVII. JOANNES MARIUS MAZZIUS Brixienſis, quid egerit in adoleſcentia & 1600
juventute nullo auctore conſtitui poteſt. Ipſe in iis, quæ adversùs Riccobonum ſcripſit (4), diſcipulum ſe Sigonii fuiſſe Patavii tradit, atque etiam gloriatur: quamobrem ad catalogum hunc noſtrum pertinet. Vir fuit peritiſſimus Græcæ & Latinæ linguæ (5), atque in Rhetoricis diſciplinis apprimè verſatus. Docuit Alexandriæ Statiellorum in Liguria ſummâ auditorum frequentiâ, & utilitate, ſed & ſummâ rei domeſticę pauperie, qua preſſus in ſordibus & ærumnis Rhetorem egit in Ciſalpinis, ut olim Romæ Poetam Statius. Tradit Ghilinus (6), ex quo hæc damus, miſertum ejus Octavianum Ghilinum diſcipulum ipſius, & patruum ſcribentis, egeſtati miſerrimæ præceptoris conſuluiſſe, quem in hoſpitium receptum domi ſuæ habuit, & honeſtè tractavit. Ibi Mazzius conſenuit, poſuitque mortalitatem ſuam an. MDC. ætatis LXVIII. Sepultus eſt in templo maximo cum hexaſticho ſepulcrali frigido ſatis. Ejus opera edita.

Opinionum libri III. Quibus loca plurima Scriptorum Græcorum & Latinorum expunguntur, emendantur, notantur.

Liber Annotationum in Varios Auctores Latinos & Græcos.

Laudatio funebris in Mortem Hieronymi Gallarati Patricii Mediolanenſis & Epiſcopi Alexandrini.

Brevis defenſio ſuæ Secundæ Annotationis ad eorum Opinionem, qui contendunt ex locis Quintiliani certò ſtatuendum libros ad Herennium à Cornificio fuiſſe conſcriptos. Refellit hoc libro Riccobonum ſuppreſſo nomine.

Libellus de Orthographia.

Pro Sigonio contra ingratum Riccobonum.

Monita in quadam Inſignia inſcripta Portis Aſtenſis urbis, cùm eò venit cum Uxore Dux Sabaudiæ.

Luculenta Propugnatio dignitatis Artium liberalium contra auſos docere, ſordidam eſſe profeſ-

(1) Epiſt. 21. lib. Annot. in Boccaccium. (2) ibid. p. 238. (3) ibid. p. 241. 242.
(4) in brevi defenſion. ſub initium. (5) Ghilin. Theatr. Vol. 1. p. 110. (6) ibid.

profeſſionem Diſciplinarum, quas docet Jo. Marius Mazzius.

Obſervationes & Additiones ad Calepini Dictionarium, & Theſaurum Ciceronianum Marii Nizolii,

CAPUT XXXVII.

Joannes Planerius. Joannes Heurnius. Chriſtophorus Guarinonus. Nicolaus Contareno. Maximus Margunius.

1600 CLXVIII. JOANNEM PLANERIUM Brixienſem, quem Rubeus Vincentium appellat (1), nemo dubitabit annumerandum eſſe Alumnis gymnaſii noſtri lectâ Ægnatii ad Nicolaum Leonicenum Epiſtolâ. In ea hæc habet: *Joannes Planerius Brixia ortus, quam patriam non dubito tibi vel veterum teſtimonio, vel recenti hoc ſaculo commendatam, Patavium petit; idque magis admiratione nominis tui, quàm gymnaſii totius celebritate impulſus. Is profitenti mihi multos annos operam dedit, ut bonarum artium ſtudio & egregiis moribus perpaucos habuerim, quos illi præferre audeam.* Ex quibus reliquiſque, quæ ſtatim Ægnatius petit, utrumque manifeſtè colligitur, & Leonicenum Patavii docuiſſe, quod adnotavimus in loco, & Planerium Patavii ſtuduiſſe. Ludovici filius, Quintiani (2), quod oppidum non ignobile diximus alibi, agri Brixiani, natus diu Venetiis Ægnatii auditor fuit, imbutuſque mitiore literaturâ ſub tanto præceptore Patavium ad ſcientiarum quæſtum commeavit, ac Philoſophiæ & Medicinæ tyrocinium poſuit, atque depoſuit & laurum retulit utriuſque. Claruit admodum ſæculo XVI. tum ex humaniore eruditione, tum verò ex arte Medicâ. Hac diu functus eſt præclariſſimè in patria, undè in Germaniam accitus, ex eadem utilem & lucroſam operam præſtitit Ferdinando I. & Maximiliano II. Cæſaribus, aliiſque Germanis Principibus, quos delibat elogium ejus iconi ſuppoſitum in templo primario Quintiani. Sed cum exinde Medicorum invidia cœpiſſet ipſum variis artibus & calumniis aggredi (3), conſultius viſum pacatæ ſapientiæ viro in patriam remeare, ubi patris divitiis frueretur. Ergo rediit Quintianum, ibique lucubrandis operibus eruditiſſimum otium oppignoravit. In eo conſenuit ac mortalitatem explevit anno MDC. Arctiſſima fuit familiaritate conjunctus cum Paulo Manucio ut ex ejus Epiſtolis conſtat. Memoratur à Cozzando (4), & à Ghilino, & aliis, quorum ſuffragio inter clariſſimos Medicos, Philoſophos, & Oratores numerandus eſt. Pomponatii ſententiam adversùs Animarum immortalitatem grugnientem inter primos impugnaſſe creditur, ſed ſcholaſticam Philoſophiam, ejuſque ſubtiles argutias deteſtatus eſt non ſanâ certè ſententiâ (5). Nam ſcholaſtica Philoſophia, quæ ratione non textibus rerum diſputandarum nodos extricare nititur, utiliſſima ſemper erit, excitandiſque ingeniis opportuna, ſi tamen non in ea dumtaxat ſiſtant ingenia, ſed indè ſibi arma parent, queis in explanando Philoſopho utantur, ac Theologicis diſceptationibus mentes experrectas aptent, quò robuſtiùs queant hæreticorum auſus retundere, quos ſolis textibus fruſtra tentabunt. Opera Planerii ſunt.

Febrium omnium ſimplicium diviſio & compoſitio ex Galeno & Avicenna, & in arbores redacta.

Dubitationes & ſolutiones in III. Galeni de diebus Criticis cum examine veterum & recentiorum Opinionum de Criſibus.

In eundem III. Galeni de diebus Criticis Scholia.

Conſilium Viennæ propoſitum de Morbo Gallico.

Conſilium Brixiæ editum de curatione Dyſuriæ.

Collegia ad Morbos Varios Viennæ habita.

Epiſtolarum liber. Opuſculum de lacte.

Opuſculum de Comete An. MDLXXVII. Deſcriptio Quintiani.

Adventus Henrici III. Galliarum Regis Venetias deſcriptus.

Liber de Immortalitate Animæ adversùs Pomponatium.

1601 CLXIX. Multa Freherus narrat de JOANNE HEURNIO celebertimo Medico (6), quem Alumnis gymnaſii noſtri annumerandum eſſe conſtat cùm ex ipſo Frehero, tum è catalogis Germanorum (7), nos, quæ qualem qualem notitiam hominis faciant, ex inſtituti brevitate, quam profitemur, damus. Natus eſt Ultrajecti ad Rhenum in Belgio an. MDXLIII. Othone venditore vini patre, primiſque literarum rudimentis excultus per Macropedium ſcholæ Rectorem. Tardioris ingenii adoleſcens labore ſummo, & inſigni ac ratâ in flore ætatis conſtantiâ naturæ vitium emendavit. Lovanium causâ ſtudiorum

(1) Elog. Brixien. p. 411. (2) Ghilin. Theatr. Vol. 1. p. 86. (3) Rubeus ibid. (4) in Biblioth.
(5) Epiſt. ad Barth. Teanium. (6) Tom. 2. P. 3. p. 1307. 1310. (7) ad An. 1567. 1570.

ſtudiorum ablegatus, tyrocinium ibi ſeveriorum diſciplinarum Philoſophiæ, Matheſeos, ac Medicinæ poſuit, atque hujus interim theorematibus neglectis, quò utiliùs praxim addiſceret, Pariſios profectus præceptorem habuit L. Duretum Medicinæ Regium Profeſſorem, exercendumque ſe dedit Collodæo Lithotomo ſui temporis peritiſſimo, atque etiam Carpentario & Ramo Philoſophis. Gnarus poſt hæc ſine Theoriâ praxim eſſe periculoſam, in Italiam venit, eâque peragratâ, anno ætatis XXIV. Patavii ſubſtitit. Habuit hic indigetes ſocios aliquot, quorum deinde nomen eximium in re Medica fuit, quam ipſi quoque Patavini gymnaſii alumni mirum in modum excoluere, Petrum Foreſtum, Joannem Duvium, Buſenium, Teilingium. His contubernalibus quadriennio Patavii ſtuduit, ac theoreſes Medicas hauſit, praxes uberiùs excepit, doctoribus Capivaceo, Mercuriali, Paterno. Ad Anatomen audivit Aquapendentem, ad notitiam Botanicam Guillandinum. Hic quoque inſignia doctoris fuiſſet conſecutus, ni verſatus in ſummo periculo vitæ ab ebrio caupone, de quo prolixè Freherus (1), aliò abire decreviſſet. Nec eundi Conſtantinopolim occaſio defuit ipſi invitato à Veneto Senatore, qui ad Imperatorem Turcarum Legatus profectionem parabat. Verum ab eo illum munere abſtinuit reverentia parentum, quibus inconſultis longius ab Italia iter capeſſere noluit. Ergo ſe contulit Ticinum, ubi laurum doctoris adeptus eſt, adhæſiſſetque ibi invitatus ad nuptias filiæ profeſſoris Medici Ticinenſis, ſi per Anteraſtarum inſidias, & minas licuiſſet, quibus adeo exterritus eſt, ut repente, Paranymphis inſalutatis, fugâ ſibi conſuluerit, ratus in tuto ſe non eſſe, donec in patria non fuit. Ibi paulatim inclaruit, mox toto Belgio clariſſimus, & Reipublicæ Ultrajectinæ Senator, Lugdunum Batavorum invitatus Medicinam publicè docuit. Ibidem porro, quamvis aliò etiam ſæpius accerſitus ad obitum vixit, qui ei anno ætatis LVIII. Chriſti. MDCI. vitam abſtulit ex calculo. Ejus opera ſunt.

Inſtitutiones Medicę. Praxis Medicinę Generalis.

Praxis Medicinę particularis hęc Opuſcula complexa. Librum de morbis oculorum, aurium, naſi, dentium & oris.

Librum de Morbis pectoris. Libr. de Febribus. Libr. de Peſte.

Librum de Morbis Ventriculi. Libr. de Morbis Mulierum.

Reſponſum ad Supremam Curiam Hollandię: nullum eſſe aquę innatantium lamiarum indicium.

Oratio de Medicinę Origine Æſculapidum, ac Hippocratis ſtirpe, & ſcriptis.

De humana Felicitate lib. I. Epiſtola de Morbis novis & mirandis.

Comment. in Hippocratem libri II. De hominis natura.

Juſjurandum. Liber de Medico. Lex. Liber de Arte. Lib. de Veteri Medicina. Liber de Elegantia. In Hippocratis Pręparationes. Liber de Carnibus ſeu principiis. Liber de purgatoriis remediis. Aphoriſmi.

Libri III. Prognoſticorum.

Libri IV. de ratione victus in morbis acutis.

CLXX. CHRISTOPHORUS GUARINONUS Veronæ in patria literis Gręcis & Latinis ab adoleſcentia ſubactus, Philoſophiæ & Medicinæ operam navavit Patavii, atque in hoc gymnaſio doctrinæ inſignibus ornatus rediit ad ſuos, ubi juvenis Philoſophiam privatis auſpiciis docuit (2), atque in collegium Medicorum receptus cum laude Medicinam fecit (3), crevitque ex felicitate curationum in eam nominis famam, ut à non paucis Principibus expeteretur. Primùm Franciſco Mariæ Urbinatium Duci VI. Archiatrus fuit ſub honeſto ſtipendio, deinde à Rodulfo II. Pragam vocatus in ejus aula particeps Conſiliorum, ac Medicus Cæſaris ingenti ſalario vixit, ditatus à munifico, & liberaliſſimo Principe crebris & pretioſis muneribus. Cùm Pragâ Romam causâ pietatis fuiſſet peregrinatus, hoſpes ibi Auguſtini Card. Valerii Epiſcopi Veronenſis tantum ſibi Procerum ac Purpuratorum, atque etiam Pontificis favorem conciliavit, ut Clemens VIII. profeſſus ſit, libenter ſe Guarinonum ad conſilia Medica detenturum fuiſſe, ſi id conſenſu Cęſaris fieri potuiſſet. Pragam reverſus domi ſuę Academiam Medicam erexit, in qua Jatricę diſquiſitiones, ac Philoſophicę ſingulis hebdomadibus haberentur. Ibi quoque ſenex, non ſine Cæſaris & aulæ męrore ac luctu deceſſit, circa an. MDCII. Opera ejus. 1602

De Natura humana Sermones IV. De Intellectu Agente.

Explanatio locorum Ariſtotelis de Immortalitate Animarum.

De Generatione Viventium, etiam naſcentium ex putredine.

De Methodo Diſciplinarum. De Principio Venarum.

Comment. in I. libr. Ariſtot. de Hiſtoria Animalium.

Diſputatio an deceat ingenuum Virum ignoſcere ei, à quo injuriam accepit. Conſilia Medicinalia.

Scripſiſſe

(1) ibid. p. 1308. (2) Ghilin. Theatr. Vol. 1. p. 59. (3) Chioccus de Illuſtr. Medic. Colleg. Veron.

Scripſiſſe eum etiam de cauſa Morborum libellum, illumque dicaſſe Collegio Veronenſi, teſtatur Chioccus.

1602 CLXXI. NICOLAUS MAUROCENUS patricius & Senator Venetus Andreæ Triumviri & hiſtorici frater, ætate minor, par ſapientiâ, poſt fratrem humanioris literaturæ poſito in patriâ tyrocinio adultam, & planè Senatoriam eloquentiam adeptus eſt in gymnaſio noſtro (1), in quod hortatu fratris venit, ac Philoſophiæ ſub Piccolomineo, Oratoriæ verò dedit operam ſub Riccobono, à quo in album diſcipulorum ſuorum refertur. Rempublicam ſecundùm hæc geſſit Senator omnibus venerabilis ex integritate, doctrinâ, eximioque rerum uſu. Quintùm ſapiens Continentis, & Reipublicæ Bibliothecarius, in his muneribus ac dignitatibus præcocifato terris ereptus ad ſuperos abiit an. MDCII. ætatis XLII. jacet ad D. Luciæ. Laudatur à Craſſo (2) & Græcæ atque Hebraicæ cum primis verò Latinæ ſummæque eruditionis, ac literarum peritiſſimus dicitur. Defletur à fratre (3), ac decus breve, ſed maximum virorum doctorum aſſeritur. Clarorum ſcriptorum orationes duas ex Italicis latinas fecit charactere ſcribendi nitidiſſimo: alteram Georgii Triſſini ad Andream Grittum, alteram Franciſci Queri ad N. N. cui Reipub. Venetæ Principatum gratulatur. Tertiam ipſe compoſuit; de Philoſophiâ cum humaniorum literarum ſtudiis conjungendâ. Vide de his, ſi vacabit, notas V. Clar. Petri Catetini Zeni nepotis noſtri ad vitam Mauroceni à Craſſo conſcriptam (4).

1602 CLXXII. MAXIMUS MARGUNIUS, ante monaſticum nomen *Michael*, natus in Inſula Cretæ, atque urbe cognomine, Mercatoris filius Venetias cum patre venit, eo, ut ipſe ſcribit, anno (5), quo Petrus Aloyſius Pauli III. filius, cujus nefarium ſcelus narrat, Placentiæ interemptus eſt, atque adeo circa an. MDXLVII. A Patre Patavium miſſus quadriennio latinas literas ac Philoſophiam, auditis claris Profeſſoribus, didicit, Theologiam quoque Scoti, ut ipſe ſcribit (6), ex quo quæ damus excerpſimus, alibi etiam (7) hæc eadem profeſſo, ſimul ſe hic fuiſſe clientem, & contubernalem Georgii Lombardi Cretenſis Syndici an. MDXLV. mox Barocii itidem Cretenſis gymnaſiarchæ anno MDLI. Reverſus Venetias tunc cùm indictum eſt laureâ donandis jusjurandum, atque profeſſio Fidei catholicæ ex formula Pii IV. ibi mortuo patre dives ex hæreditate Græcam Venetiis typographiam aperuit ad D. Antonium, ac peritiſſimus linguæ Græcæ multa edidit, quorum catalogum lege in Allatianis ab ipſo editum ann. MDLXVIII. Incendium (8), quo D. Antonii templum, & celebris ibi MSS. Græcorum bibliotheca conflagravit, ejus typographiam eodem impetu peſſumdedit. Ipſe propè redactus ad incitas reſpexit res ſacras, atque in Græciam regreſſus Monaſticum Ordinem, Hieromonachus, poſito Michaelis nomine Maximus, profeſſus eſt. In patria S. Æcaterinæ cœnobium, quod Montis Sinai Metochium mea ætate appellabatur, incoluit; atque ibi rerum cum Latinarum tum Græcarum gnarus eò appulit animum, ut rationem (9) aliquam, quâ dirum & longævum Orientalis & Occidentalis Eccleſiæ diſſidium componeret. Scripſit proinde Orationes ſeu libros de Proceſſione *Spiritûs* Sancti, quibus, id quod parti utrique ſatisfaceret, conſtituere longis & confragoſis ambagibus conatus eſt. His libris armatus, maxima ſperans, Romam venit, ratus, Latinos ultrò manus daturos, ut ex Margunianis argutiis rei tantæ aleam luderent. Has exoticas merces Julio Antonio Sanctorio (10) Card. S. Severinæ Calabro Italo-Græco, & rerum Græcarum gnaro propoſuit; atque is, ut colligo ex Allatianis, agnovit ſtatim vaſtum, & evanidum ingenium hominis, at ex aulæ moribus, ejus facundi, & in re Græca periti ſpes nimias lactavit, quibus jam ſibi maxima præmia deſtinata, parataque ſomniabat. Gregorius XIII. extremis tunc annis Eccleſiæ præerat, qui quæ proponebantur ad trutinam revocare juſſit Cardinales Vincentium Laurum, & Auguſtinum Valerium, quos addidit Sanctorio ſocios. Pertracta res eſt ad Sixti V. Pontificatum. Hoc jubente, indictum Margunio, ante omnia, ut Orthodoxam Romanæ confeſſionem eccleſiæ coram Fidei Quæſitoribus ederet: ni hoc feciſſet, adjectum fore, ut caperetur ad carceres, interim cariturum honorariis ad alimenta ſtipendiis, quæ illi Gregorius Pontifex largiebatur. Hic excogitatorum moliminum finis fuit, quo Margunius irritatus pedem retulit Româ, ac nocturnis diurniſque itineribus, per ingentia, ut ipſe refert (11), pericula elapſus à Pontificia ditione Venetias remeavit, barbâ depoſitâ, ne agnoſceretur, ſtatimque navigavit in Græciam. Moratus autem in Melo Inſula, donec genæ iterum fruticarent, Conſtantinopolim abiit. Ibi rebus Venetis maximè profuit, ac Legato Reipublicæ gratiſſimus

fuit

(1) Salom. in Collect. ad inſcrip. Gymn. Tomaſ. in Chronotaxi ad An. 1580. (2) in Vita Andr. Mauroc. p. 10.
(3) Epiſt. ad Lollin. in Opuſc. p. 111. (4) Tom. 5. edit. hiſtor. Venet. p. 20. litt. c.
(5) in not. ad Nomoc. ad can. 3. Chalced. (6) Epiſt. ad Georg. Lombard.
(7) lib. de morib. Barbar. in princ. (8) Epiſt. ad Hœſchel. (9) lib. 1. de Proc. Spir. S.
(10) lib. adverſ. Franciſcan. (11) ibid. circa finem.

Digitized by Google

fuit. Quamobrem cùm in familiaritatem irrepſiſſet Hieremiæ II. Pontificis Byzantini, illi per ea tempora utilis (1) admodum in iis, quæ adverſus Latinos ſcripſit, tum in illis, quæ ad Tubingenſes reſcripſit, ad inſulas Cythereas provectus eſt an. MDLXXXIX. In otio ejus inſulæ multa compoſuit tum adiaphora, tum contra Latinos, quorum ſententias & mores, quà potuit, fabulis, Patrum effatis corruptis, vel doloſè propoſitis, vaferrimis Paralogiſmis, calumniis quoque, ac dicteriis amarulentis ac turpibus, quæ Sarcaſmos, & Chlevaſmos Græci dicimus, inſectatus eſt. Hinc jure nos ejus dicta, & poſtulata plurima in Prænotionibus noſtris Myſtagogicis, ad veritatis tutelam rigidè, uti meretur, caſtigavimus. Muſas ille ſanè tractavit feliciter, claruitque maximè in pangendis Anacreonticis elegantiſſimè; nec inficias ire poſſumus ejus induſtriæ multa Græciam debere, cujus Patres aliquot & Scriptores MSS. aut ipſe cudit ſuis typis in Miſcellaneis, aut aliis cudendos commiſit (2), præſertim Davidi Hœſchelio, quocum perpetuum & familiare habuit literarum commercium. Præter hæc ipſius extant

Homilia multa vernacula lingua Græca ſcripta, habitaque in Creta & Conſtantinopoli.
Hymni Anacreontici LX. præter editos ab Hœſchelio, aliaque Poemata Jambica & Heroica.
Liber adverſus Jeſuitas elegantibus fabulis & calumniis refertus.
Liber adverſùs Franciſcanos ejuſdem ætis.
Orationes III. de Spiritus Sancti Proceſſione.
Liber de moribus Barbarorum, & Orientalis Eccleſiæ Orthodoxia.
Notæ in Canones Apoſtolorum & Septem OEcumenicas Synodos.

Notas has excerpſit ex Balſamone, quem floruiſſe dicit an. MCDXXX. ſecutus, quæ Severus æqualis ipſi Margunio Phorianorum [illegible], memoria lapſus, vel certè alium Balſamonem recentiorem cum Theodoro confundens, tradiderat. Notavit hoc ipſum ex Myſtagogicis noſtris doctus Fabricius (3), videturque nos quoque [illegible] arguere, quòd anachroniſmum hujuſmodi minimè caſtigavimus. At ibi nos preſſius diſtinebat in dogmatis probatione tractatio, & alioqui Scriptores Græciæ ſequioris tam crebrò in Chronologiam peccant, dum de dogmatibus blaterant, ut ſuperſit aliquando, nec tamen ſemper, illos ex hac parte reprehendere. Cæterum gratis nos arguit bonus Fabricius nimii erga aulam Romanam ſtudii, quòd in corruptorem manifeſtarium Canonum Balſamonem invehimur. Veritati uni, quam Eccleſia utraque Orientalis & Occidentalis, ſemper adverſus Hæreticos & Photianos aſſeruit, militavimus, & militamus; quique nos norunt, probè ſciunt, ſtudium hujuſmodi apud nos nullum eſſe, cujus nec cauſas pretiumve habemus, neque unquam habuimus. Balſamonem Corruptorem diximus ſæpè in opere noſtro, ejus dolos detreximus, pleniùs alibi rem ipſam probamus, notam aliunde ex Baronio, Bellarmino, Eudæmonioanne, aliiſque viris eruditiſſimis.

Epicriſes ſeu Judicia in Nomocanones.

Obiit Margunius in patria Cretâ, quò ſenex ſeceſſerat An. MDCII. prope octogenarius, conditus eſt in templo Deiparæ Trimartyros, ubi ejus tumulus his jambicis notabatur, quos in MS. Athanaſii Scleri congnomento Picri, fratris avi mei materni ſic lego.

Οὐ μωρὸς ἐνθάδ' ὕπνον ὕστατον δρέπει,
Ἀνὴρ δὲ θεῖος σωφροσύνης ἔμπλεος,
Καὶ προστάτης ἄριστος τῆς πρὸς Μαλέᾳ,
Νήσου Κυθήρων, Μάξιμος Μαργούνιος.
Ἐῶν θεοπνεύστων μέγα Μουσάων κλέος,
Γόνος δὲ Κρητῶν, ἠδ' ἔλαρ τῆς πίστεως.

Non hic ſtupidus aliquis ſomnum ultimum carpit.
Sed Vir divinus ſapientiæ ſeu prudentiæ plenus,
Et Præſul optimus, ejus, quæ ad Maleam jacet,
Inſulæ Cytherorum, Maximus Margunius.
Divinitùs afflatarum magna Muſarum gloria,
At Soboles Cretenſium, & propugnaculum Fidei.

(1) libr. de morib. Barbaror. circa med. (2) Epiſt. 2. 12. 13. ad Hœſchel.
(3) Tom 11. p. 47.

CAPUT XXXVIII.

Ioannes Petrus Maffæjus. Ioannes Cochanovius. Stanislaus Reſcius. Achilles Gagliardus. Publius Fontana. Jacobus Arminius.

1603 CLXXIII. JOANNES PETRUS MAFFÆJUS Societ. Jeſu Bergomas ſcribendi latinè & italicè peritiſſimus, & ex utraque linguâ ſine dubio cuilibet antiquorum, probatorumque ſcriptorum comparandus; quique tanti ſemper habitus eſt apud ſtudioſos candidiſſimæ in utrâque linguâ elocutionis, ut, me audiente Sfortia Card. Pallavicinus evocatis ad teſtimonium Franciſco Brivio Mediolanenſi, & Felice Felicio Montopolitano, ætatis noſtræ Grammaticorum principibus, aſſerere minimè dubitaverit, etiam deficientibus Cicerone, & Boccacio, cæteriſque latinæ & Etruſcæ linguæ doctoribus, linguam utranque ſtaturam in opuſculis magni Maffęi. Id quod ne quis conſtitutum gratis exiſtimet ſine probatione, norit, nobis agentibus Romę, in Academia celebri Chriſtinę Svecorum Reginę aliquando quęſitum fuiſſe, ſi, Scriptoribus omnibus Gręcis, Latinis & Italis prorſus abolitis, duo eſſent retinendi, ex quorum altero Antiquitatis notitia perennaret, & altero vel utroque linguarum proprietas & elegantia ſalva eſſet, quinam ex omnibus ad tanti muneris aleam eſſent ſervandi? Variis varios deſignantibus, cùm quatuor diſſertatione prolixâ diſceptaſſent; his quidem ad primam quęſtionis partem pro Auguſtini de Civitate Dei libris, illis pro Plutarchi operibus: itidemque ad ſecundam, quibuſdam saluti linguæ Latinę & Italicę ſeponentibus Petrarcham, aliis Maffæjum, rem eò deveniſſe, ut, dicentibus poſt omnes Angelo de Nuce Archiepiſcopo Roſſanenſi, & Stephano Pignatello viro in utrâque linguâ verſatiſſimo, plenâ ſuffragatione decretum ſit pro Plutarcho ad Antiquitatis & linguę Gręcę notitiam, pro Maffęjo ad elocutionem Latinam & Etruſcam. Porro tantus hic vir gymnaſio noſtro debetur, quippe hic per annos plures Bonamicum audivit, à quo inter pręclaros diſcipulos Patavii ſuos, & Auditores aſſiduos recenſetur (1), mox etiam commendatur Robortello Genuę docenti (2). Eò enim juvenis admodum profectus eſt privato ſtipendio à nobiliſſimis viris accitus, ut humaniores literas lectam Patriciorum adoleſcentiam edoceret. Succeſſit deinde Robortello ipſi evocato Mediolanum, privatimque ac publicè mercede conſtituta multos inſtituit, & ad eloquentiam informavit ad annum uſque MDLXV. quo cùm cogitare meliora cœpiſſet, inſtitutum Societatis Jeſu inire decrevit, atque anno ſequenti Romam profectus (3), ibi tanti Ordinis chriſtianę revera militię tyrocinium poſuit ętatis anno circiter trigeſimo. Vixit ad annum uſque MDCIII. quo ſeptimum ſupra ſexageſimum annum agens è vivis ereptus eſt Tybure. Ibi me olim docente, ac bibliothecam Collegii ordinante repertum carmen elegantiſſimum Montanas urbis delicias deſcriptas ab ipſo complexum ejuſque exaratum manu, quod quidam ſublatum furto, me audiente & ridente, uti ſuum venditabat. Allegambe (4) recenſet ejus opera edita, & anecdota hoc ordine.

Hiſtoriarum Indicarum libri XVI.
Selectarum Epiſtolarum ex India libri IV.
Comment. de rebus geſtis apud Indos Emmanuelis Acoſta.
Epiſtolarum de rebus Indicis liber I.
De rebus Japonicis libri V.
Rerum à Societ. Jeſu in Oriente geſtarum Volumen.
De Vita S. Ignatii Loyolæ libri tres. Opus in latinitate Coryphęum.

Italicè.

Vita XIII. Confeſſorum, quibus adjecit alias IV. ut ſint omnino XVII.

Hæc omnia edita ſunt, ſcriptaque nitidiſſimo ſtylo non tamen elumbi, & infiecto, qualem nobis Grammatici latinitatis vindices ingerunt. Inter Anecdota pręter Tyburtinum Carmen relatum, reliquit: *De Vita Gregorii XIII. P.M. libros XIII. latinè. Res geſtas Clementis VIII. P. M. inchoatas Italicè.* Ex his inter Hiſtoriographos recenſetur à Silveſtro Maurolyco (5).

1604 CLXXIV. JOANNEM COCHANOVIUM tradunt è regia Corvinorum ſtirpe oriundum (6): natus tamen eſt in Polonia Siezynię, quod oppidum hęreditario jure ad ejus familiam pertinebat. Extincto intra pueritiam ipſius patre, à matre pia matronâ Anna Bialaczovia Odrouvazouuna educatus religioſiſſimè ad ſapientiam exarſit, quam aliquan-

(1) Epiſt. 8. in calce. (2) Epiſt. 13. ad Robortell. (3) Allegamb. Biblioth. Societ. Jeſu p. 263.
(4) ibid. (5) lib. 5. Oceani Religionum. (6) Ghilin. Vol. 2. Theatr. p. 123.

quandiu quæſivit in Germania, & Gallia, luſtratâ autem poſt hæc Italiâ, tandem invenit Patavii. Ejus nomen inſcriptum eſt albis Polonicis (1), palamque eſt ipſum fuiſſe diſcipulum Robortelli, poſtquam operam dedit Venetiis inſtitutioni Manucii. Redux in patriam ſervire juſſus eſt aulæ evocante Philippo Padnevio Epiſcopo Cracovienſi, cujus commendatione Regi à Secretis fuit. Eo munere clarior, probatiorque multas pro Rege ac Regno legationes obivit, quibus ſe à Muſis, quas deperibat, abſtrahi querebatur. Hinc à dignitate Caſtellani Polanecenſis, qua pro meritis in Rempublicam donatus eſt, ſe excuſavit, ac Senatoriam purpuram, quæ illi offerebatur, contempſit, Sandomirienſis Tribuni honore, in quo muſis vacare licebat, contentus. In illo vitæ reliquum tranſegit, fatoque functus eſt apoplecticus an. MDCIV. ætatis LII. Ejus opera edita ſunt.

M. Tullii Ciceronis Aratus. ſeu Verſio Arati Latina periphraſticè ex Cicerone.
Orpheus Sarmaticus Poemation de laudibus Poeſeos.
Elegia. Epithalamia, Lyrica, Foricania. Carmen de expugnatione Poloczei.
Polonico quoque verſu luſit ſumma apud Indigetes laude, celebraturque ab eo Pſalterium Davidis Polonicis verſibus editum.
Specimina. Ludus Latrunculorum. Apophtegmata. Satyra.
Carmina polyſtropha, triſticha, Rhythmica. Epigrammata.
Carmen de Bello Trojano. Epithalamia. Joci, Ridicula.

CLXXV. STANISLAUS RESCIUS Poſnanienſis Polonus à teneris annis educatus 1606
in ſinu Cardinalis Hoſii, ut verbis utar Simonis Stravolſcii (2), undè bonas artes & mores optimos hauſit; illiuſque exemplo ad pietatem informatus toto tempore Tridentinæ Synodi in ejus familiaritate ſecretorum particeps vixit. Ejuſdem juſſu graviores diſciplinas, Canonici juris Scientiam & Philoſophiam Scholaſticam didicit, deditque operam ante alias Theologię, ut ipſe teſtatur in pluribus epiſtolis, & conſtat ex albis Polonorum(3). Poſt hęc doctoris laurea, & exinde Canonica Varmię dignitate aucto ad Henricum Valeſium Polonię Regem electum legatio demandata eſt (4), ut Card. Hoſii nomine Regnum illi gratularetur, & fidem atque obſequium promitteret. Reverſo è Gallia Romam Pœnitentiarię tribunal ſigillorum officium commiſit ibidem, undè Stephanus Rex evocatum Sacerdotio auxit opulento, ac Reipublicę nomine legatus miſit ad Gregorium XIII. & Sixtum V. Eodem honorifico munere functus eſt ſub Sigiſmundo III. Stephani ſucceſſore in legationibus ad Rempubl. Venetam, ad Etrurię M. Ducem, Regnum Neapolitanum, & Clementem VIII., cui Regis ſui nomine profeſſus obſequium admodum laboravit pro referendo inter Cœlites D. Hyacintho. Plenus dierum ac meritorum obiiſſe creditur an. MDCVI. Ex ejus ſcriptis hęc ad typos venere.

Liber pro augmento Fidei Catholicæ.
Liber inſcriptus: Spongia pro defenſione Societ. Jeſu.
Miniſtromachia Atheiſmi, & Phanatiſmi.
Vita Cardinalis Hoſii.
Paraphraſis VII. Pſalmorum Pœnitentialium.
Admonitio Polonica. Pia Progymnaſmata. Sermones de Sacerdotio.
Liber Epiſtolarum familiarium, ex quibus ejus acta luculenter excipiuntur.

CLXXVI. ACHILLES GAGLIARDUS Patavinus pręclariſſimâ in hac urbe familiâ, 1607
opibuſque avitis inſtructiſſimâ exortus ab adoleſcentia patrio gymnaſio nomen dedit tanto in literis profectu, ut planè in hac noſtra Academia ſummâ apud agnatos & cognatos, ac cives omnes expectatione fuerit. Verùm deſtinaverat eum Deus majoribus, quàm quæ ex unâ ſapientiæ laude prodire ſolent. Dudum Societas Jeſu hoſpitium apud Patavinos invenerat, atque iis diviniſſimis artibus excolere juventutis animos cœperat, quibus unis docta pietas ſeritur, alitur, & ad uberiores fructus educatur. Præerat Sociorum collegio Simon Rodericus, ex primis enatæ Societatis decemviris ſextus. Huic Achilles cum duobus fratribus adhæſit, brevique captus cum fratribus, felicem libertatis jacturam fecit. In album Sociorum receptus, ac Romam miſſus in Romano collegio ſeverioribus diſciplinis imbutus eſt, in iiſque tam citò effloruit, ut vix annos natus viginti quinque Ethicam ex Ariſtotele Philoſophiam in eodem Collegio profeſſus ſit. Docuit deinde reliquos Philoſophi libros, ac præcipuas Theologorum ſententias publicè interpretatus eſt: inde inſignis Philoſophus ac Theologus hanc ipſam ſacram ſcientiam explanavit & Patavii & Mediolani. Mox ad munus agendi, regendique vocatus, præfuit & Taurinenſi collegio, & Venetæ ac Mediolanenſi Profeſſorum Societatis domibus, undè miſſus Brixiam floridiſſimi tunc ibi Collegii Rector conſenuit: à quo Mantuam delatus poſt diuturnam ægritudinem, quâ ſenſuum penè omnium uſu deſtitutus eſt per menſes duodeviginti, apoplexiâ ictus occubuit pridie nonas Julias an. MDCVII.

(1) ad An. 1572. & ſeqq. (2) in Elog. 100. Illuſtr. Polon. ſcript.
(3) ad. An. 1551. & ſeq. (4) Ghilin. Vol. 2. Theatr. p. 232.

ætatis LXX. Vir non ob doctrinæ dumtaxat præſtantiam, clariſſimus verùm etiam ob morum gravitatem, prudentiam, religionem, & ſervidiſſimam pietatem, ex quibus maximè laudarur, productis ad probationem geſtis ejus ab Allegambe (1).

Scripſit Italicè *Compendium Chriſtianæ Perfectionis*, quo docet praxim coniungendæ cum Deo Animæ; Opus aureum, quod latinè redditum lucem publicam promeruit in Auſtriâ.

Edidit etiam Italicè hortatu D. Caroli Borromæi *Catechiſmum*, quo Mediolanenſis Eccleſia diu uſa eſt.

Latinè conſcripſit librum eruditiſſimum *de diſciplina hominis interioris*. Opus doctiſſimum, quo lecto noſces virum hunc non in Theologicis tantum, ſed & in Aſceticis, citra ineptias, fuiſſe verſatiſſimum; quippe de juſtificatione ſolidiſſimè diſſerit, palamque prælucet ſententiæ, quam etiamnum tuetur Societas, & Myſticas inſtitutiones ita pertractat, ut non aucupetur mira, ſed vera, ſed certa, ſed utilia probataque doceat. Scripſiſſe etiam fertur

Comment. in Sacras exercitationes S. Ignatii Loyolæ.
Explicationem Inſtitutionum Societatis.
Meditationes pro omnibus hominum Statibus.
Meditationes de Noviſſimis & Peccatis.
Modos varios meditandi cum preces funduntur Deiparæ Virgini.

1608 CLXXVII. Franciſco Ulmo teſte (2) probatur PUBLIUM FONTANAM, de quo Rubeus (3) & Ghilinus (4), humanioribus literis addiſcendis operam dediſſe Patavii ſub Bonamico. Virum hunc tum proſâ tum verſu ſcribere ac dicere peritiſſimum inſtructiſſimum ſuum eſſe Bergomates aſſerunt, quòd Paloſci in agro Bergomenſi vixerit, quem Brixiæ ſuæ vindicat Rubeus ex teſtamento, in quo ſe ipſe Brixienſem appellat. Militavit Eccleſiæ, fuitque Sacerdos. Patrimonio ſatis amplo præditus ædes ſibi conſtruxit percommodas, quas ſtudiorum ſuorum Eremum appellavit, eaſque commune virorum eruditorum fecit hoſpitium. Claruit maximè ex eloquentiâ & ornamentis poeticis, quibus componendis recitandiſque in Brixienſium Academicorum cœtibus gnaviter ac feliciter inſudavit. A Franciſco Ulmo, qui ejus vitam ſcripſit, jam ſenex invitatus Deſenzanum, ut apud amicum ferias Autumnales deliciis oræ Bennacenſis concederet, cum veniſſet, ibi funus invenit, quo elatus eſt munificentiſſimè à mœſtiſſimo amico atque hoſpite, Obiit an. MDCVIII. decrepitus.

Scripſit Italice & Latinè.

Vigilias Brixienſes. De proprio & ultimo fine Poetæ.
Tractatum de Plantis ſimplicibus.
Diſſertationes IV. de Myſteriis Numeri Ternarii & Quaterni.
De honore & Imitatione.
In Mariam Auſtriacam ad Philippum III. Hiſpaniæ Regem unà cum Margarita filia illi deſponſa proficiſcentem. Carmen.
Imaginem ſive Mariam Magdalenam à Titiano pictam. Carmen.
Damonem. Eclogam Virgini Matri Sacram.
Libros III. Carminis inſcriptos Delphinis.

1609 CLXXVIII. JACOBUS ARMINIUS, quamvis è ſecta Calviniana ipſis quoque Calvinianis hæreticus, in ea tamen claruit ex hoc ipſo adeo, ut in hac alumnorum gymnaſii noſtri ſerie locum habere poſſit. Natus in Hollandiæ oppidulo UdeWatera (5) ad Iſalam ann. MDLX. in Ultrajectina ſchola literis à Theodoro Æmilii excultus eſt: hoc mortuo, duce Rodulfo Snellio Marpurgum in Haſſiam venit ann. MDLXXV. mox ubi comperit erectam à Batavis Academiam Lugduni, eò rediit anno ſequenti, atque adoleſcentulus arcanis Philoſophiæ ac Theologiæ animum addixit. Genevam deinde profectus ſumptu civium Amſtelodamenſium Bezam audivit, undè progreſſus Baſileam, ibi oblatas doctoris Theologi lautos recuſavit, ac Genevam regreſſus brevi, auditâ Jacobi Zabarellæ fama Patavium ſe contulit. Narrat hæc omnia ſcriptor Anonymus (6) libro de Vitis Profeſſorum Leidenſium; ſed in eo fallitur, quòd Arminii moram in Italiâ contrahit ad menſes ſeptem, cùm ex Albis quæſtoris conſtet, eum ſaltem biennio hìc inter diſcipulos fuiſſe. Defuncto Zabarella Arminius per menſes aliquot pervagatus Italiam, rediit Genevam, undè Amſtelodamum revocatus an. MDLXXXVIII. Calviniani Miniſterii munus accepit; eoque per annos XV. functus eſt. Poſtea in gymnaſium Lugduni Batavorum accitus Theologiam docuit Calvinianam; fovitque in ea ſingulares opiniones de Prædeſtinatione, morte, ſatisfactione Chriſti, origine Fidei, & ejuſdem impedimento, deque Perſeverantia. Ex his variè ab aliis ejuſdem ſectæ Theologis reprehenſus, ſectam novam edidit Arminianam, quæ

(1) Biblioth. Societ. Jeſu. p. 2. 3. (2) Vita Fontanæ, & in Epiſt. ad ipſum (3) Elog. p. 441.
(4) Theatr. Vol. 1. p. 101. (5) ex Vit. Profeſſor. Leydenſium.
(6) apud Freher. Tom. 1. P. 1. Sect. 3. p. 354. 355.

quæ in Dordraceno cœtu damnata diu ſtetit, atque adhuc quadantenus ſtat. Fertur ex mœrore morbo lento contracto contabuiſſe, anno MDCIX. ætatis XLIX.

Opuſcula ejus hæc ſunt,

Diſputationes de diverſis Chriſtianæ Religionis Capitibus.
Examen Modeſtum libelli Guill. PerKinsKii de Prædeſtinatione.
Amica collatio cum D. Franciſco Junio de Prædeſtinatione.

CAPUT XXXIX.

Thomas Bovius. Marſilius Cagnatus. Robertus Perſonius. Antonius Ricciardus. Iacobus Zuvingerus.

CLXXIX. THOMAS BOVIUS, qui deinde mutato nomine ſe *Zephyrielem* dixit, nob. Veronenſis, de cujus familiâ multa more ſuo confusè ac perturbatè Julius à Puteo (1). Vir fuit ex importuna eruditione elatus initio ſæculi XVII. Diu ſanè Patavii ſtuduit, ut notat Franciſcus Ulmus (2), nec tamen ad Medicæ laurus, ad quam huc venerat, honorem pervenit. Nam æſtu quodam ingenii pervagatus ſcientias plures, deinde pertæſus earundem, animum ad militarem gloriam convertit, ac luſtratâ Europâ ita Bellonam conſectatus eſt, ut nunquam neglexerit Palladem. Hinc annis XXVII. quibus apud Cæſarem Carolum V. & alios Principes adversùs Lutheranos militavit, unà ſapientiſſimos viros & ſedulò coluit, & audivit accuratiſſimè. Ad patriam reverſus cùm ſe Philoſophum (3), Medicum, ac Theologum profiteretur, ſuis dumtaxat auſpiciis Medicinam facere cœpit, atque Machaonem ſe cuilibet præſtitit inemptum ac liberalem, qui non lucri, ſed gloriæ, ac pietatis causâ remedia ægtis concivibus, & quidem ſuo ſumptu pararet. Homo lepidi, ne quid amplius dicam, ingenii, curavit hoc ante omnia, ut nomen ſibi Zephyrielis auctoritate publicâ ſanciretur. Putavit enim ac libro ad id edito profeſſus eſt, potuiſſe ſe arte quadam mirabili deprehendere, quo nomine datus ſibi à Deo Cuſtos Angelus appellaretur. Scripſit hac ſuper ſententiâ ſuâ prolixam Orationem latinam ad Gregorium XIII. P. M. quam legimus, fatemurque, fuiſſe nobis miraculo, potuiſſe quenquam tam eruditè deſipere. Scripſit etiam latinè de Trinitate Perſonarum in unâ Eſſentiâ: ac duas Epiſtolas, alteram ad Clementem VIII. qua probat reſtituendum ad Sacram Orthodoxorum ſocietatem Henricum IV. Gallorum Regem: alteram ad Paulum V. adversùs Interdictum Sacrorum Venetorum, quod acriter improbat. Italicè plura edidit. 1609

Volumina tria ſingularibus Titulis inſcripta, nempè *Flagellum. Melampigum. Fulmen.* His Camarinam ingentem commovet adversùs Medicos, quos Putaticios, & Rationales vocat.

Tractatum de Peſte, quam Contagionem exiſtimat, & in Medicos contrà ratos invehitur; præſtituitque remedia, quæ tactis eo morbo medicinam, intactis alexipharmacum faciant.

Librum de Cæleſtium Orbium motibus, deque motuum hujuſmodi cauſis.

Opuſculum de ſubſtantiis abſtractis & formis ſeparatis.

Comment. de ratione, Ordine, ac Providentia Dei, Cælum, Terras & Inferos gubernantis.

Alium de Creatione Animarum noſtrarum, ubi, & quomodo eas condiderit, ac formaverit Deus.

Denique lepidiſſimum Codicem, & ſomnio ſimilem *de ratione, qua quiſque deprehendere poſſit, ſub cujus Angeli cuſtodia ſit, & à quo nominatim Angelo regatur.*

Annorum duodenonaginta ſenex obiit Veronæ an. MDCIX. proponiturque à Puteo poſitum Sepulcro Epitaphium, atque etiam aliud, quo ſe ipſe Zephyriel celebrat barbaro ſatis Hexametro.

CLXXX. MARSILIUS CAGNATUS Veronenſis artis Medicæ leges, præceptaque Patavii didicit Præceptore Bernardino Paterno (4), ſimul Philoſophiæ ac diſciplinis humanioribus operam dedit; nec linguam Græcam contempſit: ſed ratus eam, non ſanè ad Rhetoricam, aut latinam Grammaticam ut pædagoguli cenſent, ſed ad Medicinam perneceſſariam, hac ſe affatim imbuit. Lauro reportata rediit Veronam doctor, ubi cùm aliquandiu ſingulari cum laude artem exercuiſſet, Romam profectus eſt, receptuſque in familiaritatem arctiſſimam Alexandri Petronii tunc in aula Pontificia 1610

(1) in Append. Elog. p. 275. 278. (2) Vit. Fontanæ, & in Epiſt. ad Fontanam 8. (3) Puteus ibid.
(4) Ghilin. Theatr. Vol. 1. p. 195 Chiocc. de Med. Veron.

Medici, paulatim in eam famam evaſit, ut adjutor Amico datus in curando S. Spiritûs noſocomio, eidem fatis erepto ſucceſſor fuerit, tum in eo munere, tum in curationibus ſummorum Pontificum, & in Therapeutica plerorumque Patrum Purpuratorum & Procerum Romanorum. Profeſſor quoque in ſede prima Medicinæ hanc Romæ docuit, retulitque Archiatri Romani titulos quoad vixit. Devixit autem Romæ perſenex certè ſeptuagenario major, circa an. MDCX. Ejus in luce publica hæc opera ſunt.

In Aphoriſmos Hippocratis XXII. Sectionis I. Germana & nova Expoſitio, totam Aphoriſticam Pharmacandi doctrinam continens.
De Ordine in cibis ſervando.
Variarum Obſervationum liber.
De Continentia & Gymnaſtica.
De inundatione Tyberis.
De Epidemicis quorundam Annorum morbis luculenta Syntagmata.
Comment. in Aphoriſmos Hippocratis.
Quæſtiones de tota Re Medica.

1610 CLXXXI. Clariſſimis Alumnis gymnaſii noſtri annumerare licet ROBERTUM PERSONIUM, gente Anglum, patriâ Somerſetenſem Societatis Jeſu, virum æquè doctrinâ, atque prudentiâ & integritate vitæ; rebus fortiter ac viriliter pro fide orthodoxa geſtis memorabilem: qui poſtquam nomen dedit Societati anno Chriſti MDLXXV. ætatis XXVIII. ardore veritatis, quam exulare Britanniâ ſuâ dolebat, afflatus, ea ſanctè molitus eſt, toto vitæ tempore, quibus multos à catholicæ fidei dogmatibus aberrantes ad viam ſalutis retraxit, Catholicos plurimos confirmavit, labores incredibiles pertulit, vitæ ſæpè diſcrimina manifeſta libens adivit tot inter inſidias, ærumnas, & calamitates extremas, quas ſi quis ad trutinam æquitatis expenderit, dicet, eum penè non Martyrem fuiſſe, fuiſſe certè Martyrum patrem. Conſtat ex albis Anglorum & aulæ quæſtoriæ (1), eum literis ac bonis artibus operam dediſſe Patavii, comitem additum Duci Somerſetano Domino ſuo. Nec minus id ipſum conſtat ex epiſtola, quam ipſe ſcribit Auguſtino Juſtiniano Societ. Jeſu Theologo ac Theologiam profitenti Patavii, cui gratulatur olim amico moram in eruditiſſima civitate, in qua ipſe Magnum illum Mercurialem biennio audierat, qui non ante an. MDLXIX. docere Patavii cœpit (2). Non eſt brevitatis, quam profitemur, hìc dare tanti viri acta. Ea complexus eſt Thomas Sotthuellus juſto libello (3), quem vidi olim MS. apud Danielem Bartolum, nunc editus eſt. Eadem compendio delibat Allegambe (4), breviuſque ſignantur inſcriptione tumulo ejus additâ in templo collegii Anglicani Romæ, quam aucturam gymnaſii noſtri decus apponimus.

D. O. M.
Patri Roberto Perſonio
Anglo Somerſetano,
Societatis Jeſu
Sacerdoti integerrimo atque doctiſſimo,
Et hujuſce Collegii Optimo Moderatori,
Qui ad animi Cultum ac ſtudium Pietatis
Ad Angliæ converſionem Collegiorum
Domiciliis ac Diverſoriis per Opportuna loca
Quà per illum ex integro reſtitutis
Quà locupletatis
Ab ipſa magnæ ſpei convocavit, magnis
laboribus inſtituit Juventutem Hiſpali
Valliſoleti, Gadibus, Uliſſipone, Duaci
Audomari, Romæ.
Quo duce, ac Socio Pater
Edmundus Campianus
Catholicæ Reipublicæ
Propugnator Acerrimus
In Angliam primus ex Societate trajecit,

Quoque

(1) ad An. 1570. & ſeq. (2) Tomaſ. Gymn. lib. 3. c. 10. p. 298.
(3) Vit. Roberti Perſonii Societ. Jeſu. (4) Biblioth. Societ. Jeſu p. 412. 414.

Quoque Vindice
Et Patrono Veritatis hoſtium paſſim exagitata
Temeritas libris, ſcriptis, ſermonibuſque literis
Exemplis defenſa religio, recreata Sanctitas
Cum ipſe inter hæc nullam carperet Quietem
Conceſſæ quietis, nullum à ſuo capite recuſaret
Diſcrimen honeſtiſſimæ defenſionis
Semper paratus, ſemper erectus
Semper mediam flammam periculoſiſſimæ
Concertationis irrumpèns, Magnæ Animæ
Prodigus omnino Vir
LXIV. explevit Annos
Ex queis ſex & triginta in Societate Jeſu
Per omnia Virtutis
Exempla tranſegit,
Obiit XV. Aprilis MDCX.

Edita ſunt variis typis, quos Allegambe recenſet hæc ejus opera.

Epiſtolarum libellus, in quo eminet Epiſtola de Perſecutione Anglicana.

Reſponſio ad Edictum Reginæ Angliæ.

Quæſt. duæ de Sacris alienis non adeundis.

Rationes cur Catholici ſe excuſent non adire Eccleſias hæreticorum.

Detectio Jo. Nicolai Cambrobritanni, qui ſe Jeſuitam ſimulabat, paratum renunciare Eccleſiæ liber I.

Cauſa adventus ſui in Britanniam ad Meſſem Anglicanam, & Certamen diſputationum Proteſtantibus oblatum.

Cenſura in libros CarKi, & Hanmeri Miniſtrorum.

Defenſio Cenſuræ ejuſdem. Directorium hominis Chriſtiani.

Contra librum Franciſci Haſtingi Equit. Aurati.

Modeſta Admonitio ad eundem Equitem.

Liber I. de Peregrinatione. Liber I. de tribus Angliæ Converſionibus.

Contra I. Partem Kalendarii Foxiani. Item contra Partem II.

Relatio Colloquii habiti inter Epiſcopum & Philippum Pleſſæum coram Rege Galliæ.

De X. diſputationibus publicis Oxonii habitis ſub Eduardo VI.

Apologia pro Archipresbytero, ſeu Hierarchia per Clem. VIII. in Anglia inſtituta. Manifeſtatio diverſorum Spirituum.

Contra Edmundum Coquum Advocatum Regium Angliæ.

Tractatus de Mitigatione erga Catholicos in Anglia contra Mortonum Miniſtrum Calvinianum libri III.

Defenſio ejuſdem Tractatus contra eundem.

Judicium Viri Catholici de Apologia Regis Jacobi pro Juramento Fidelitatis.

Contra Bartloum Pſeudo-Epiſcopum Lincolnienſem circa Juramentum fidelitatis. Relatio de aliquibus Martyribus in Anglia.

CLXXXII. ANTONIUS RICCIARDUS Brixienſis claruit circa finem ſæculi XVI. 1610
Humaniotibus literis operam dedit Patavii ſub Bonamico & Robottello (1), cui ſuit addictiſſimus, quippe ex eo non cultiorem dumtaxat ſapientiam hauſit (2), verùm etiam Philoſophicas inſtitutiones & penitioris eruditionis amorem ac ſtudium. Redux in patriam tanti habitus eſt (3), ut nondum major anno triceſimo Aſylum ad Eloquentiam docendam amplo ſtipendio conductus fuerit, undè poſtea Brixiam revocatus ibi Philoſophiam & Rhetoricam docuit frequentiſſimos auditores, quorum laudibus fama ejus & eruditiſſimum nomen tota Italia percrebuit (4). Vixit valetudine ad extremam uſque Senectutem robuſtiſſimâ, obiitque Brixiæ an. MDCX. octogenario major.

Edita ſunt latinè.

Symbolicorum Commentariorum Volumina II. quibus explicantur Arcana ad Myſticam, Naturalem, & occultam Rerum ſignificationem.

Diſſertationes Italicè tres. De Angelis, de Homine cognoſcendo, de Hiſtoria Auriflammæ.

Hiſtoria Aſyli, liber de Præſtantia linguarum, quo contendit oſtendere Cimbrorum linguam nobiliorem eſſe Hebraica.

CLXXXIII.

(1) Bonam. Epiſt. 8. in calc. (2) Robort. Epiſt. 6. (3) Ghilin. Vol. 1. p. 19.
(4) Vid. Octav. Rubeum Elog. p. 440.

1610 CLXXXIII. JACOBUS ZWINGERUS natus eſt Baſileæ Theodoro Medico patre noto ex opere Theatri Vitæ Humanæ, aliiſque laudatis à Thuano (1), & recenſitis à Teiſſero (2). A Petro Ramo è ſacro fonte ſuſceptus Fidejuſſorem à teneris unguiculis Calvinianorum dogmatum habuit in ipſo baptiſmo nullius religionis hominem & ob eam cauſam extorrem à Gallia. Studiorum causâ diu vixit Patavii ab anno ſcilicet MDLXXXV. ad an. MDXCIII. ut notant alba quæſtoria, & ſcribit Freherus (3), Auditor ſedulus fuit in Philoſophicis Jacobi Zabarellæ, in Ethicis Franciſci Piccolominei, at in re medica, præter Horatium Augenium, Herculem Saxoniam præceptorem præcipuum habuit, ab hoc uſque adeo dilectus, ut niſi diverſitas religionis interceſſiſſet, adoptare illum & ampliſſimi patrimonii hæredem inſtituere cogitarit. Poteſtate lauri apud ſuos obtinendæ impetratâ apud hos ad gradum doctoris provectus eſt, docuitque publicè linguam Græcam, atque Homeri Poemata eleganter interpretatus eſt. Privatim præcepta Medicinæ ſtudioſis frequentibus tradidit: pari ſtudio priſcos Medicos atque Chymicos recentiores ſectatus, propenſior in hos fuit, quorum myſteriis imbutus eſt à Gullielmo Aragoſio trium Regum Galliæ, ac demum Maximiliani Cæſaris Medico, & in arte Spargirica verſatiſſimo, qui Zuvingerum & artis ſuæ, & facultatum omnium moriens an. ętatis XCVII. hęredem ſcripſit. Pręfuit deinde noſocomio Baſileenſi gratis per annos multos, ſed peſte Baſileæ graſſante, dum alios curat, ipſe illâ correptus die ſeptimo pręeunte uxore obeuntem virum, interiit an. MDCX. ętatis XLI. Edita ſunt ejus hęc opera.

Examen Principiorum Chymicorum ad Hippocratis, Galeni, cæterorumque Græcorum & Arabum conſenſum.
Phyſiologia. Etymologicum Gręcum Magnum.
Comment. in librum Galeni de definitionibus Medicis.
Analyſes in Epiſtolas Pauli. Formale Precum. Catechiſmus Religionis Chriſtianę.
Theatrum Patris Meditum expolitum & auctum.

CAPUT XL.

Antonius Poſſevinus. Fabius Gliſentius. Franciſcus Ulmus. Erneſtus Sonerus. Hieronymus Podovovius. Iacobus Cavacius. Fabius Pacius.

1611 CLXXXIV. ANTONIO POSSEVINO Mantuæ nobili genere nato à prima ætate tantus ſciendi ardor inhæſerat (4), ut cùm ad quietem ſe noctu componeret, tibiam ad lecti columellam alligaret, ut, ubi primùm ſe à ſopore primo commoviſſet, eo veluti monitore excitatus, ad ſtudia ſurgeret. Hinc illi deinceps conſuetudo, intempeſtâ nocte, quietis horas aliquot curis graviſſimis dandi. Literarum tyrocinio in patria poſito Patavium venit, ubi apud Gagliardos Patavinos patricios diu habuit liberale ac peramicum hoſpitium, ut ipſe teſtatur (5). Aſſiduus Profeſſorum auditor liberales diſciplinas, Philoſophiam, aliaſque celeri curriculo emenſus eſt, atque ingenii præſtantiâ, & naturæ ad ſapientiam natæ cultu pertinaci ditiſſimum ſibi Gręcę Latinæque eruditionis cenſum ſepoſuit. Regreſſus Mantuam ex doctrina multiplici, quam pietas & modeſtia condiebant, ſpectabilis omnibus, Principibus quoque ſuis cariſſimus fuit; præſertim Herculi Card. Gonzagæ, à quo S. Antonii ad Foſſanum Præceptoriâ donatus eſt, ſpeſque illi addita majorum dignitatum non anceps; hanc tamen deſiderium arctiùs ac laborioſiùs devovendi ſe Deo diſcuſſit. Cum hoc aliquandiu luctatus, tandem ſuccubuit, ac veteris amici Leonetti Gagliardi, qui commodum Societati Jeſu nomen dederat, exemplo ſtimulatus, ad idem propoſitum adjecit animum, votumque ad idipſum concepit coram auguſtiſſimâ Euchariſtiâ, ſimul atque nepotibus ſuis, undè ſtudia literarum proſequerentur, providiſſet. Verùm tunc ſtatim increpitus interiore Numinis voce, quaſi de Providentiâ divinâ dubitaſſet, rejecta conditione voti concepti, pollicitatione liberrima ſe obſtrinxit, adjecitque ſe nec gradum honoris ullum nec ſacerdotiorum emolumenta recepturum. Migravit exindè Patavium, undè cum Leonetto Gagliardo admiſſus à Lainio an. MDLIX. Romam venit annos natus XXVI. Vix illi licuit inire ſtudia Societatis. Nam poſt annum à tyrocinio depoſito ad Subalpinos coactus proficiſci, ut res ibi ſuas componeret, bellum gerendum ſuſcepit cum hęreticis, qui undequaque Allobrogas, Provinciam, & Galliam Ciſalpinam miſerrimè funeſtabant. Hos utrobique, & Lugduni deinde concionando, ſcribendo, diſceptando ſuſtinuit adeo, ac repulit, repreſſitque, ut non ſemel capitis diſcrimen adierit.

(1) In Elog. apud Teiſſer. Tom. 2. p. 163. (2) ibid. p. 164. (3) Tom. 2. P. 3. p. 1324. 1325.
(4) Allegamb. Biblioth. Societ. Jeſu à p. 41. (5) Epiſt. ad Leonettum Gagliard.

Digitized by Google

adierit. Sacris tunc eſt initiatus, verſatuſque integro decennio in Galliâ tunc bellorum errorumque procellis jactatâ, Pariſiis, Avenione, Rhotomagi, Diepæ, Bajonæ, & alibi ſummâ cum nominis celebritate concionatus eſt, ac Petrum Viretum ſacri Minorum Ordinis deſertorem, provocantem quoslibet orthodoxos inſolentiſſimè, publicâ diſputatione compeſcuit, & amare ſilentium coegit. Interfuit poſt hæc comitiis, in quibus Everardus Mercurianus ad generalem Societatis præfecturam evectus eſt; iſque eum Societati à Secretis dixit. Quo munere quinquennio functus, à Gregorio XIII. graviſſimis legationibus adhibitus, bis ad Joannem II. Regem Suecorum, bis ad Joannem Baſilii Magnum Moſchorum Ducem, & Stephanum Sarmatiæ Regem, bis itidem ad Rodulfum II. Imperatorem legatus Pontificius de maximis egit. Nam & Suecum prope ad orthodoxam religionem retraxit: Regem inter Sarmatiæ, & Imperatorem Moſchorum pacem compoſuit, & apud Cæſarem eâ gratiâ fuit, ac valuit, ut illi præſertim tribuenda ſint, quæ bono publico ſeminaria, & collegia decreta, erecta, inſtituta ſunt in Germania. Decennium his legationibus impendit, ex quibus redux, & ut ex rebus benè geſtis apud omnes clarus, ita ætate ac laboribus fractus, eruditam quietem reſpexit, atque otium literis impendendum obtinuit; vacavitque his egregius ſenex ſedulò, expenſas ad biblicam ſupellectilem ſuppeditante Romano Pontifice, ſcribendis edendiſque tot voluminibus, quorum qualem qualem ſyllabum ſubjicimus. Diem clauſit Ferrariæ anno ætatis octavo & ſeptuageſimo, Chriſti MDCXI. IV. Kal. Martii. Scripſerat antequam ſe Societati adſcriberet, *Epiſtolam de Honore ad Claudium Maloperam, & librum de rebus ad Honorem pertinentibus, deque modo revocandarum ad concordiam rixarum*: atque ex utroque opuſculo, quod Paravii conſcripſit, notus eſt diſceptantibus pluſquam religioſè de honore læſo inter Nobiles. Societatem profeſſi hæc opera ſunt Italica quidem,

De Sanctiſſimo Euchariſtia & Miſſa Sacrificio.
Reſponſio Petro Vireto & tribus aliis hæreticis.
Miles Chriſtianus pro Militibus à Pio V. contra hæreticos miſſis in Galliam.
Vita & Mors Sereniſſ. Eleonoræ Archiducis Auſtriæ Mantuæ Ducis.
Vita & Mors Ludovici Gonzagæ Nivernenſium Ducis.
Cauſæ & remedia Peſtilentiæ, Latina, ut & ſequentia.
Epiſtola de Rebus Suecicis, Livonicis, Moſcoviticis, Polonicis, Tranſilvanicis.
Reſponſio data Regi Septentrionis, qui in Fide Catholica voluit inſtrui.
Adverſus Anglos Mercatores aſſerentes Papam eſſe Anti-Chriſtum: Scriptum Magno Duci Moſchoviæ traditum.
Rejectio Impoſturarum Davidis Chytræi de Statu Eccleſiarum hodie in Græcia, Aſia, Africa, Hungaria, Bohemia.
Atheiſmus Hæreticorum hujus Sæculi.
Theologia Catechetica de rudibus, pueriſque in Catechiſmo inſtituendis.
Notæ divini verbi: & Apoſtolicæ Eccleſiæ fides & facies adversùs Reſponſionem Davidis Chytræi.
Judicium de quatuor Scriptoribus Philippo la Nua, Joanne Bodino, Philippo Mornæo, Nicolao Machiavelli.
Judicium de Confeſſione Auguſtana, Deſiderio Eraſmo, Act. Picardic. & num admittendi ſint Hæretici ad Colloquium de Fide.
Epiſtola ad Stephanum Bathoreum contra Andream Volanum Lutheranum.
Explicatio brevis Evangeliorum totius Anni.
Epiſtola ad Genevenſes de Actis Apoſtolorum.
Monita Salutis.
Bibliotheca ſelecta libri XVI. Opus ad rationem ſtudiorum & omnes diſciplinas utile & neceſſarium, maximi ſemper habitum ab Eruditis.
Apparatus Sacer Volumina III., cella penaria ſacræ Eruditionis omnifariam.

Horum omnium Elenchum exhibet Allegambe, apud quem eorundem editiones variæ proponuntur (1).

CLXXXV. FABIUM GLISENTIUM natum Veſtone in Valle Sabbiæ agri Brixienſis 1611
Medicum ſæculo XVII. Venetiis celeberrimum noſtrum gymnaſium erudivit (2), & ad praxim Medicam doctorem, tum in Philoſophia, tum in Medicina miſit. Summâ & felicitate & famâ arte Iatricâ functus, ſed Philoſophiæ maximè deditus, ex illa opes, ex hac nominis immortalitatem ſibi comparavit doctiſſimis libris, tum latinè, tum italicè conſcriptis & editis. Vitam Venetiis poſuit circa an. MDCXI. quo ponitur ab Octavio Rubeo de eo hæc, quæ dedimus, tradente (3) an. MDCXX. Ejus opera ſunt.

Latina. *In quinque Prædicabilia Porphyrii.*
In ſex Principia Gilberti Porrectani.
In libros Ariſtotelis Prædicam. Perihermen. Prior., & Poſter. per Methodicas diviſiones breviſſima Comment.

Italica.

(1) ibid. p. 42.43. (2) Rubeus Elog. p. 445. Ghilini Theatr. Vol. 2. p. 74. (3) in Elog. Brix. p. 445.

Italica.

De ratione contempta. Fabula Tragica Moralis. Juſta Mors.

Mors amatoria. Androthous, ſive de homine innocente.

Diligens, ſeu ſollicitus. Incurioſus ad curam revocatus.

Caſus Ethicus. Andrius, ſive de homine virili. Nundinę Vitę humanę.

Diſſertationes V. inſcripta. Horridi & formidandi Inferi.

Theatrum viventium & Triumphus Mortis Partes duæ.

Athanophilia, ſeu Mœſtitia ob metum Mortis Dialogi V.

Sarcodynamia, ſeu de Potentia Carnis.

1612 CLXXXVI. FRANCISCUM ULMUM oriundum Bergomo Brixia tulit. Patavii ſtuduit, indeque laureatus doctor diſceſſit (1). Medicinam feliciter fecit in patria (2), atque alteri parti Apollineæ artis alteram addidit Poeta clarus. Obiit ſenex in Solo natali cum triduo tantum decubuiſſet an. MDCXII. ut conſtat ex ejus opuſculis. Quare fallitur ex Rubeo Ghilinus (3), qui ſignatum ab illo tempus, quo floruit, emortualem exiſtimavit. Edita ſunt Italicè hæc ejus opuſcula.

Liber de Occultis Proprietatibus.

Vita Fontanę cum Epiſtolis XX. ad eum ſcriptis.

Significationes Velleris Aurei, Ode Pindarica.

Conſiliorum Medicinalium ad petitionem Italorum Principum Volumen ingens.

Invectiva adverſus Tranſalpinorum funeſta Convivia.

Latinè.

De Occultis in re Medica Proprietatibus libri IV.

De certa ratione judicandi ex Urinis libri IV.

1612 CLXXXVII. ERNESTUS SONERUS Norimbergenſis, honeſto & nobili patre natus Altorfii prima literarum fundamenta jecit, ibidemque ſumma cum Doctorum & Profeſſorum laude Ariſtoteli addictiſſimus hujus placita publicè tutatus eſt, ac propterea ſummum in Philoſophia gradum honoris aſſecutus, poſtquam Phyſicas difficultates meditari cœpit, nobilium adoleſcentum præceptor, & itinerum comes Belgium, Angliam, & Galliam peragravit, inde luſtrata Italiâ Patavium venit, atque omni alacritate cœptum olim Medicinæ ſtudium proſecutus ſummorum in ea ſcientia luminum, quæ in hoc noſtro gymnaſio præ reliquis clarebant, doctrinâ ad Theorices ac Practices plenam notitiam pervenit, Philoſophiæ verò penitus arcana pervaſit. Reverſus ad ſuos doctoris titulum meruit Baſileæ Rauracorum, ſtatimque à Medicis Norimbergenſibus in collegium adſcitus eſt, cujus gloriam auxit par collegis ſapientiâ, felicitate curationum major. Quamobrem accerſitus Altorfium privatim Logica & Metaphyſica docuit aliquandiu, mox etiam ſeptennio integro publicè, ad annum ſcilicet emortualem, vitæ verò XXXIX., quo anthrace peſtilenti percuſſus IV. Kal. Novemb. expiravit. Hæc ex oratione funebri Georgii Richteri Freherus (4), ex quo edita Erneſti opera damus.

Diſputatio de Malancholia extat Decad. 3. Diſp. Editar. Baſileæ.

Diſputationes de Materia prima, de Motu, de Iride cœleſti. Edita in Philoſophia Altorfina.

Epiſtola Medica. Extant in Ciſta Medica Jo. Hornungi.

Oratio de Inſomniis edita Altorfii.

Orationes de Vita Contemplativa, & de Theophraſto Paracelſo, ejuſque pernicioſa Medicina. Edita Norimbergæ.

Commentarius in Metaphyſica Ariſtotelis. Editus Jenæ.

1613 CLXXXVIII. HIERONYMUS PODOVOVIUS nobilis Cracovienſis in catalogo Polonorum ſignatur ab anno MDLXXI. ad an. MDLXXIV. quo doctor Theologiæ & Philoſophiæ renunciatus eſt. Satis imbutus minoribus diſciplinis in patria in Italiam venit, hæſitque Patavii detentus fama Joannis Cephali, quo præceptore ac juris interprete aliquandiu uſus eſt. Vertit deinde ſe ad alias diſciplinas, ac Juriſprudentiæ vale dixit. Nam & Aſtronomiæ navavit operam ſub Petro Catena (5), & Sacræ Theologiæ Divinarumque Paginarum ſecreta ſcrutatus eſt, audito Hieronymo Quaino eorundem interprete. Reverſus ad ſuos tot doctrinarum ornamentis inſtructus (6), receptus eſt ſtatim in eorum claſſem, qui à Secretis Regiis erant in aula, præfectuſque rerum publicarum adminiſtrationi, à qua ut ſe ſe aſſereret, cum Sacræ militiæ nomen dediſſet, optatis excidit, noviſque ſe oneribus obligavit. Nam in Canonicum Cracovienſem cooptato unà munus Archipresbyteri fuit impoſitum. Claruit tot inter officia non ſolùm ex legum notitia, ſed maximè ex acumine Philoſophico,

& gravitate

(1) Matric. Brixien. in Aula Quæſtor. (2) Rubeus Elog. p. 482. 485. (3) Theatr. Vol. 1. p. 59 60. (4) Tom 2. P. 3. p. 1328. (5) Tomaſ. in Chrono. ax. Gym. ad An. 1571. (6) Ghilin. Theatr. Vol. 2. p. 154. 155.

& gravitate Theologicâ, quibus adjecit officioſam in rebus pertractandis, ac ſtrenuam induſtriam, ſummumque ſtudium otii literarii. In hoc nimirum conſenuit, mortalitatemque plenus dierum explevit Cracoviæ an. MDCXIII. Conditus eſt in templo Deiparæ Virgini dicato ad ſorum Cracovienſis Eccleſiæ. Scripſit Latinè

Inſtructionem Confeſſariorum: Doctrinam circa Agonizantes.
Manuale Sacramentorum. Frænum in Hereticos.
Sermones de Dignitate Sacerdotali; de Cœna Domini; de Reſurrectione; Chriſtologiam.

Patrio Sermone.

Catechiſmum. Indicem in Biblia. Liturgiam.
De Icone D.V. Geſtochovia. De Sacramento Euchariſtiæ miro modo invento Poſeni in urbe Polonia.
De D. Caſimiro. Orationem in funere Stephani Regis.

CLXXXIX. JACOBUS CAVACIUS nobiliſſimâ inter Patavinos familiâ, quæ noſtrâ 1613
ætate in Leonia Comitum Sanguineti deſiit, à puero ſanctè ac liberaliter educatus, imbutuſque honeſtiſſimis diſciplinis à Riccobono (1), adoleſcentiam, & reliquum vitæ Deo dicavit in præclariſſimo Monachorum D. Benedicti ordine, ac cœnobio S. Juſtinæ. Ibi honeſtam & laudabilem à ſeverioribus diſciplinis animi relaxationem quærens humanioribus, quibus inſueverat, ſtudiis utiliſſimè operam impendit eâ exitûs felicitate, qua nemo, ut arbitror, initio ſæculi XVII. utiliùs & glorioſiùs. Nam ſcripſit Elogia Anachoretarum; mox elegantiſſima latinitate, ſobrio ſtylo, & gravi Hiſtoriarum cœnobii S. Juſtinæ libros VI. quibus Caſſinenſis Congregationis originem, & plurima ad urbem Patavinam ac populos finitimos attinentia complexus eſt nitidiſſimè, eruditiſſimè. Rem aggreſſus ab an. LXIX æræ communis deſinit in annum MDCI. Quo anno deceſſerit, nobis incompertum eſt. Vivebat an. MDCVI. quo ſuum opus dicavit Friderico Borromæo Card. Archiepiſcopo Mediolanenſi; at an. MDCXIV. inter vivos minimè fuerit. Eo enim ſcribere cœpit de urbe Patavina Portinarius (2), qui eum recenſet, videturque vivorum numero eximere.

CXC. FABIUM PACIUM nobiliſſimâ gente, de qua Tomaſinus (3) latè, progenuit 1614
Vicentia Julii Juriſconſulti celeberrimi germanum fratrem fratre non minorem in re medica. Hanc cum reliquis liberalibus diſciplinis Patavii didicit gymnaſii noſtri ſeptennio integro alumnus, & auditor aſſiduus Mercurialis (4) & Paterni. Inde redux Vicentiam Philoſophiæ ac Medicinæ doctor anno MDLXXV. artem Medicam feliciſſimè ab omnibus expetitus exercuit; atque unà ſubceſivis horis, quas perpetuis morborum curationibus ſubducere licebat, Philoſophiam, & Medicinam amicorum rogatu domi ſuæ docuit, publicè verò Anatomen adminiſtravit. His eruditis laboribus, quos levabat ſæpiſſimè Muſarum deliciis, (in quibus aſſidue verſabatur, Academiæ Olympiæ collega præcipuus & Princeps, orator elegantiſſimus, eruditiſſimus declamator, & in pangendis carminibus argutiſſimus artifex) addebat medicas quoque lucubrationes, quibus Galeni ſcriptis lucem adjicere ſatagebat. In has conſtanter adeo incubuit, ut ne traductus Venetias, ſuadente Maſſatiâ profeſſore clariſſimo, aliiſque præſtantiſſimis viris illas neglexerit. Annalem Venetiis moram tranſegit, intra quam tria nummûm Venetorum millia confecit ex privatis mercedibus, quamvis hoſpes atque novitius. Tanta hominem fama virtutis venientem prævertetat, datura eidem præmia longè maxima, ſi Venetiis immorari diutius voluiſſet. Sed illum & amor otii literarii, & patriæ preces ac juſſa revocarunt poſt annum Vicentiam; quo in loco non eſt minuta ejus in re medicâ auctoritas, ſed increbuit tantâ cum famæ celebritate ut paſſim acciretur Venetias ad valetudinem præcellentium Senatorum: adiretur aſſiduè concurſu hominum conſilia medica expetentium, ſalutaretur datis epiſtolis, & Syngraphis obſequentiſſimis ab iis omnibus, qui artem Jatricam profeſſi Apollini & Hygiæ litabant. Horum nomina pluribus Tomaſinus enumerat, ex quo ſcimus Fabium honorario magno invitatum ad Ticinenſe gymnaſium, conditiones recuſaſſe, mille aureorum ſtipendio à Meſſanenſibus accerſitum, nec minore à Bononienſibus, hæc omnia ſtudio patriæ ac familiæ poſthabuiſſe. Extremos annos fertur SS. Patrum evolvendis commentariis impendiſſe, pernoſcendæque Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, tranſcurriſſe quoque ad caſtra Juriſconſultorum, ac de Fideicommiſſis aliqua conſcripſiſſe. Tandem decreto Venetæ Reipublicæ, quæ illum ad ſupremam Medicinæ Practicæ ſedem Profeſſorem aſcendere juſſerat, dum obſequi ſtudet, morbo ſontico correptus V. Idus Octobris an. MDCXIV. ſexageſimum ſeptimum annum ætatis agens conſtanter adeo vivere deſiit, ut morti vicinus de feneſtra Solis defectum ipſa hora XVIII. qua obiit, contemplari voluerit. Luxerunt amicum viri ſapientiſſimi, quos Tomaſinus nominat: filii doctiſſimum

(1) Riccob. Epiſt. 9. ad Cavacium. (2) lib. 7. c. 7. p. 275. (3) Elog. Tom. 1. p. 152.
(4) idem ibid. p. 160.

ſimum patrem tumulavere ad D. Michaelis Vicentiæ laudatum in funere ab Alexandro Maraſotto collega &. diſcipulo. Scripſit

Comment. ampliſſima in libr. VIII. Galeni de Methodo.
Librum I. Iliados Homeri, Diſſert. in laudem belli,
Orationem præmittendam Prælectionibus Patavinis.
VII. Pſalmos Pænit. Carmine Etruſco.
Volumen Carminum latinè & Italicè.

CAPUT XLI.

Ioannes Antonius Maginus. Franciſcus Vendramenus Card. Albertus RozieusKi. Io Baptiſta Perſona. Sebaſtianus Petricius.

1617 CXCI. JO. ANTONIUM MAGINUM Mathematicorum ſæculi ſuperioris facilè principem, Patavio, & Patavino gymnaſio debet Italia. Natus in hac urbe, Medicinæ primùm operam dedit, & ex hac doctor, Mathematicis diſciplinis, ad quas impellente natura jampridem toto impetu ferebatur, laborem omnem, ſtudium omne conceſſit, Auditor curioſus Petri Catenæ Veneti (1), mox Joſephi Moletii Meſſanenſis, quæ pertinent ad Geometriam, Aſtronomiam, & calculos Ephemeridum didicit. Ad Coſmographicas regulas inſtitutus eſt à Franciſco Barocio patricio Veneto, quo tunc publico Profeſſore Matheſeos, ſi vera tradit Riccobonus (2), gymnaſium diebus vacantibus utebatur. Peregrinatus deinde per annos aliquot, poſtquam inſigniores per Italiam Mathematicos audivit, omnium æmulus, & ad ſingulorum gloriam erectus, juvenis adhuc ad primam ſedem Matheſis Bononiæ accitus eſt; ſtatimque in admirationem ac plauſum exoticæ prorſus eruditionis pertraxit. Nam futura prædicebat, & erecto dierum natalium horoſcopo, his prolem ſexumque prolis, illis hæreditates, vulnera aliis, odia, exilia, res adverſas omnes prænunciabat tam certo vaticiniorum eventu, ut expurgatam nugis ac ſuperſtitionibus Aſtrologiam veritati conciliaſſe viſus ſit, præſertim cùm rerum hujuſmodi rationem oſtenderet edito libello, de legitimo Aſtrologiæ uſu in Medicina, additoque his, quæ ſcripſit in III. Hippocratis de diebus Criticis. Auxere Magini famam & gloriam novæ hypotheſes Aſtrologicæ ad Copernici obſervationes expoſitæ, editæque adverſùs Alfonſinas. Quod opus primas tulit initio ſæculi XVII. atque ita ſecundorum mobilium methodos, & periodos Canonibus Prutenicis adaptavit, ut Gregorii XIII, cui per id tempus corrigendis Kalendarii vitiis intento illud dicaverat, ſingularem ac planè regiam munificentiam promeruerit. Exinde Romam accitus inter præcipuos emendationis illius judices fuit; eodemque tempore pleriſque Italiæ Principibus, Mantuano præſertim, cariſſimus, extra ordinem ſtipendiis, muneribus & honoribus auctus eſt. Imperator Rodulfus II. eum ardentiſſimè optavit aulæ ſuæ, propoſitaque ingenti mercede ac titulis invidendis evocabat Vindobonam. Verùm ille, cùm rediſſet Bononiam, in reſtituenda Geographia, edendiſque, quos multos conſcripſerat, libris occupatus, ætatis ac laboris obtentu ire in aulam detrectavit. Tum Ptolemæi Geographiam commentariis uberrimis, emendatiſſimis tabulis videndam, legendam, & probandam expoſuit; converſuſque ad Italiam delineandam, eo in opere ſummâ, ſi quis alius, diligentiâ uſque ad extremum ſenium inſudavit. Nam laborum ejus ea deſcriptio ſupremus fuit, eoque in publicum dato mortalitatem explevit Bononiæ an. MDCXVII. ætatis LXII, quem pluribus, & ipſi, qui hæc narrat, quæ dedimus, Tomaſino (3), ſibi timendum prædixerat: funere elatus, conditus eſt in templo D. Dominici, adjecitque ſepulcro Roſſenus ejus diſcipulus hanc epigraphen.

D. O. M.
Io. Antonio Maginio Patavo
Qui è patria
Ad Supremam Mathematicarum
Sedem in Academia Bononienſi
Advocatus, cum multis Annis
Voce, & ſcriptis, quibus

Fulgebat

(1) Tomaſ. Elog. Tom. 1. p. 283-289. (2) apud Tomaſ. Gymn. lib. 3. c. 49. p. 339.
(3) ibid. p. 288.

Fulgebat doctrinæ radiis,
Univerſum pene Orbem
Illuſtraſſet
Tandem infeſtis Aſtrorum,
Solis ad Corpus Martis,
Quos ſibi prænoverat
Obtutibus concedens,
Maximum ſui poſteris
Reliquit deſiderium.
Vixit Annos XXXXXXI. Menſ. VII.
Dies XXVIII. Hor.I.
Obiit Anno MDCXVII. III. Idus Febr.
Sole currente prope Diametrum
Martis, & circa Hexagonum
Saturni.
Jo. Antonius Roffenus Philoſophiæ
Pub. Profeſſor,
Et Mathematicarum Scientiarum
Studioſus,
Ne tanti Viri famam
Tempus edax abſumeret,
Monumentum hoc ære proprio
D. C.
Anno Domini MDCXVIII.

Opera Magini edita.

- *Tabulæ ſecundorum mobilium libri II.*
- *Ephemerides ab Ann. MDLXXX. ad An. MDCXXX. Tomi III. cum Iſagoge ad Aſtrologiam, uſu Ephemeridum, præceptis ad Agriculturam &c.*
- *Theorica Planetarum ad Copernicanas Obſervationes cum Tychonianis.*
- *De Planis Triangulis liber I. Trigonometria Sphæricorum.*
- *De Dimetiendi ratione per Quadrantem, & Geometriam Quadratam libri V. cum Tabulis.*
- *Primum mobile contentum libri XII.*
- *Problemata Aſtronomica, Gnomonica, Geographica. Canon Magnus Trigonometricus cum Tabulis.*
- *Comment. in libr. III. Galeni de diebus decretoriis, & de uſu legitimo Aſtrologiæ in medicina. In Geographiam Ptolemæi, excuſa etiam Italicè.*
- *Expoſitiones in Tabulas XXXVII. Geographicas recentiores mundi.*
- *Nova Italiæ Figura æneis formis impreſſa.*
- *Italiæ Regiones Principatus, & Civitatum Agri geographicè delineati cum Tabulis LX.*
- *De directionibus Tabula latinè & Italicè iterùm recuſa ad Correctionem Tychonis. Quadrantis Directorium & Quadrans Horarii Planetarum.*
- *Supplementum Ephemeridum ac Tabularum Secundorum mobilium, ad obſervationes Tychonianas, & de Medianorum differentia cum Reſponſione ad David Origanum.*
- *De Metopoſcopia libri II. De Nevis Tractatus ſub nomine Cyri Spontoni.*
- *Confutatio Diatribæ adverſùs Joſephum Scaligerum de Æquinoctiorum præceſſione, & alia ad Mathematicas ſpectantia.*

CXCII. FRANCISCUM VENDRAMENUM Cardinalem collègio Theologorum Patavino adſcriptum tradit ex monumentis ejuſdem collegii Salomonius(1): quare clariſſimis alumnis gymnaſii noſtri annumerandus eſt. Venetiis genitus ex ea familia nobili, (2) quæ intra annos nonaginta ſeptem, & adſcripta patricio ordini Rempublicam geſſit, & Andream Venetorum Principem habuit, Franciſcus publicis magiſtratibus admotus plures obiit legationes in Subalpinis, in Hiſpania, Galliæ, Germania, & Romæ poſtremam, undè redux in patriam, ab hac, cum abſens ageret ruri, ſuis ſacris præfectus eſt Patriarcha Venetiarum: quem deinde Paulus V. itidem abſentem vocavit ad purpuram (3) 1619

(1) in Collect. ad Inſcrip. Gymn. (2) Ughel. in Serie Patriar. Venet. (3) Oldoin. ad Ciacc. Tom. 4. p. 432. & ſeq.

ann. MDCXV. quo Romam proſectus accepit digniratis inſignia, ac de more obſequiis aulæ perſunctus rediit ad ſui gregis cuſtodiam, cui vel ex eo memorabilis erit, quod thaumaturgam imaginem Deiparę Virginis è privatis ædibus in ornatiſſimum templum S. Mariæ, quæ Formoſa dicitur, ſolemni pompâ tranſtulerit. Obiit Venetiis ab acceptâ Purpurâ nondum exacto quadriennio III. Nonas Octobris an. MDCXIX. Jacet in templo ſancti Petri ſine titulo.

1619 CXCIII. ALBERTUS ROZIESZEUSKI præter quam quòd ex albis Polonorum (1) Alumnus noſtri gymnaſii eſt, ipſe ſe hìc ſtuduiſſe, auditoremque fuiſſe Bernardini Paterni Medici lycæo noſtro notiſſimi, & Franciſci Piccolominei Philoſophorum principis, profitetur (2). Natus eſt (3) BotKoW in pago Maſoviæ & Palatinatu Plocenſi. Tricenario major in patriam reverſus nomen dedit Societati Jeſu, in qua, ubi diſciplinis, quas hìc didicerat, nervos Theologicos addidit, primùm quidem humaniores literas, mox Philoſophiam profeſſus eſt, tandemque Theologos etiam docuit ingenti cum laude. At cum facundiſſimè diceret, ab exedra ad roſtra ſacra traductus eſt, egitque præconem eccleſiaſticum per annos plurimos Poſnaviæ, Lublini, Cracoviæ, ſemper infeſtus hæreticis, contra quos editis lucubrationibus feliciter depugnavit. Harum paucas recenſet Allegambe (4), nimirum,

Librum adverſus Libellum Calviniani miniſtri contendentis Romanum Pontificem à Cacodæmone miſſum eſſe.

Diſputationem contra Fauſtum Socinum Arianum pro Eccleſia.

Orationem ad Senatum Polonicum, refellentem objecta Societati in Conventu Proſzvienſi, & Schedenſi.

Antirrheticum contra Calumnias Patroni Torunienſium adverſus Jeſuitas & aliud adverſus Andream Volanum data libello ad Clementem VIII. perſuadere conatum, ut ſe Pontificatu abdicaret.

Apologiam Polonicè pro Calendario Gregoriano contra Lateſium Mathematicum.

Obiit Sendomiriæ an. MDCXIX. ſexagenario major.

1620 CXCIV. JO. BAPTISTA PERSONA Bergomas cultiores (5) literas didicit Mediolani in gymnaſio Patrum Societatis Jeſu, ab iiſdem Philoſophię Polemicę ſibi arma paravit: atque his inſtructus Patavii Franciſco Piccolomineo doctore toto pectore dogmata Peripateticorum hauſit. Nomen ſecundùm hęc dedit Medicinę, reportatâque ex eâ doctoris lauro ſummus æquè Philoſophus atque Medicus cum in patriâ, tum Venetiis, aliiſque in urbibus Italię habitus eſt. Vitam in patria depoſuit circa an. MDCXX. Laudantur hæc ejus opera.

Comment. in libr. Galeni, cujus titulus eſt: Quod animi mores corporis temperiem ſequuntur.

Diſcurſuum Medicinalium liber I.

Scholia in Galeni libros de Vena ſectione adverſus Eraſiſtratum & Eraſiſtrateos.

Obſervationes XXXVII. adverſus Horatium Montaltum Societ. Jeſu pro libro de Veritate inſigniorum Herculis Taſſi.

Noctes ſolitariæ liber ſingularis, continens Colloquia LXX. de iis, quę ſcripta ſunt à Galeno in Odyſſea; congeruntur que multa Theologica, Phyſica, Metaphyſica, Geometrica, Aſtronomica, Phyſiognomica.

1620 CXCV. SEBASTIANUS PETRICIUS in hoc, quod ſibi vivens poſuit, cenotaphio ſe ipſum abunde deſcribit (6).

D. O. M. S.
Sebaſtianus Petricius illuſtr. Cardinalis
Maciejovii à conſiliis Medicus
Et itinerum comes, Profeſſor in Lycæo,
Philoſophus in Vita, Medicus in Morbis
Arcendis, Regno, urbi, Orbi, omnibus,
Scripto, exemplo, præcepto prodeſſe
Studui. Ariſtotelem Horatium noſtratem
linguam docui. Tyberim Rhenum Rhodanum
adii, Boriſthenem & hoſtem Moſcuam ſenex
Invitus bibi; neſcio an profui: hoc verè
dixerim fui: Vidiſti me, Hoſpes, perſpice

Seorſim

(1) ad An. 1583. & ſeq. (2) Antirrhet. adverſ. Andr. Volanum. (3) Allegamb. Biblioth. Societ. Jeſ. p. 10.
(4) loc. cit. (5) Calvus ſcen. liter. Script. Bergom. (6) apud Preher. Tom. 2. P. 3. p. 1324.

C A P U T XLI.

Seorſim Te. Vivis, ſi labore, & virtute
communi bono vivis, & vitam invitam
Mundum immundum putas, ſi hoc,
Ut minimum inquineris, curas. Mort. Anno Dom. . . . . Ætat. . . . . .

Cœterùm natus eſt Pilſnæ in Polonia prope Viſtulam fluvium in Palatinatu Sendomirienſi. Primas literas in patria, graviores in Cracovienſi gymnaſio didicit. Philoſophiæ ac Medicinæ ut pleniùs operam daret, fruſtra quæſitis in Belgio præceptoribus, Patavium venit, atque hic quadriennium verſatus, ut ex catalogis Polonorum conſtat, hinc itidem doctor laureatus diſceſſit, ut notat Simon Stravolſcius (1). Redux in patriam Macieſovicii Cardinalis comes itinerum, & Archiatrus fuit, deinde à Demetrio Moſchorum Principe accerſitus ad conſilia medica, in ejus aula aliquandiu pacatiſſimè vixit. Sed interfecto à ſubjectis Demetrio, poſt multa vitæ diſcrimina profugus, variâ fortunâ per itinera difficilia, ſalvâ crumenâ, evaſit tandem in patriam, ubi ſe quieti ſacrum dixit, ac perſcribendis hiſtoriis ſui temporis otium & calamum tradidit. Has perſequendas Joanni filio demandavit addito Hiſtoriographi titulo, quem, aſſignato ſtipendio, perennem in Academia Cracovienſi voluit. Floruit vir doctus circa an. MDCX. nec videtur vivere deſiiſſe ante annum ſæculi ejuſdem vigeſimum.

Politica, & OEconomica Ariſtotelis Polonicè tranſtulit.

Horatium annotationibus itidem Polonicis illuſtravit.

Remedium contra Peſtilentiam eleganter expoſuit.

Scripſit *Epigrammata varia*.

Pſalterium, Cochanovium æmulatus, reddidit Polonicè.

C A P U T XLII.

Meletius Pegas, Benedictus Baſelius. Andreas Chioccbus. Ælius Everardus Vorſtius. Hieronymus Lombardus. Andreas Eudæmonioannes.

CXCVI. MELETIUS PEGAS honeſto quidem genere, nec tamen nobili in Cre- 1620
ta, & metropoli Regni Cretenſis natus, ſub quodam Hieromonacho Blaſto gręcas literas didicit, in quibus, ſi quis alius profecit admodum, clarebatque in patria noſtra ex elegantia ſcribendi. Latinas quoque literas ibidem delibavit, quas ut pleniùs addiſceret, Venetias venit, indeque Patavium commeavit. Hìc Jacobi Zabarellę auditor, ut ipſe ſcribit(2), in rebus Logicis fuit, cępitque etiam Medicinę operam dare per annos aliquot; namque ſe inſignibus artis parabat, cùm territus decretis, quibus ſanciebatur, nè quis ad lauream doctoris reciperetur, niſi latinę fidei confeſſionem emitteret, exoſuſque quam ubique ferox inſequitur veritatem(3), iratus hinc abiit, ac redux in Cretam Monaſticam veſtem in Angarathenſi cœnobio, quod maximum in inſulâ & cęterorum caput erat, adſumpſit. Ibi porro clarere cępit doctiſſimus inter imperitiſſimos Monachos; mox & in urbe metropoli concionibus per famam & populum nobilis, & orator ſacer ſpectabilis omnibus. Addebat his priſcę linguę notitiam, ludumque in urbe aperuit, undè & pecuniam, & patrocinia, & nomen celeberrimum comparavit. Inde factum, ut Silveſtro Abbate Angarathenſi Alexandriam evocato, ipſe Vicarius datus, eidem ad inſulas Alexandrinas evecto Abbas fuerit ſuffectus. Eo in munere cùm pluries apud Cretenſem Metropoliten latinum offendiſſet, quà lites quaſdam importunè & inſolenter proſecutus, quà ſcriptis & diſſertationibus publicis nomine ſuppreſſo mores Latinorum inſectatus, in eas difficultates ſe ſe induit, ut ex inſula illi opus fuerit fugam capeſcere: ſeceſſitque Alexandriam ad Silveſtrum Patriarcham, à quo Cirenenſis Archiepiſcopus creatus, mox & Patriarchatum Alexandrinum accepit: quippe Silveſter abdicaverat ſe, atque in Montem Sinai ſeceſſerat, hoc ſibi ex Populi & Presbyterorum ac Pręſulum ſuffragatione ritè ſubſtituto circa ann. MDXC; nam Synodo Conſtantinopoli habitę adverſus Kalendarium Gregorianum ιβ. Φεβρουαρίου ζρα (4) Pridie Idus Febr. à mundi ſepties milleſimo centeſimo primo, qui ęrę communis an. MDXCII. reſpondet, interfuit Meletius,

(1) Elog. 100. Illuſtr. Poloniæ Script. (2) Epiſt. 1. ad Gneſem Baſilium (3) ibid.
(4) Doſitheus P. Tom. Charit. p. 547.

& Alexandrinus Parriarcha ſubſcripſit. Deinceps Latinis inſenſus, eorumque hoſtis acerrimus Grecas Eccleſias in Aſia & Europa pervagarus eſt in hos rabioſè declamans. Quid illi acciderit in inſula Chio; urque inde depulſus fuerit, ejus dicaciratem & furorem Grecis deteſtantibus, narrar Allatius occularis teſtis (1). Fuit poſt hec diu Conſtantinopoli, multaque nequicquam commentus, ur in inſulas Byzantinas invaderer, peregravit Bulgariam, Beſſarabiam, & Daciam utranque, ſed in Orientali, quam nunc Moldaviam appellant, verſatus diutiùs, familiaritatem arctiſſimam iniit cum Gneſe Baſilio Provincie Principe ſub clientelâ Turcarum. Ab hoc ditatus, rebuſque eum Legato Veneto Conſtantinopoli compoſitis, in Cretam rediit, ubi cœnobium S. Æcaterine pretioſis veſtibus ac vaſis aureis ad ſacrum miniſterium exornavit, tandemque redux Alexandriam ibi deceſſit circa an. MDCXX. Vir fuit eloquens, & munificus, ſed tumidus, & rixoſus, & iracundus, Photianorum acerrimus, at & Calvinianorum hoſtis, ſolitus aſſerere (2) à Latinis factorum novitate, ac dogmatum ſubtilitate univerſalem Eccleſiam inſici, ac perturbari, à Calvinianis impietate ſententiarum & atheiſmo eandem labefactari penitus, ac everti. Scripſit multa ſtylo elegantiſſimo;, vibratoque. Edite ſunt ejus *Epiſtola* Byzantii quidem, vel Cephalenie, ſed typis Londino advectis ſumptu Nicodemi Metaxe Cephaleni Metropolite. Inſcribuntur ad Gneſem Baſilium, ad Rhutenos, ad Gentes Greci ritus in Poloniâ. Agunt de Controverſiis Photianos inter & Orthodoxos, quorum ſententias de Proceſſione Spiritus S., de Primatu Romano, de Purgatorio, aliiſque notiſſimis convellere nituntur. Nec aliud audent, que manibus noſtrorum teruntur, nimirum *Catecheſis ad Gracos* Dialogo propoſita. *Tractatus de Controverſiis &c.* ad Gabrielem Philadelphienſem. Leges & alias ejus Epiſtolas, quas annoravi, de Rebus adiaphotis, *de Antiquitate Cœnobii Angarathenſis*, *de Menologio ejuſdem Cœnobii*. *Scholia* quoque *in Menologium Alexandrinum*, quibus errores per Coptitas hereticos in illud invectos expurgat.

CXCVII. BENEDICTUS BASELIUS Bergomas cognomento Medices, Bergomenſis
1621 agri, qua Vallem Brembanam continet, in vico Ruſpino natus, undè clariſſimam Mediceorum familiam Florentie ac Mediolani originem traxiſſe contendit creduli Scriptoris (3) Calvi laborioſa ſimplicitas, Mutio Poeta confiſa. Adoleſcens Bergomi bonis artibus excultus venit Patavium. Sedulus auditor Maſſarie, Aquapendentis, & Æmilii Campolongi, quorum in arte medica ſumma fuit in hoc noſtro gymnaſio laus, ita ſe ſtudendo, meditandoque laſſavit, ut phreneſim contraxerit: ex qua cùm brevi convaluiſſet, in doctorum Album relatus rediit in patriam, ubi mirâ felicitate atque omnium plauſu diu curandis morbis exercendeque Chirurgie operam dedit. Cùm exinde cooptari ſe in Medicorum collegium exoptaſſet, poſtulaſſetque, rejectus eſt, tum quòd aliquando deliraſſet, tum quòd in ſanandis vulneribus, ulceribuſque manum Chirurgicam preſtitiſſet. Accuſationi prime objecere ſe Patavini Profeſſores edito teſtimonio (4), quo confirmarunt, affectionem illam ex immodico ſtudiorum conatu illi contigiſſe, eoque citò aſſertum planèque ſanum ita in omni Medicine parte fuiſſe verſatum, ut non tantùm Bergomati collegio par viſus ſit, ſed etiam Profeſſorum Patavinorum cœtibus & muneribus. Secundam ipſe accuſationem ultus eſt peregregiè publicaris Apologiæ libris tribus, quibus doctiſſimè pugnat pro nobilitate Chirurgicâ. Obiit Bergomi an. MDCXXI.

CXCVIII ANDREAS CHIOCCUS Veronenſis integrum ſtudiorum curriculum emen-
1624 ſus apud nos, Philoſophiæ ac Medicinæ receptis inſignibus doctor Veronam remeavit (5). Ibi ea virtutis famâ ſalutarem artem exercuit, qua priſcis medicis par, recentioribus major, non unum Veronenſe collegium, in cujus album adſcriptus eſt, auxit, ſed & Veronam frequens fecit hoſpitium advenarum undequaque ad Medica conſilia ex Tranſpadanis præſertim & Ciſpadanis regionibus concurrentium. Arti, quam profitebatur, muſarum charites, & eruditionis opes adjecit, undè illi arctiſſima familiaritas eum clariſſimis tota Europa Scriptoribus, ſed ante alios eum Laurentio Pignorio Antiquariorum ſuâ ætate principe, ut ex hujus Epiſtolis conſtat. Vixit ad an. uſque MDCXXIV. quo ſenex Veronæ mortalitatem explevit. Scripſit multa, & quidem eleganter & eruditè. Quæ typis edita vidimus, hæc ſunt.

Comment. Quaſt. quarundam de Morbis mali moris, & Epidemici.
Quaſtionum Philoſophicarum & Medicarum libri III.
De Cœli Veronenſis Clementia liber.
De Collegii Veronenſis illuſtribus Philoſophis & Medicis &c.
Apologia pro divina Hieronj. Fracaſtorii V. Cl. Syphillide adverſùs Julii Caſaris Scaligeri Cenſuram.
Carmina de natura Balſami, & viribus juxta Dioſcoridis placita.

Extant Italicè aliqua, teſte Ghilino (6) quæ non vidimus.

CXCIX.

(1) de Conſenſ. libr. 4. c. 7. n. 9. p. 996. & ſeqq. (2) Coreſſ. Epiſt. ad Goar. 8. (3) Scen. liter. P. 1. p. 74. (4) ibid. p. 75. (5) Ghilin. Theatr. Vol. 1. p. 16. (6) ibid. pag. 17.

CXCIX. ÆLIUM EVERARDUM VORSTIUM Ruremundæ in Menapiis clarâ natum familiâ (1) Dordracum, deinde Lugdunum Batavorum humanioribus literis excoluit, inſtitutoribus Juſto Lipſio, & Bonaventura Vulcanio, Heidelberga & Colonia ad Philoſophiam & Medicinam initiavit, utramque illum Patavium perdocuit ſub Zabarella, Mercuriali, Capivaceo, & Aquapendente (2). Triennio his auditis, Doctoris nomen hîc, ut ex publicis monumentis conſtat, conſecutus profectus eſt Bononiam, iterumque ibi Mercurialem audivit, & immenſæ virum eruditionis Ulyſſem Aldovrandum, inde Ferrariam venit provocatus famâ Hieronymi Braſavolæ, & Alfonſi Cattanæi. Ab hoc commendatus Nicolao Grano Epiſcopo Anglonenſi in Calabriâ ad ſinum Tarentinum, apud hunc Medicus domeſticus fuit, viditque ac notavit accuratiſſimè, quæ ad antiquitates, mores, & rerum naturalium cognitionem ſpectantia eruditæ curioſitati prodeſſe poſſunt. Antiſtite mortuo, Querceti in agro Sibaritico hyemem tranſegit Pignatelli Marchionis cliens, à quo deductus Neapolim in ejus aula anno commoratus eſt, ac perluſtratâ Campaniâ tandem an. MDXCVI. ætatis XXXI. domum reverſus biennio Medicam praxim exercuit Delphis Meurſenſis Comitis honeſtâ mercede. Anno MDXCVIII. ad publicum docendæ Medicinæ munus evocatus Lugdunum Batavorum, verſatuſque præclarè in eo munere annos viginti ſex in eodem ſexagenario minor interiit an. MDCXXIV. (3) Edidit. 1624

Commentariolum de Anulorum origine præfixum Dactyliotheca Abrahami Gorlai.

Orationes Funebres duas anno MDCXVII.

Obſervationes rerum Memorabilium per Magnam Græciam, Japygiam, Lucaniam, Brutios, adiacenteſque regiones Comment. Hodeporicon.

Librum de Batavię Piſcibus.

Notas ad Cornelium Celſum de re Medica.

CC. HIERONYMUS LOMBARDUS patriciâ in Coloniâ Cretenſi familiâ natus, non ſanè filius, ut Salomonio placuit (4), ſed frater fuit Franciſci Lombardi doctoris & Equitis, qui an. MDLXXXV. Gymnaſiarches ſeu Rector Studioſorum juris notatur in elencho ſuperiùs in primo hujus operis tomo dato. Studuit cum fratre Patavii, atque hinc Philoſophiæ retulit laurum, ac redux ad ſuos muneribus & honoribus patriæ functus præclarè, an. MDCXXV. creditur deceſſiſſe ex ſyngrapha venditionis, quam habeo. Edidit juvenis doctiſſimum *de Natura* Commentarium complexum libros III. typis Laurentii Paſquati an. MDLXXXIX. 1625

CCI. ANDREAS EUDÆMONIOANNES ex traduce Imperatoriæ familiæ Palæologorum, traducto in Cretam inſulam poſt Byzantinum exeidium, Cydone natus eſt: à primis annis ſciendi avidiſſimus (5), ubi adoleſcere cœpit, ſublatis parentibus familiæ Eudæmonum poſtremus, patrimonio diſtracto cum Conſtantino Palæocappa conterraneo ſuo Patavium venit nondum legitimæ ætatis, atque hìc tandiu vixit, donec arte Rhetoricâ imbutus apprime eſt à Riccobono, cœpitque etiam ſub Piccolomineo ad Philoſophicas Meditationes inſtitui. Conſtantino Palæocappa mortuo, anno MDLXXIV. Romam cum fratre Conſtantini migravit, quò eum ſumma liberalitas Gregorii XIII. effuſa in exteras gentes evocabat, exceptuſque eſt à patrono beneficentiſſimo benigniſſimè: fuit autem inter alumnos collegii Græcorum Urbani libentiſſimè cooptatus. Nec tamen ibi diu vixit. Nam cum Societatis Jeſu, cujus Patavii frequentaverat Scholas, & inſtitutum ſummopere laudabat, ineundæ deſiderium inceſſit: obtinuitque quod optaverat anno MDLXXXIII. Claruit eximiè in Ordine omnium clariſſimo, habituſque maximus eſt in ea familiâ, quæ vixdum nata non niſi maximis conſtitit. Fuit enim non humanioribus modò, ſed omnibus omnifariam ſcientiis inſtructiſſimus; tantæ, tam variæ, tam profundæ ſapientiæ, ut Sfortiæ Card. Pallavicini judicio (6) difficilius ſit noſſe quid ignoraverit, quàm quid ſcierit, quæ pars doctrinarum diſciplinarumque illum fugerit, deprehendere, quàm quibus, quotque ſcientiis ac liberalibus & ſeverioribus ſtudiis imbutus ſubactuſque fuerit, recenſere. Vide, ſi vacat, ejus elogium apud Cardinalem eundem. Mirabere tanti factum Andream ab illo ingeniorum phœnice, &, quod caput eſt, acerrimo & libertimo ſapientiæ non ſuæ cenſore: ſed & hinc opportunè conjicies, quantus is fuerit, quem vir tantus inter ſapientiſſimos ſummatem exiſtimavit. Reipſa fuit linguæ utriuſque peritiſſimus, Theologus ac Philoſophus ſummus, qui pari cum laude Ariſtotelem Romæ, Patavii Doctorem Angelicum explanavit: qui ſtudiis Romanis præfuit, & ſacræ Inquiſitionis in Urbe à Conſiliis & Cenſuris datus, inter præcipuos mirâ & acrimoniâ ingenii & judicii præſtantiâ ſemper excelluit. Hæreticorum ſui temporis malleus, contra hos confutationem pleniſſimam & 1625

(1) Vit. Profeſſor Leyd. (2) Swertius in Athen. Belgicis. (3) Freher. Tom. 2. P. 3. p. 1340.
(4) in Collect. Inſcript. ad Gymn. (5) Eudæmon. Epiſt. ad Geraſimum Chiſam. (6) de Bono lib. 1. c. 2. p. 105.

eruditiſſimam apparabat, cui tamen exantlandæ ſuccubuit, morte potiùs præreptus, quàm mole, ut uſuvenit, operis immenſi deterritus. Extabant ætate meâ in ſecretiore conclavi bibliothecæ Romani collegii ad hoc opus ſepoſita Collectanea, tribus Voluminibus comprehenſa, & Græcè ſcripta. Quippe, quæ ſibi ad uſum deſtinabat, ſcribere Græcè ſolebat impoſito voluminibus titulo, Ταμεῖον τῆς Χάριτος, ἵνα μήτις τῶν βαρβάρων ἑαυτῷ σφετερίσηται τὰ περὶ ἐμῶν πονηθέντα. *Promptuarium ad uſum, ne quis barbarorum ſibi conciliet, quæ meis laboribus parta ſunt.* Ingenuè fateor, me hoc theſauro, qui maximè negligebatur, diſſectuſque jam ſpectabat interitum, profeciſſe, multa mihi utilia decerpſiſſe, quæ prætertim è Græcorum penu pro divina Gratiâ, quam *ſufficientem* appellant, & auxiliis, contra Neotericos faciunt; eaque nuper in Anaphoram, quam à me Orientalis Eccleſia poſtulabat, ad Janſenianorum dogmatum notitiam produxiſſe: multa quoque, quorum uſum habeo in iis, quæ allaboro pro Eccleſiaſticâ hiſtoria, in Menæis, Menologiis, & Synaxariis Orientalibus, ni mors tem obſtiterit, illuſtrandis. Præter hæc, quæ publicam lucem fugêre, multa adverſùs hæreticos conſcripſit Andreas, atque edidit latiniſſimo ſed præliari ſtylo, quem plerumque Græcum acetum exacuit.

Horum hi tituli ſunt (1).

Caſtigatio Lamberti Danai Calviniani Miniſtri pro Card. Bellarmini Controverſiis.

De Antichriſto libri III. adverſùs Robertum Abbatum Oxonienſem.

Epiſtola Monitoria ad Joannem Barclaium.

Apologia pro R. P. Henrico Garneta Anglo S. I. ad Actionem proditoriam Eduardi Coqui.

Confutatio Anticotoni adverſùs Calumnias ex occaſione cadis Chriſtianiſſimi Regis Gallorum, & Marianæ Sententiâ in P. Cotonum S. I. & Socios congeſtas.

Caſtigatio Apocalypſis Apocalypſeos Thomæ Brightmanni Angli.

Parallelum Torti & Tortoris ejus L. Ceſtrienſis pro Bellarmino.

Reſponſio acerrima ad Epiſtolam Iſaaci Caſauboni.

Reſponſio ad Caput IV. primæ Exercitationis Iſaaci Caſauboni, & ad Antilogiam Roberti Abbati adverſùs Apologiam P. Garneti.

Refutatio Exercitationum Iſaaci Caſauboni libri II.

Epiſtola ad Amicum Gallum, ſuper diſſertatione Politica Leidgreſſeri.

Extant etiam Epiſtolæ aliæ elegantiſſimè conſcriptæ græcè & latinè, quarum proliximæ duæ ſunt, altera Græca ad Geraſimum Palæocappam Chiſamenſem Epiſcopum, ex qua multa de illo, deque Collegio Græcorum tum Urbano tum Patavino collegimus, altera latina, ex qua excerpta eſt vulgata narratio de pio obitu Roberti Card. Bellarmini. Hujus Andreas fuit ſtudioſiſſimus & amiciſſimus, tanti à viro tanto habitus, ut ſine ejus conſilio nihil in Controverſiis conſtituerit ſuis, ſolitus hunc appellare ſocium ac nomenclatorem eſſe in re Dogmatica, cujus erúditione, & profunda in SS. Patribus lectione ſine periculo uteretur. Superſtes Bellarmino Romæ princeps Theologorum audiit, maximi habitus ab Urbano VIII., quo jubente jam ſenex Franciſcum Card. Barberinum Legatum à Latere Theologus legationis in Galliam ſecutus eſt (2). Inde regreſſus, fractis in itinere viribus, ubi Romam attigit, ſtatim decubuit, ac celeri fato ſublatus è vivis eſt an. MDCXXV. prope ſeptuagenarius, futurus certiſſimè Cardinalis, ſi quidem ſupervixiſſet. Nam mihi idem Eminentiſſimus Card. Franciſcus aſſeruit Urbanum VIII. Purpuram Eudæmonioanni deſtinaſſe, quam mors interceperit.

CAPUT XLIII.

Alexander Carrerius. Andreas Schottus. Joannes Nicolaus Doleonus. Lucas Caſtellinus. Alexander Brenzonus. Jo. Hieronymus Bronzerius.

1616 CCII. ALEXANDRUM CARRERIAM nobilem Patavinum, quamvis juris doctorem, & in collegium Juriſconſultorum cooptatum Alumnis artium annumeramus, quòd licet Juriſperitus, & Juriſprudentiam ordine profeſſus, ex artibus maximè, humanioribus nimirum literis, Philologia & Theologia claruit. Natus anno MDXLVIII. diſciplinas omnes in patrio gymnaſio vel delibavit non perfunctoriè, vel prorſus hauſit, exhauſitque. Doctor utriuſque juris & collega Patavinus ex laude ſcriptorum (3), quæ multa vulgavit ad majora clam palam adſpiravit: conſecutuſque fuiſſet

(1) Allegamb. Biblioth. Soc. Jeſu p. 26. (2) Allegam. & Pallav. ibid. & p. 204. (3) Tomas. Elog. Tom. 1. p. 365.

fuiſſet vir & probatæ ſapientiæ, & vitæ ad ſeveriorem morum normam exactæ, ni dicacitas obſtitiſſet, & cenſoria quædam mordacitas, qua ſe omnium Ariſtarchum profeſſus, ſine diſcrimine principes viros & amicos impetebat. Vix ergo, poſtquam ſe ſacris addixit, Sacerdotium obtinuit vitæ ſuffecturum, ac Præpoſitus templo S. Andreæ, gregi ſibi commiſſo vacare cœpit, adeo cæterorum ſecurus, ut oblatas non ſemel ingeſtaſque ſedes publicas modò Juris, modò Philoſophiæ, conſtantiſſimè iterum iterumque recuſaverit. Devexâ jam ætate, preſſus laborum pondere, animarum curam, ex poteſtate ſibi per Antiſtitem factâ, Vicario demandavit. Ipſe in amicum otium ſeceſſit, quod Patavinis hiſtoriis deſtinaverat; præſtititque hoc ipſum, quod ſepoſuerat ſeceſſui ſuo ſcriptis libris X. de geſtis Patavinorum, quos vidimus MSS., preſſos quidem, candidos & emendatos, ſed magna ex parte fabulis à credula vetuſtate propoſitis intertextos. Ei tribuitur, teſte Tomaſino (1), hiſtoria Henrici Calderii, & Thebaldi Cortelerii, idem enim ubique ingenium fabulandi, nec diſſimilis character ſcribendi ſe prodit. Extremum ætatis litibus & controverſiis implicitum domeſticiſque curis vexatum tranſegit, clauſitque prope octogenarius ictus apoplexi an. MDCXXVI. Sepultus eſt ad S. Andreæ in tumulo à ſe extructo. Epigraphen impoſuit nepris Lieta Montagnana. Hanc leges apud Tomaſinum (2) & Salomonium (3). Præter hiſtorias quæ ſcripſit hæc ſunt.

Latinè.

De Poteſtate Summi Pontificis libri II. à Gretſero, & Scherdio defenſi.

De Sponſalibus & Matrimonio libri V. ad Theologiæ magis quam Juris normam. Editi ſunt in Tractatibus Tom. 9. p. 61.

Defenſio pro libris ſuis de Sponſalibus adversùs Polydorum Sturnium.

Tractatus de Injuriis Theologicè, deque eorum remediis.

Reſponſio Apologetica pro Bartholomæo fratre ad objecta M. Antonii Peregrini.

Italicè.

Diſſertatio in Opera Danthis.

Palinodia de excellentia Operis à Danthe conſcripti.

De Somniis & Somno, & ex his Divinatione.

De eo an poſſint Metalla vera & ſimplicia Arte gigni.

Ex hac Gente Carreria, cujus Alexander poſtremus fuit, memoratur à Scardeonio (4), & Portinario (5) Petrus Medicinæ Profeſſor publicus Patavii, qui ſcripſiſſe dicitur Tractatum de Venenis, floruitque circa finem ſæculi XIV. & initium XV.

CCIII. ANDREAS SCHOTTUS natione Belga (6), natus Antuerpiæ, puer Lovanii 1629
Philoſophiæ operam dedit, ibidemque privatis auſpiciis Rhetoricam docuit. Patriâ per fœderatos direptâ Duacum venit, vixitque in familia Philippi Turquoini toparchæ; mox profectus Lutetiam, fuit ibi in familiam adſcitus Augerii Buſbequii, quem ſecutus apud exteras nationes, ægritudine corporis detentus Patavii triennio (7), ſe iterum Philoſophiæ diſcipulum dedit Franciſco Piccolomineo, audivitque Riccobonum aſſiduè, alioſque, ut ipſe ſcribit eidem Riccobono, victoriam de Sigonio reportatam gratulatus Epiſtolâ Toleto datâ (8). Juſſu enim patris ire in Hiſpaniam coactus, poſtquam à competitoribus multa paſſus eſt cum Matriti, tum Compluti, Toletum ſe recepit, atque ibi Græcarum literarum Sedem obtinuit agente Cardinali Quiroga Archiepiſcopo Toletano, cui tamen diu minime adhæſit: nam vocatus ad inſtaurandam Cæſaraugustanam Academiam à Petro Cerbina Turiaſonenſi Epiſcopo, in eâ Græcam & Latinam Eloquentiam, & Romanam hiſtoriam docuit. Quo tempore invitatus à doctiſſimo Antonio Auguſtino Tarraconenſi Epiſcopo apud illum biennio fuit; communicavitque literarum ſtudia cum ipſo ſummâ utriuſque utilitate, ſed majore Schotti, qui à pio Præſule pugnacem animum in Hæreticos hauſit. Hinc factum, ut cùm accepiſſet Antuerpiam occupatam à Calvinianis arctâ obſidione premi ab Alexandro Farneſio, voti ſe religione obſtrinxit, ingreſſurum ſe Societatem Jeſu, ſi contigiſſet, cariſſimam patriam cum Deo, ac Rege ſuo & Eccleſiâ orthodoxâ in gratiam redire. Ergo Antuerpiâ deditâ, reum ſe voti faſſus, poſtridiè Nonas Aprilis an. MDLXXXVI. ipſo Paſchatis feſto die ex ædibus Archiepiſcopi in ſinum Societatis commigravit, vir annorum triginta quatuor & jam tum Magiſter artium, ac ſacris initiatus. Valentiæ Editanorum deinde Sacras literas tractavit, docuitque profanas in Hiſpania Gandiæ, mox in Italia Romæ Oratoriam poſt Franciſcum Bencium triennio: quo exacto rediit Antuerpiam, docendoque & ſcribendo ita literariæ reipublicæ decus auxit, ut ſua ætate inter doctiſſimos, & eruditiſſimos viros nomen habuerit præclariſſimum,

quod

(1) ibid. p. 365. (2) ibid. 366. (3) Inſcrip. Pat. p. 207. n. 24. (4) lib. 2. Claſſ. 9. p. 214.
(5) lib. 7. c. 6. p. 255. (6) Allegamb. Biblioth. Soc. Jeſ. p. 30. 32. (7) Act. Quæſtor. ad An. 1573. in Miſcell. Salom.
(8) extat inter Epiſt. Riccobon.

quod & nunc habet perennaturum, donec ſacra Philologia, & improbum ſtudium illuſtrandæ ſacræ profanæque vetuſtatis vigebit. Eum non Orthodoxi dumtaxat, & in his principes, doctorumque præcipui, ſed & hæretici ipſi magnificè coluere; extantque paſſim, & in ore ac manibus omnium ſunt ejus laudes dictæ, ſcriptæ, & judicio poſterorum probatæ. Septem ac ſeptuaginta annorum ſenex dyſuria laboravit, deinde iſchuria, qua tandem oppreſſus mortales exuvias Antuerpiæ poſuit an. MDCXXIX. X. Kal. Februarii. Scripſit ediditque multa & varia, quorum ne titulos quidem recenſere noſtri propoſiti ratio patitur, quod prolixi ſint operis, ac ſupervacanei, cùm notiſſimi ſint, latèque notentur, ac ſigillatim enumerentur locis Editionum accuratè propoſitis ab Allegambe (1). Supereſt rei quam agimus ſi poſteritas noſtra, cui ſcribimus, quod probavimus norit, virum hunc tantum, tam celebrem, & reipſa πολυγραφώτατον ad gloriam noſtri quoque gymnaſii pertinere.

1629 CCIV. JO. NICOLAUS DOLEONUS natus Belluni nobili genere, de quo multa Incogniti Academici, adoleſcentiam optimis artibus ac diſciplinis excoluit Patavii (2), unde Venetias profectus inter præcipuos Miniſtros Magiſtratus præfecti publicæ ſanitaſi cooptatus eſt, eoque officio ſanctè diu fideliterque perfunctus, tanram ſibi exiſtimationem ac laudem apud Senatores graviſſimos comparavit, ut vel Xviralis auctoritas ejus creberrimè operis in rebus difficillimis uteretur. Nam tanti tribunalis gratiam ſibi comparaverat conſcriptâ tractatione de notis Scriptoriis, quam ſapientiſſimi Patres cuſtodiendam eſſe cenſuerunt in tabulario ſuo. Deceſſit perſenex Venetiis circa ann. MDCXXIX. Edita ſunt ejus opera vernaculo ſermone non admodum caſtigato, erudita tamen, & utilia his titulis.

Hiſtoria Veneta. Compendium Hiſtoricum. Theatrum Principum Tomis duobus complexum univerſalem hiſtoriam ab O.C. ad An. MDCV. *Amphitheatrum Europæ. Venetia triumphantes ac ſemper liberę. Libellus de Anno Veneto, & de Rebus mirabilibus urbis Venetę.*

1630 CCV. LUCAS CASTELLINUS Faventiæ natus nobili genere, profeſſuſque ab adoleſcentia ſacrum Prædicarorum Ordinem, in gymnaſio noſtro tum Philoſophiæ, tum etiam Theologiæ operam egregiè poſuit, ac receptis hujus inſignibus & in collegium Theologorum cooptatus eſt, & præfuit Sodalium ſuorum ſtudiis, ut ex monumentis cœnobii ſui tradit Salomonius (3), quo auctore tantæ & gratiæ & exiſtimationis apud ſtudioſam juventutem fuit, ut bis ad publicam exedram vocatus, bis itidem ſe permodeſtè excuſaverit; Patavio Romam profectus muneribuſque publicis Ordinis ſui addictus per omnes honorum gradus ad ſummos provectus eſt Procurator Ordinis (4), & Vicarius Generalis: undè ad Catacenſes inſulas invitus, ac reluctans pertractus an. MDXXIX. ſupervixit non amplius triennio mortalitate depoſita anno MDCXXX. vel ſequenti Cataciæ ad ſinum Scyllacæum.

Scripſit multa.

De electione & Confirmatione Prælatorum præſertim Regularium.

Elucidarium Theologicum.

De Certitudine Sanctorum Canonizatorum ad Urbanum VIII.

De inquiſitione Miraculorum in Canonizatione SS. Martyrum ad Bernardinum Cardinalem Spadam.

De dilatione longi temporis in magno arduoque negotio Canonizationum.

Diſputat. Theologicas in Selectas de Sacrament. Pœnitentię ejus fructu, & adminiſtratione.

Plura ſibi alia monſtrata reſtatur Ughellus ab eo conſcripta (5).

1630 CCVI. ALEXANDER BRENZONUS nobilis Veronenſis Aſtrologus, Poeta, Mathematicus, Medicus, has omnes diverſarum inter ſe ſcientiarum opes quæſivit Patavii. Ex ultima doctor Veronenſium Medicorum collegium gloriâ ſui nominis auxit (6), clarus ex Compendio Logicę, ac Tractatu de Peſte, qui editus eruditorum virorum laudibus celebratur ob multiplicem antiquitatis notitiam, ſcita medica, & candorem ingenuæ Elocutionis. Obiit in patria an. MDCXXX. ex Elogio inſculpto Marmori exuviatum ejus cuſtodi, quod exhibet Julius à Puteo (7).

1630 CCVII. JO. HIERONYMUM BRONZERIUM oppidum in agro Rhodigino Præfecturę ſacrę, quam Vangadicenſem vocant, edidit, patre nobili viro, matre nobiliore, de cujus familia multa Tomaſinus (8). Puerum Rhodigii humaniores literas docuit Ventura Poſſo notus ludimagiſter Grammaticus ex iis, qui per lividam obtrectandi licentiam.

(1) loc. cit. (2) p. 257. (3) in Collect. ad Inſcrip. Gymn. (4) Ughell. Tom. 9. p. 378. n. 35.
(5) ibid. (6) Acta Quæſt. An. 1589. & ſeq. Act. Coll. an. 1591. (7) in Append. ad Elog. p. 297.
(8) Elog. Tom. 2. p. 271.

licentiam, cæteroqui homines inficeti, ærisque leviſſimi, ſe vindices incorruptæ latinitatis oſtentant. Luſit in illum ipſe Bronzerius diſcipulus in fabulâ, quam inſcripſit Pignorio (1), & ut erat lepidi ac faceti, ſi Tomaſino credimus, ingenii vir, eùm, tricis pædagogorum contemptis, animum appulit ad ſcientias, pædotribam ſuum ſibi dormienti objectum ſcripſit à Morpheo cuculo ſimilem ccedularum aſſentationibus avicularum geſtienti. Ergo, rejectis nugis, Philoſophicas diſciplinas Patavii quæſivit auditor aſſiduus Piccolominei & Cremonini, Medicus verò diſcipulus Euſtachii Rudii, Aquapendentis & Maſſariæ, cujus doctrinam religioſiſſimè ſemper tutatus eſt, aſſecla Galeni præcipuus, Lauream adeptus an. MDXCVII. Coloniæ in oppido Venetorum Medicinam fecit honeſto ſtipendio, in patria deinde, quo in loco cùm parentes & fratres occubuiſſent (2), patrimonio, & hæreditatibus probè munitus Patavium rediit, quò ſibi ac literariæ quieti ſecurius vacaret. Vacavitque utiliter, & (ſi qua voluptas in eruditis lucubrationibus eſt; eſt autem herclè maxima) perhilariter, familiariſſimus doctorum hominum omnium, & in ſummâ ipſe doctrinæ apud viros Principes, quorum Tomaſinus catalogum texit (3), opinione. Multa hìc ſcripſit, quamvis & Medicinam, ſine ſoſtro, liberaliter faceret, & in officinis biblicis, non obtrectator ineptus, ſed plerunque cum amicis de rebus Naturalibus diſſerens, & honeſtis facetiis animum recreans verſaretur. Conſilio Cremonini accerſitus Bellunum octingentorum Coronatorum ſtipendio, ut Archiatri munus obiret, ea in urbe, ex vini auſterioris uſu, cœlique frigidioris hauſtu, quorum utrunque totâ caverat vitâ cibi potuſque temperantiſſimus, & frigoris impatiens adeo, ut in ſummis caniculæ rabioſæ caloribus duplice lodice tectus dormiret, intra Semeſtre acutâ febri correptus deceſſit anno MDCXXX. Solemni pompa & funebri oratione in templo Servorum humatus eſt, cui patrueles Roſini Veronenſes ad D. Jo. Baptiſtæ monumentum Marmoreum poſuere cum elogio, quod exhibet Tomaſinus (4). Ejus opera latina.

De Calido innato & naturali Spiritu.
De principatu Jecoris & Anatome Lampetræ.
De principio effectivo ſemini inſito, Diſputatio.
De vi ſublunari cælitus impreſſa.
De Cometis. De Variolis. De febri maligna.
Prognoſticon Cæleſtium Tomi II.

Italica.

Hiſtoria Peninſulæ Rhodiginæ, quam Pollicinum dicunt.
Dialogi OEconomici.
Narratio Hypſipeti ad Pignorium.
Morpheus & Phantaſus Somni filii ad eundem.

CAPUT XLIV.

Io. Jacobus Chiffletius. Laurentius Pignorius. Franciſcus Remondus. Iacobus Keller. Philippus Moſcatellus. Guſtavus Adolfus Suecorum Rex.

CCVIII. JO. JACOBUM CHIFFLETIUM Archiatrum Veſuntinum viro patricio, Conſulari & Archiatro progenitum, atque eruditionis eximiæ gloriâ venerabilem non minus gymnaſiis ſuis Gallia debet, quam noſtro. Quippe in hoc diutiùs, quam in patriis verſatus præceptores habuit Aquapendentem, Minadoum, Rudium, ut ſcribit Franciſcus SWertius (5), & monumenta quæſtoria teſtantur (6). Patavio dimiſſus varias Europæ Provincias peragravit, luſtratiſque Muſæis Antiquariorum, & illuſtrium virorum bibliothecis cum Principibus, Præſulibus, & egregiæ literaturæ viris familiaritatem contraxit. Regreſſus Veſontionem ſuffectus eſt patri demortuo Medicorum princeps, functuſque omnibus honoribus publicis, diu quoque patriæ præfuit, unde pro graviſſimis negotiis ad Iſabellam Claram Eugeniam Belgio Præfectam delegatus, & ab hac receptus ad Medici cubicularis munus in eo vivere deſiit circa an. MDCXXX. Edidit. 1630

Aſitices, in Puella Helvetica, mirabilis Phyſicam Exetaxim.
Dædalmatum libros II.
De loco legitimo Concilii Eponenſis, obſervationem.
Veſontionem Civitatem Imperialem liberam, Sequanorum Metropolim plurimis ſacræ & profanæ hiſtoriæ Monumentis illuſtratam.

Lacrimas

(1) in Morpheo, & Phantaſa. (2) Tomaſ. ibid. p. 273. (3) ibid. p. 274. 275. (4) ibid. p. 276.
(5) in Athen. Belgicis. (6) ad An. 1590. & ſeq.

Lacrimas priſco ritu fuſas in exequiis Alberti Pii Belgarum Principis.
De linteis Sepulcralibus Chriſti Salvatoris Criſim hiſtoricam.
Portum Iccium I. Cæſaris demonſtratum.

1631 CCIX. De LAURENTIO PIGNORIO multa Tomaſinus (1) pluribus in locis, ad quæ lectorem remittimus paucis contenti, quibus celeberrimi Antiquarii nomen, gloriam, ac decus augeat gymnaſii noſtri. Hoc virum inter eruditos & Polyhiſtoras ſæculi noſtri clariſſimum ſcholis Patavinis Societatis Jeſu debet, quem Patavii natum tenui quidem, ſed honeſtâ familiâ ad pietatem ſimul, & bonas artes erudiit ab adoleſcentiâ. Nam in his & humaniores literas accepiſſe dicitur ex ore Benedicti de Benedictis, & Candidi Miliarii, & Dialecticæ ac Philoſophiæ dediſſe operam doctoribus Jo. Baptiſta Scortia, & Hieronymo Dandino, de quibus conſule, ſi vacaverit, Allegambe (2). Horum inſtitutione ſubactus, & majoribus diſciplinis factus idoneus in gymnaſium venit, auditor aſſiduus Franciſci Piccolominei, & Jacobi Zabarellæ, quorum auſpiciis cùm altiora Philoſophiæ ſpatia fuiſſet emenſus, ad ſtudium Antiquitatis avidiſſimum priſcę eruditionis animum convertit; atque interim hortatu patris Juriſprudentiæ ſacris initiandum ſe dedit Guido Pancirolo, Angelo Matthæaccio, M. Antonio Othelio, quorum conſuetudini non invicus acceſſit, rarus ad rerum antiquarum cognitionem conferre plurimum juris præſertim Civilis, non levem nec perfunctoriam notitiam. Hanc etiam ſcientiarum partem adeptus, ordinibus ſe ſacris addixit an. MDCII. quo tempore à myſtagogo Marco Cornelio Antiſtite Patavino, ut ipſi à Secretis eſſet, in aulam adſcitus eſt. Cum hoc Romam profectus an. MDCV. biennale otium inſpiciendis, perluſtrandiſque monumentis Romanæ Antiquitatis impendit, ex quorum accuratiſſima notione maximi habitus à Cardinalibus Baronio, & Cobelluccio, aliiſque viris eruditiſſimis, penè non, quamvis invitus, in aulam Pauli V. venire fuiſſet coactus, ni eum & amor erga patriam, & ſtudium quietis, & ante omnia erga patronum, in cujus erat contubernio atque familiâ, conſtans obſequium Patavium reduxiſſet. Hic rebus primùm domeſticis, quibuſcum miſere conflictabatur, compoſitis, cum Exhomologeſibus Monialium S. Claræ aliquandiu præfuiſſet, mox eodem eſt munere functus diutius apud S. Stephani Virgines, à quibus Rector, & Curio Eccleſiæ D. Laurentii creatus, eodem tempore eum frequentiſſimam illam parœciam, tum parthenonem ipſum mirâ virtute ac ſedulitate, indeſeſſis officiis & laboribus procuravit: quod à munere ſupererat otii, id omne ſtudiis ac meditationibus ejus, quam deperibat, Antiquitatis utiliter ac glorioſè concedens; cui etiam quæcunque citra neceſſitatem alimentorum videbantur ſupervacanea, tum ex patrimonio, tum ex pertenui Sacerdotio libens dicavit, muſæo domi ſuæ inſtituto, quod iconibus virorum clariſſimorum, priſcis ſtatuis, atque anaglyphis, nummis, ac numiſmatibus Græcis, Latinis, barbaris plurimis, ſupellectili denique antiquaria, & copia Codicum MSS. memorandum Tomaſinus (3) latè deſcribit. Hinc illi cum apud ſuos, tum apud exteros nomen eximium, ſumma cum viris doctiſſimis, quos idem Tomaſinus (4) enumerat, neceſſitudo, tantaque ubique auctoritas, ut ex ejus ſententiâ paſſim, quæ de re Antiquaria diſceptabantur, lites & controverſiæ dirimerentur. Extremo vitæ anno ad Canonicatum Tarviſinum evectus, dum ſe ad illum ineundum parabat, peſtilentiâ, quæ tunc ſæviebat Patavii, correptus, cum duobus nepotibus ſexagenarius interiit an. MDCXXXI. Sepulto ad D. Laurentii monumentum & epitaphium appoſuit (5) Dominicus Molinus Senator Venetus eruditorum virorum Mecænas & pater, Pignorii verò patronus, & amicus omnium & familiariſſimus, & addictiſſimus.

Scripta hæc à Pignorio celebrantur. Latinè.

Characteres Ægyptii, ſeu Sacrorum quibus Ægyptii utebantur Simulacrorum delineatio & explicatio.
Simbolicarum Epiſtolarum libri III. Familiarium liber I. cui adnectuntur Epiſtolæ ad Dominicum Molinum tres de Antiquitatibus Patavinis, & de Scriptoribus antiquis Euganeis.
Carminum libri II. Comment. in Emblemata Alciati.
Antiquiſſima, quæ Romæ viſitur, Picturæ Typus ad U. N. Caſſianum à Puteo Equitem.
Comment. de Servis, & eorum apud Veteres miniſteriis.
Miſcella Elogiorum, Acclamationum, & Epitaphiorum.
Elogia Anachoretarum Jacobi Cavacii recognita cum Præfat.
Comment. in Julii Obſequentis librum de Prodigiis.

Italicè.

Origines Patavinæ. Antenor. Vita S. Juſtinæ Protomartyris Patavinæ. Sacrorum Monumentorum liber.

CCX.

(1) Elog. Tom. 2. p. 199-222. Athen. Patav. Vit. Laur. Pignor. V. C.
(2) Biblioth. Soc. Jeſu p. 65. 182. 226. (3) in Elog. ibid. p. 215 222. (4) ibid. p. 204.
(5) Vid. Tomaſ. ibid. p. 205-209.

CCX FRANCISCUS REMONDUS Gallus, Divione natus, non ſane Florimundi 1631.
noti ſcriptoris, ut rentur alii, filius, ſed Gullielmi Juriſconſulti veneno ſublati, pluribus annis Patavii ſtuduit, atque hìc ad Philoſophiam gnaviter incumbens in ſodalitium Societatis Jeſu cooptari petiit, & jam doctor obtinuit, ut ipſe gloriatur (1). Miſſus Romam à tyrocinio ſacro ad exedram aſcendit, docuitque Philoſophiam per annos aliquot, tum annis tredecim continuis (2) Theologiam Patavii, Parmæ, atque in urbe Burdigalenſi, & quidem magnâ ubique frequentiâ & laude. Revocatus in Italiam ſacras literas interpretatus eſt Mantuæ, & Academiæ in ea urbe recens à ſereniſſimis Ducibus erectæ ſtudiorum Præfectus diu vixit, donec in poſtrema urbis obſidione incredibili caritate jam ſenex incenſus, ſe totum dedit audiendis militum Exhomologeſibus, quamvis peſtilentia laborarent. Hoc in opere afflatus ipſe peſte, cùm tamen reſpiraſſet, alio morbi genere ſublatus eſt an. MDCXXXI. plenus dierum, & antiquus quatuor votorum Profeſſus, ut verbis utar Allegambe (3), ex quo & quæ diximus, & hæc ab eo edita ſubnotamus.

Orationes XX. diverſi argumenti, variiſque locis ac temporibus habitæ. Has legimus, ſuntque floridæ, argutæ in præclara & nitida latinitate. Quarta laudat Archilycæum Patavinum, & Societatis in hac urbe Gymnaſium. Primi ſe diſcipulum profitetur, ſecundi verò Doctorem.

Epigrammatum libri II. eaque ſanè frigent, quamvis latiniſſima ſint.

Elegiæ VIII. de Divinis Amoribus elegantiſſimæ.

Alexias, ſeu Elegiæ VII. querimoniarum Sponſæ D. Alexii adversùs profugum Sponſum. Nihil his legi poteſt ſuavius, aut lamentabile magis, planè ut mihi fuerint exemplar elegiaci ſtyli.

Orationes Panegyricæ XV. de S. Ignatio Loyola, totidemque de S. Franciſco Xaverio, quibus Oratoriè facta utriuſque laudantur.

CCXI JACOBUS KELLER Rauracus in albis Germanorum politiores literas ediſce- 1631
bat Patavii, ac Philoſophiæ operam dabat auditor Antonii Riccoboni (4), & Franciſci Piccolominei an. MDLXXXVII. ac ſequenti, ſed interim Theologiæ litabat in Societatis Jeſu gymnaſio nondum vetito. Natus eſt (5) Seckingii in diœceſi Conſtantienſi, ad Societatem venit poſtquam rediit in Germaniam an. ætatis XXI. quòdque humanioribus literis eſſet inſigniter inſtructus, has docuit primùm, tum, Philoſophiam & ſcholaſticam & moralem. Ratiſbonenſi collegio præfuit biennio, Monachienſi annis ſexdecim totis, carus Maximiliano Bavariæ Septemviro, cui à penitiſſimis conſiliis fuit, Fratri verò ſeptemviri Alberto & ejus conjugi conſcientiæ arbiter in Exhomologeſibus. Perpetuò cum hæreticis depugnavit voce & ſcriptis, quæ notatis editionibus recenſet Allegambe

Tyrannicidium, de Sententia Catholicorum circa internecionem Tyranni, adversùs Calviniani Miniſtri calumnias.

Papatus Catholicus, contra Iacobum Hailbrunnerum, quem in publica diſceptatione tantùm non coegit obmureſcere, ac morbum ſimulare, ne iterum in arenam deſcenderet.

Compendium relati Operis, & Diſputationis.

Agonia & ſudor emortualis relati Hailbrunneri inſectati extremam unctionem.

Panegyricus ad Maximilianum Septemvirum reducem à bello Bohemico.

Faſciculus olidus Floſculorum quinquaginta, totidem nimirum Abſurditatum, quas Heretici effutire coacti ſunt in colloquio Ratiſbonenſi An. MDCXXIII.

Ajax Wolradi Bleſſii Heidelbergenſis olim Cancellarii in Spongium incumbens. Alia etiam aliquot minutiora, quæ leges per nominatum Allegambe recenſita.

Obiit an. MDCXXXI. ætatis LXIII.

CCXII. PHILIPPUS MOSCATELLUS Vicentiæ natus (6) humaniores literas debu-
it patriæ, ſeveriores gymnaſio noſtro, in quo Philippi Fabri diſcipulus fuit, & ſectator 1631
addictiſſimus. Hieronymiani Ordinis inſtitutum profeſſus Philoſophiam ac Theologiam in eo docuit, & Concionatoris munere præclarè functus eſt. Maximè claruit ex libello gemino, adversùs Marialem Dominicanum tutatus Magiſtrum ſuum Fabrum. Hoc opus inſcripſit: *Partes duæ Controverſiarum pro defenſione Philippi Fabri adversùs Xanthem Marialem*; contra quem librum etiam alterum edidit, *de Potentia neutra*, ſatis argutum & doctum. Præcoci morte peremptus eſt partim peſte, quæ Galliam Tranſpadanam funeſtabat, partim lenta febri, & catarrho. Deceſſit in patria an. MDCXXXI. ætatis XXXIX.

CCXIII. Nulli unquam gymnaſio licuit, forte etiam nulli de eo gloriari licebit, de quo

(1) Orat. 4. (2) Allegambe Biblioth. p. 111. (3) ibidem (4) Keller. præfat. ad Tyrannicidium.
(5) Allegamb. Biblioth. p. 203. & ſeq. (6) Tomaſ. in Chronotaxi & Elog.

quo jure gloriari licet, licebitque olim gymnaſio noſtro, cui uni contigit, inter Alumnos ſuos non eos dumtaxat enumerare, qui Reges fuerint, ſed eos quoque qui Reges eſſent. Vix credent poſteri GUSTAVUM ADOLFUM Svecorum Regem, heroem illum bellicæ virtutis priſcis parem, recentioribus longè majorem, qui fulminis inſtar triumphali victricium copiarum ductu Europam terruit, Germaniam, qua latè patet, univerſam afflavit, ac tantum non diruit, Patavii vixiſſe, diſcipulum fuiſſe Patavii, hinc ad ſolium tranſtuliſſe regias illas artes, ex quibus memorabilis eſt, eritque ſeræ poſteritati. Scribit Salomonius (1) ex monumentis gymnaſii, & Tomaſiniana Chronotaxi (2), an. MDCXI. fuiſſe Patavii Comitem Sudermanniæ Adolſum, atque hic toto anno literario ſequenti, addiſcendæ cauſâ linguæ Italicæ verſatum; uſum fuiſſe magiſtro Benio, ſcholas publicas frequentaſſe: deperiiſſe pulcherrimam Virginem Sanctimonialem, pollicitumque illi maxima, ſi ſe carcere illo vivorum deripi abducique in Germaniam voluiſſet; repulſum conſtanti modeſtiâ, riſiſſe, comiteſque affatum dixiſſe: *parcendum puellæ, quæ quocum loqueretur, neſciret*: cui illa: *ſcio te*, inquit, *hominem eſſe, qui noris, quiſquis tandem es, Deo, cui nupta ſum, te quoque judice poſthabendum*. Subdit Salomonius, eam Virginem amplis muneribus affectam fuiſſe ab hujuſmodi Comite, cùm ex hac urbe diſceſſit; creditumque deinde, non alium fuiſſe à Guſtavo Adolfo Svecorum Rege, qui Germaniam non tam paſſibus, quàm victoriis peragravit. Hanc opinionem, quæ apud nos viget, vigebitque perpetuò, confirmant, quæ narrat Vincentius Vivianus (3), eum de diſcipulis præclariſſimis Galilæi è ſede Patavina docentis hæc Etruſco ſermone poſteris noſcenda commemorat: *Ut omittam*, ait, *tot Principes ac Dynaſtas Italos, Gallos, Belgas, Bohemos, Pannonas, Britannos & Caledonios, aliarumque Gentium clariſſimos Proceres, in mentem venit, quod traditur, magnum illum Guſtavum Svecorum Regem, qui deinde inſtar bellici fulminis claruit, in eo itinere, quod regiâ majeſtate diſſimulata per Italiam adoleſcens ſuſcepit, Patavii ſubſtitiſſe cum comitatu per menſes multos, detentum præcipuè à novis & peregrinis ſpeculationibus, problematibuſque curioſiſſimis, quæ in dies non ſine adſtantium admiratione proponebantur, diſſolvebanturque à Galilæo in Prælectionibus Publicis, in circulis & concionibus literariis. Voluiſſe ad hæc, ea, qua verum diſcipulum decet, ſedula aſſiduitate, domi ejus Galilæum audire, illa peculiariùs explanantem quæ ad Sphæram ſpectant, ad Artium munitionem, ad Opticam, ad uſum quorundam Geometricorum, ac militarium Inſtrumentorum, imò ad penitiorem quoque Etruſci Idiomatis venuſtatem: denique illi, quam ſibi propoſuerat occultandam, Majeſtatem, magnificâ, & planè regiâ munerum liberalitate ſignificaſſe*. Hæc Vivianus. Confert his ipſis omnino conſtituendis, quod non unius viri graviſſimi ſumma penes me auctoritas, mihi ſcribenti non omittendum exiſtimat ex Tomaſini Chronotaxi (4) laudata: Guſtavum, tunc cùm victor Bavariam triumphalibus turmis diripiebat, forte ſpectantem in viam è feneſtrâ, vidiſſe peregrinos quoſdam; qui eſſent & cujates interrogaſſe; eùmque eos Italos & Patavinos eſſe audiſſet, ad ſe adduci juſſiſſe, comiter accepiſſe, ſciſcitatumque de multis, dimiſiſſe ſeriò admonitos, ut civibus ſuis referrent, ſe illum eſſe, qui aliquandiu vixiſſet Patavii, eòque quamprimum rediturum, atque in aulâ urbis maximâ, quam adoleſcens aſpexerat, ſuſpexeratque, ſolemnes ludos & choreas celebraturum. Hæc pauca, nam plura ſuppeterent, dicta ſunto, quo conſtet, magnum Guſtavum, & diſcipulum fuiſſe Patavii, & fuiſſe diſcipulum tunc, cùm Rex erat. Nam ab exitu an. MDCXI. & Caroli patris obitu, quamvis nondum propter ætatem ſolemni ritu Rex inauguratus, Rex tamen erat qui Regnum iniit nondum annos natus ſeptendecim teſte Burgo (5), ex quo ſua habet Foreſtus (6), apud quem perlege ſodes, ut alios prætereas, imò verè ſæculi XVII. communem hiſtoriam, Regis maximi geſta fortia, magnanima, triumphalia, quibus ne delibandis quidem brevitas propoſiti noſtri par eſt. Huic ſupererit adnotaſſe Guſtavum Adolfum è regia Jagellorum ſtirpe progenitum V. Idus Decembris an. MDXCIV. patre Carolo Sudermanniæ Duce, qui patruus fuit Sigiſmundi Regis Polonorum atque Svecorum, donec illi horum imperium obtinere licuit per patruum. Hoc rebellante planèque Regno potito an. MDCVII. Guſtavus Regis primogenitus eſſe cœpit annorum tredecim adoleſcens. Regiis unà & liberalibus artibus inſtitutus excultuſque præceptore Jacobo Schut, jamque Politicis, Geographicis ac Mathematicis diſciplinis, quantum ſatis pro ætate, imbutus, in Italiam venit, & ut diximus, Patavii per menſes circiter octo poſt obitum patris, ad earundem diſciplinarum penitiorem notitiam verſatus, poſtquam nativæ, Latinæ linguæ & Gallicæ Italicam addidit, eamque, ut ferunt, perdidicit, ipſo anno MDCXII. rediit in

pa-

(1) Collect. ad Inſcrip. Gymn. (2) ad An. 1611. & ſeq.
(3) Vit. Galilæi præfixa ejus Oper. Tom. 1. p. LXXXVIII. (4) ad An. 1652.
(5) de Bello Svecic. lib 3. p. 270. (6) Coſmogr. hiſt. Tom. 5. P. 2. p. 345.

patriam, renunciatuſque Rex in comitiis Nicopienſibus, nondum decimo ſeptimo (1), ætatis anno major, ipſe per ſe bello cum Danis geſto, pacem cum iiſdem retulit domum, quam ſtatim adverſus Moſchos armavit; pactuſque cum Polonis inducias, poſtquam Moſchos non æquis conditionibus ad pacem adegit, ritu ſolemni regia ſumpſit Inſignia Upſaliæ, quę metropolis olim Svecorum fuit, an. MDCXVII. Toto deinceps triennio in celebrando matrimonio verſatus eſt, duxitque Mariam Eleonoram Marchionis ac ſeptemviri Brandeburgici filiam, quam ſibi copulavit Stocolmi an. MDCXX. Nec diu intra thalami latebras bellicoſi Principis animus ſe continuit; nam anno ſequenti, jam peractis induciis, arma vertit in Sarmatas bello Turcico impeditos, obſeſſamque, & expugnatam Rigam Svecorum adjunxit imperio, ac penè totâ potitus Livoniâ, cujus Riga metropolis eſt, victricia ſigna Gedanum tranſtulit urbem Boruſſiæ liberam, & Polonici fœderis ream penes ferociſſimum Regem. Hanc diuturna obſidione preſſam, ne ſibi ſubjiceret, obſtitit Auſtriaca potentia, quæ objectis Germanicis & Hiſpanicis viribus flexit animum Sveci, & ad induciarum per ſexennium fœdus cum Sigiſmundo ſanciendum adduxit. At unà ita læſi Principis iras in victoriarum ſuarum interceſſores excivit, ut poſt inducias Polonicas an. MDCXXIX. de expeditione Germanica cogitarit. Ad eam invitatus ab iis Principibus, qui hæreſim olim ſecuti, ſibi à Ferdinandi II. religione, & ea gravitate, quam Auſtriacorum impotentiam appellabant, admodum metuebant, ſe convertit, rebuſque penſiculariùs inſpectis, luſtratiſque, quas invadere meditabatur, provinciis, fœdere certis conditionibus icto cum illis, quorum invitatu provocabatur ad bellum, contraxit anno integro copias, viribuſque lectiſſimis an. MDCXXX. Inſulam Rugiam invaſit; brevi autem totam Pomeraniam adeptus, nequicquam obſiſtente Tillio orthodoxi fœderis Duce, continuato victoriarum impetu totam illam Germaniæ partem, quæ ad Balticum eſt, & Odera fluvio irrigatur, vel ſibi ſubjecit, vel fœderatis aſſeruit. Mox novo fœdere conſtituto cum Gallis, perrexit porro aut ſtare pro Sociis, aut clades his illatas à Tillio ulciſci an. MDCXXXI, quo videtur dies numeraſſe victoriis, illà præſertim, qua poſt receptum in fidem ac ſocietatem Saxoniæ Ducem, huic ferens opportunas ſuppetias ad Lipſiam urbem Miſniæ, ingentem exercitum Tillii fregit, diſiecit, peſſumdedit. Quo deinde triumphorum curſu Franconiam ſibi ſubjecerit, Palatinatum depopulatus ad ſocietatem armorum adduxerit, Moguntiam expugnaverit, emenſuſque Sveviam, totamque Inferiorem Germaniam, ejus Proceres, quà terrore victoriarum ſuarum, quà ſuæ virtutis admiratione ad commilitium adſciverit, dicent anni ejuſdem Diaria, quæ vix rebus geſtis tanti Regis utcunque perſtringendis ſufficiunt. Hac parte Germaniæ, & quidem potiſſimâ ſubactâ ſuperiorem aggreſſus eſt, expugnatâque Wiſmariâ, quæ ad Balticum una detrectabat imperium, anno MDCXXXII. Lechum flumen trajecit, victo fugatoque Tillio, qui eo in prælio fractus, lethale vulnus, quod acccepit, tranſtulit Ingolſtadium, ut in illa arce Imperator ille clariſſimus moreretur, & duas ac triginta victorias, quas olim retulerat, Guſtavi fortunæ ſubmitteret. Hoc profligato, dum Albertus Valſtainus Fritlandiæ Dux, illi ſucceſſor datus, exercitum apparat, Guſtavus Bavariam totam diripuit obſeſſo Ingolſtadio; capto Monachio: jamque è proximo inſultabat Capiti Cæſaris, regnum affectabat Germaniæ, proſpiciebatque Italiam, unde ſibi Imperii titulum ac faſces accerſeret. Conſtans fama eſt, huc ſpectaſſe ferociſſimum Regem, nec aliam ob cauſam ita orthodoxos inter & hæreticos geſſiſſe ſe medium, ut cùm tutelam Auguſtanæ Confeſſionis profiteretur, erga religioſos viros ac profitentes ſacra catholica benigniſſimus eſſet. Nam Marimburgi procumbentes in genua Capuccinos non ante ad colloquium admiſit, quàm ſe in pedes erigerent, & ibidem uno ex illis occiſo, adeo doluit, ut jurejurando affirmaverit, ſe, ſi ſciſſet reum tanti ſceleris, ſuo illum gladio interſecturum, & ne quid incommodi deinceps Orthodoxis accideret, Magiſtratum conſtituit tot conſtantem hæreticis quot orthodoxis, qui jus diceret. Monachii quoque ultro Societatis Jeſu templum inviſit, cum Sociorum Præfecto de Miſſæ Sacrificio diſputavit, magnâ, largaque ſtipe Capuccinos juvit, nec ægrè tuliſſe viſus eſt unum horum, à quo ad Romana dogmata provocabatur; id quod in Principe Lutherano magnum quiddam eſt, ſive id exiſtimes Guſtavi benignitati, ſive vaſtis ejus, & in ſpem futurorum paratis conſiliis tribuendum. Hæc tamen acerba mors fatumque maximis invidum intervertit. Nàm Guſtavus inito ad Lutzen memorabili prælio, quo Walſtainum vicit, ibi ex vulneribus acceptis victor occubuit XVII. Kal. Decembris an. MDCXXXII. ætatis octavo ſupra

trigeſimum

(1) Vid. de his & ſeqq. Foreſt. ibid. p. 248. 377. Baptiſt. Nani hiſt. lib. 7. p. 454-474. lib. 8. p. 555-557. lib. 9. p. 570, 580-586.

trigeſimum, Rex, abſit verbo invidia, ſæculis omnibus memorandus, cui non quod olim Annibal Scipioni dixiſſe fertur: ſi te viciſſem, me ipſi Alexandro Magno majorem aſſererem; ſed licuiſſet ſine jactantiæ notâ affirmare: ſi Lutzenſi pugnæ ſuperfuiſſem, totam utique domuiſſem Germaniam: tanto major Alexandro Magno, quanto majus eſt, quàm de Perſis, de bellicoſiſſimâ Gente triumphaſſe. Quis tantum Regem in prælio ipſo pugnantem necaverit, non conſtat; conſtat ab obitu ejus relatam à Svecis inſignem de Cæſarianis victoriam, caſtris nimirum amiſſis, direptis aſportatiſque cum re tormentariâ, impedimentis omnibus, duodecim millibus militum Cæſarianorum interfectis, atque inter hos Ducum præcipuis, vulneratis cum ipſo Duce Fritlandiæ reliquis, nec aliter quam fugâ internecioni ſubductis. Guſtavi cadaver inter gregaria cadavera repertum nudum, ſpoliatumque, & ungulis equorum contritum communi cum luctu victoris exercitus translatum eſt primum Nauburgum, deinde Walgaſtum, ac tandem Stocolmum: ibi regio monumento conditum eſt, hac rudi Epigraphe inſculpta.

In anguſtiis intravit,
Pietatem amavit,
Hoſtes proſtravit,
Regnum dilatavit,
Svecos exaltavit,
Oppreſſos liberavit,
Moriens triumphavit,

Hæredem Regni reliquit filiam unicam Chriſtinam, quam jure dixerim majorem patre: quantò majus eſt, ſe, quàm alios vincere, regna contemnere, quàm augere, Sapientiâ præſtare, quàm bello: & quod maximum eſt, ſummumque gloriæ, Regno & publicæ Majeſtati cultum veræ pietatis, veræque religionis in privato receſſu præferre. De hac memorabili noſtræ ætatis Heroide plurima ſæculi XVII. tradit hiſtoria, quæ ad trutinam Platonis expenſa, muſarumque concentibus celebrata leges in Panegyrico Stephani Pignatelli, & Chriſtina de Cappellarii.

CAPUT XLV.

Nicolaus Curzola. Antonius Quarengus. Cyrillus Lucaris Patriarcha C. P.

1632 CCXIV. NICOLAUS CURZOLA Zacynthi in urbe inſulæ cognominis natus, familiâ nobili oriunda ex inſula Dalmatiæ, quę olim Corcyra nigra dicebatur, tyrocinium literarum in collegio Græcorum Romano poſuit, unde doctor Philoſophiæ ac Theologiæ Patavium venit parentum juſſu, qui eum Juriſprudentiæ deſtinaverant, ut in rebus domeſticis patronum haberent in patria. Vixit hîc quadriennio, ut manifeſtum eſt ex actis gymnaſticis (1) & quęſtoriis, in quibus bis Ultramarinæ nationis Conſiliarius notatur. Doctoris laurum an conſecutus ſit, ignoramus, & fortè extinctis parentibus illam neglexerit. Nam cùm ſe non admodum tricis forenſibus idoneum comperiſſet, & ingenio ad res ſacras propenſus, Theologicorum theorematum ſublimitate delectaretur, ſenſim eo flexit animum, ut monaſticam veſtem aſſumeret, quod & præſtitit in cœnobio Strophadum, quas olim Harpyę, nunc maritima piratarum latrocinia infamant. Inde Alexandriam profectus propagandę fidei cauſa, egregiè profuit Græcorum in Ægypto reliquiis, quas laborioſiſſimè docuit ea, quę ſcire Chriſtianum, & Grçcum orthodoxum, neceſſe eſt. Teſte Allatio (2) ſynchrono ſcriptore, oblatum ab Hollandis Mercatoribus Alexandrinum Patriarchatum, ſi Calvinianis ſe ſubſcribere dogmatibus voluiſſet, conſtantiſſimè repudiavit, verituſque exinde Calvinianorum inſidias, patriam repetiit, ſeque conſcribendæ Theologię totum addixit. Extat hoc opus Grçcè perelegantet expoſitum & elaboratum, habeturque paſſimâ noſtris, ſed non ſatis intelligitur. Ita enim ad ſcholaſticam pugnacemque Theologiam omnia revocat, ut qui ſcholas à limine ſaltem non ſalutarunt, quę ferat, quove acumine dogmata, deductaſque inde conſecutiones confirmet, haudquaquam poſſint percipere, ea prę- ſertim

(1) Salom. in Collect. ad Inſcript. Gymn.
(2) de Conſenſ. lib. 3. c. 7. n. 9. p. 988.

Digitized by Google

ſertim in parte, qua de auxiliis divinis agit, & libero arbitrio; novamque & inauditam Græcis auribus τὴν μέσην ἐπιστήμην, ſcientiæ mediæ vocabulum, remque ipſam exponere nititur. Memini ego, cum hæc ipſa ex Curzolæ codice explanarem viro doctiſſimo plurium ſcientiarum ornamentis inſtructo, & in re quidem Græca, ſacriſque notionibus, ut efferuntur à noſtris, verſatiſſimo, nondum tamen latinis diſceptationibus aſſueto, Chryſantho Notaræ Archimandritæ Hieroſolymitano, poſtea Cęſarienſi in Palæſtina Metropolitæ, nunc ſapientiſſimo Hieroſolymorum Patriarchæ, quanto conatu egerim, ut ea planè, plenèque cognoſceret. Obiit Curzola circa an. MDCXXXII. in monte Atho, quo ſe ad vitæ ſeverioris diſciplinam receperat, ut colligo ex ejus Epiſtola præfixâ libris Theologicis.

CCXV. Inſigne ac memorandum decus gymnaſio Patavino fecit ANTONIUS QUÆRENGUS, vir in re literariâ intra ſæculum XVI. & XVII. facilè princeps. Eum oriundum aſſerit Bergomo, & illuſtribus Bergomatibus annumerat Donatus Calvus eo fortaſſis jure (1), quo ſomniat oriundum Bergomo (2) Galenum Græcum hominem Pergamenum ex auctoritate facetiſſimâ cujuſdam Carraræ Medici Monaſtici inter Minores Cœnobitas declamantis. Quod verum & manifeſtum eſt, patria & origo Quærengi Patavium fuit (3), ubi Nicolao patre, matre Eliſabeta Othelia natus eſt anno MDXLVI. Pupillus tutelâ materni avi educatus, cùm incredibili celeritate minorum diſciplinarum ſtudia percurriſſet, annorum quindecim adoleſcentulus idoneus viſus eſt ſeverioribus ſcientiis capeſſendis, admotuſque Inſtitutionum initiis, & Platonicis documentis; his quidem animum imbuit præeunte Speronio, illis obiter ſtudiorum particulam dedit triennio M. Mantuæ diſcipulus: humanioribus interim literis ac Poeſi præſertim addictus, & in Meditationibus Philoſophicis occupatus ita in totâ profanâ ſapientiâ nondum ætate major excelluit, ut vel ipſis Doctoribus (4), Doctorumque Principibus miraculo eſſet. Vertit deinde ſe ad Sacras ac divinas ſcientias; brevique in his laureatus Theologus, receptis inſignibus, in ejuſdem ſapientiæ ſacrum ac venerandum collegium anno ætatis XXV. cooptatus eſt. Quinquennio poſt cum Federico Card. Cornelio Romam venit, ſtatimque Flavius Urſinus eum ſibi primùm à ſecretis libelliſque conſtituit: quo defuncto in idem libellorum officium adſcitus eſt ab Inigo Card. de Aragonia. Ab hoc in idem munus conceſſus Ateſtino Cardinali ita Romæ placuit ex elegantia (5), fide, eruditione, prudentia, ut Antoniano ad Purpuram evecto, hic fuerit ſuffectus, interfueritque raro exemplo à ſecretis Cardinalium collegio, comitiis quinque Summorum Pontificum, Sixti V., Urbani VII., Gregorii XIV., Innocentii IX. Clementis VIII. Agenti Romę, ac tot muneribus impedito, poſtulante Ranuccio Parmę & Placentię Duce, impoſitum onus eſt deſcribendi geſta Alexandri Farneſii (6), ſummi ducis & imperatoris in Belgio. Ea ille ſummâ fide, atque elegantia proſecutus novum ſibi laborem paravit. Quippe Henricus Magnus Gallorum Rex, laudibus operis à Perronio Cardinali auditis, Quęrengum accivit Lutetiam, eique res à ſe geſtas narrandi provinciam demandavit. Hoc quoque labore feliciter exantlato, adeo ſęculo ſuo ſatisfecit, ut novi Livii nomen in Literatorum ſua ętate republica obtinuerit. Romam regreſſus atque otii cupidiſſimus à Clemente VIII. Canonicum Patavii Sacerdotium impetravit (7), ſeque patrię quieti reſtituit publicâ gratulatione exceptus à civibus, receptuſque in intimam familiaritatem à juniore Federico Abbate Cornelio, poſtea Cardinali, hujus auſpiciis Academię Ricovratorum, quę etiamnum viget, initia legibus optimis confirmavit. Nec tamen diu viro doctiſſimo in patria vivere licuit. Nam ab obitu Clementis, evocatus Romam à Leone XI. cùm eò perveniſſet, Leone mortuo, à Paulo V. inter aulicos intimos lectus, Pręlati, ut dicunt, Domeſtici, & Signaturę utriuſque Referendarii dignitate auctus eſt. Hanc geſſit exinde regnantibus Gregorio XV. & Urbano VIII. inter otii ſapientis delicias, quibus ętatis poſtremos annos addixit: uſque adeo Urbano ipſi carus (8), ut huic uni conceſſum ſit, quamvis non Purpurato, coram Pontifice ſedere. Ejuſdem permiſſu Patavinum Canonicatum tranſtulit in nepotem Flavium, quem cum fratribus Poiagi comitem vidit ob patrui merita dictum (9), ornatumque munificentia Ducum Ateſtinorum. Fertur morti proximus, die ante fatalem, cum expiatus ritè D. Franciſci geſta latinè deſcripta audiſſet attentè, ſeque cingi funiculo Divi illius tutelaris ſui juſſiſſet, exclamaſſe: *ò Pater Joannes Baptiſta, quàm hæc verè intellexiſti*, Alfonſum Principem ac Ducem Mutinę ſignificans, qui dudum ſe cœtui Capuccinorum adſcripſerat (10). Obiit 1633

(1) Scen. liter. p. 54. (2) ibid. p. 178. (3) Elog. Tomaſ. Tom. 2. p. 134. 137. (4) idem ibid. p. 139.
(5) idem ibid. p. 140. (6) idem ibid. p. 144. (7) ibid. p. 141. 142. (8) Pallavicin. de Bono lib. I. c. 7. p. 13.
(9) Tomaſ. ibid. p. 145. (10) Inſcrip. Pat. p. 63. n. 181.

Romæ Kal. Septembris an. MDCXXXIII. ætatis LXXXVII. Plura ei cenotaphia Flavius nepos erexit, quæ apud Salomonium leges, & Tomaſinum (1). Sed maximum illi Sfortia Cardinalis Pallavicinus elogium edidit, cùm in Dialogis de Bono diſceptantem induxit (2). Hoc lecto, noſces, quantus vir hic, quantæ doctrinæ, profundæque ac liberalis, urbanæ quoque ac planè nobilis ſapientiæ fuerit, quem tanti fecit cenſor alienorum intra fines juſtæ ſeveritatis æquiſſimus. Eloquentiam ejus Latinè, Græcè, Etruſcè nitidiſſime loqui ac ſcribere doctam laudat ampliſſimè, Poeſim ſobriè ac modeſtè. Verba Pallavicini edita italicè latinè reddimus, quò intelligat noſtra poſteritas, quid ſit, quod homines docti cenſent in Poeta victurum, & ſanis ingeniis placiturum; atque inde diſcant, ſi ſapiunt, odiſſe & contemnere, quæ verbis herculeis de ſæculo XVI. blaterant, qui Grammaticam unam in humaniore literaturâ mirantur ac prædicant, exiles Oratores, & Poetæ proſaici. *Scribebat*, inquit, *ille* (Quærengus) *tamen, ut ejus Carmina Latina, & Etruſca demonſtrant, ſtylo aliquantulùm gracili, & exſucco, ſano potiùs, quàm valido: purgatiſſimo ſanè at non ditiſſimo: in quo ſit multum quod laudes, perparum quod admirere, ut mirandum tibi ſit, quòd nihil habet reprehendendum. Hinc Poeſis Quærengi probatur magis, quàm legitur: & in illa uſu & experientia conſtituitur, quàm ſit conſentaneum Veritati, quod ſæpe dicentem audivi Savonenſem Pindarum Gabrielem Chabreram: nimirum: officium Poeſeos eſſe, ut legentium audientiumque ſupercilia ſuſpendat, & contrahat.*

Edita Opera Quærengi.

Hexametri Carminis libri VI.

De M. Varronis Diviſione, qua ſe complexum arbitratus eſt omnes Philoſophorum Sectas.

Rhapſodia Variorum Carminum libri V.

De geminis nobilium Scientiarum Officinis.

Pendaſius, ſive de Anima Immortalitate libri II.

De præſtantium linguarum cognitione libri III.

Epitome tertii Tumultus Belgici Alexandro Farneſio Provinciam adminiſtrante.

De Platonis, Ariſtotelis & Polybii in Politicis rebus diſſenſione.

De Unica totius Politicæ Diſciplinæ Methodo.

De Naturali Verborum ſignificatione.

De Analytica Methodi in utraque Philoſophia indifferenti uſu.

De triplici Rhetorica. De imitatione Veteris Eloquentiæ.

De hiſtoria Pragmatica Polybiana triplici fine.

De Ideis Hermogenis.

De Judicio Dionyſii Longini in Comparatione Demoſthenis, & Ciceronis.

Reliqua, quæ Italicè ſcripſit, pete à Tomaſino (3).

1635 CCXVI. Claris alumnis gymnaſii noſtri à nobis additur CYRILLUS LUCARIS Conſtantinopolitanus Antiſtes, quòd quamvis impius, & infelix, vir tamen doctiſſimus fuerit: nec peccaverit ex ignorantia, quæ plerunque noſtros ad ineptias compellit, ſed ſciens, ac prudens, quam norat, orthodoxæ fidei veritatem in Græciâ noſtrâ perditum ire contendit. De eo diverſiſſima ſcribunt hinc Leo Allatius (4), inde Luthero-Calviniani, quos congerit, & quibus adſtipulatur Hilarius Diaconus Lutheranus in notis ad Chronicon cujuſdam Philippi Cyprii mendoſiſſimum (5), ineptiſſimum. Sed intereſt inter hos duos, quòd Allatius ſynchronus, & tunc vivens in Græcia, eorum, quæ narrat, veritatem à certiſſimis ejuſdem temporis Scriptoribus, ac teſtibus oculatis, nec partium ſtudia ſecutis mutuatus, exponit: cùm qui citantur ab Hilario errones quidam ſint Monachi, qui ſe Calvinianos apud Calvinianos, ut pecuniam corraderent, mentiebantur, Canopius, Critopulus, aliique hujus farinæ ludiones, & ridendæ Græcis hiſtrioniæ magiſtri. Quamobrem nos hujus hominis ſæculo ſuperiore celeberrimi notitiam facturi primum ſequemur, abrogato, & ad fabulatores rejecto ſecundo, quem ſolùm in iis vera nobis proponere non dubitamus, quibus apertè probatur, Cyrillum Calvinianorum dogmatum aſſeclam vel fuiſſe, vel quod veriùs exiſtimamus, ſe eſſe ſimulaſſe. Nam hoc ipſum multis contendit Hieroſolymorum Patriarcha Doſitheus (6), idipſumque conſtituunt & Coreſius (7), & alii ex noſtris plurimi, qui Cyrilli complectuntur hiſtoriam, Epiſtolis intra an. MDCXL. datis, quibus refragari pluſquam abſurdum ac petulans nemo ſanus non dixerit. Cyrilli Lucaris nobilis ab origine familia Epidauro Illyricâ in Cretam advecta eſt, ubi diu floruit opibus & honoribus, quando eam in Cretenſi tabulario, quod eſt Venetiis, reperio affinitatibus coniunctam cum Meliſſenis, Argyropulis, atque etiam Palæologis. Hæc tamen, ut ferunt rerum ac temporum vices, ad infimam paupertatem redacta eviluit apud nos adeo, ut ad villicorum conditionem abierit; atque rure in urbem translata, dignita-

(1) ibid. p. 146. 147. (2) loc. cit. p. 12. (3) ibid. p. 147. 150. (4) de Conſenſ. lib. 3. c. 7. & 11.
(5) p. 439. 460. (6) in Prolegom. ad Synod. Hieroſolym. (7) Epiſt. 13. ad Goar.

dignitatibus omnibus mota, in humillima vixerit plebe: quò verum reipſa ſit, quod ſcribit Allatius (1), Cyrillum obſcuris, ac miſeris parentibus in Cretâ natum: quando pater ejus cerdo ſuit, patruus lanio, mater fulloniam exercuit. Ipſe puer piſcatori primùm famulatus eſt, mox inter minores lixas nauticos & Meſonautas numeratus Rhodon, Tripolim, Alexandriam adiit. Illâ in urbe adoleſcens non invenuſtus, & eximio ſpiritu præditus, ob patriæ communionem cùm Meletio Pegæ Patriarchæ Alexandrino innotuiſſet, ab illis fortunæ ſordibus ad Comitatum Patriarchalem traductus eſt: ac Monaſtica veſte indutus, dictuſque pro Conſtantino Cyrillus, in ea veſte literas didicit, utque erat ingenio celertimo, brevi & ſcribere emendatè, & velociter ſcripta percurrere ſcivit. Quare gradatim ad Sacerdotium provehitur, & fratrem alterum ad ſe advocat, quem Monachum factum acceperat. Porro cùm ejus experrecta indoles omnibus admirationi eſſet, ipſeque addictiſſimus Domino ejus amorem uſque ad delicias fuiſſet emeritus, ab eo in Italiam dimittitur, ut ſeveriores diſciplinas addiſceret. Græcas literas uberiùs hauſit Venetiis ſub doctoribus Græcis, Latinas & Philoſophiam, quadantenus quoque Theologiam, Patavii auditor Cremonini, & Mordani, quorum alterum laudat (2), vituperat alterum, quòd latina de Prædeſtinatione, ac Juſtificatione dogmata publicè ab exedrâ propugnaſſet. Alexandriam reverſus, jamque inter illuſtriores Clericos ob famam Sapientiæ, miramque dicendi facundiam habitus, à Meletio Archimandrites renunciatur, & Abbas Angarathi, maximi in Creta cœnobii, ſimul in utramque Daciam trans Iſtrum legatur. Eò proficiſcens patriam reviſit, nactuſque poſſeſſionem opulenti cœnobii, in illo cum poteſtate Vicarium fratrem reliquit, quem mox cœnobium illud Abbatem habuit, notum & avo & patri meo, à quo vir probus, literarum planè expers, & ad ſtruenda convivia magnificè idoneus mihi deſcribebatur. Cyrillus in Daciam delatus, peractis Patriarchæ negotiis, peregrinationem ſuſcepit per Germaniam & Galliam, fuitque tum Wittembergæ, tum Genevæ Monachorum noſtrorum more, qui longiſſimè peregrinantur apud Allophylos ad corrogandam pecuniam. Ubique ab his benignè acceptus, & ad Orthodoxam fidem ejurandam illectus, eam auro poſthabuit, ſubſcriptis capitibus contra credulitatem avitam, quam, ut ſcribit Coreſius (3), mille & quingentis aureis divendidit. Eâ pecuniâ dives Alexandriam revertitur, unde in Cretam ablegatus ad ſtipem pro Patriarcha cogendam, ille longiore circuitu uſus, litoralem Aſiam peterrat, atque per Conſtantinopolim, & Cycladas in Cretam invehitur, corraſis ubique nummis, præſertim ex patriâ, quæ ultro homini jam Exarcho, provocata quoque concionibus ejus, quas ſæpe in templo Deiparæ Trimartyros habuit, contulit multos. Jam ſpoliis Græciæ pinguis Alexandriam morte Meletii revocatus eſt, ubi pecuniâ, quam collegerat, quamque ejurata fide quæſierat, corruptis ſuffragatoribus, cùm omnes Geraſimum Spartalioten reſpicerent, ipſe eligitur Patriarcha. Hanc dignitatem adeptus, majora ſperare cœpit, jamque inſulas Byzantinas aſpectare. Profectus igitur Alexandriâ Conſtantinopolim convolat, vivo adhuc Neophyto Patriarcha, quo paulo poſt mortuo, eam ſedem ambivit: verùm repulſus communi ſuffragio, quòd & ejurata fides ſenſim percrebuiſſet, & ejus cum hæreticis mercatoribus commercia plus ſatis paterent, paſſus eſt Timotheum à Preconneſo Patriarcham legi, cui tamen illico clam palam inſidias moliri cœpit, quibus patefactis, coacta Synodo Patriarchatu Alexandrino deiicitur: Urbe depellitur: cogiturque in Atho ſecedere: mox etiam mandatum Turcicum obtinetur, ut laqueo pœnas daret. Id quod ubi Athonitis Monachis innotuit, hominem aliò amandant, ubi latuit, donec Sectariis ejus curantibus inter ipſum & Timotheum ſancita pax eſt, reſtitutuſque eſt Sacris, modò abeſſet Conſtantinopoli. Ergo iter ingreditur per OEnum & Adrianopolim in minorem Ruſſiam: neque enim Alexandriam regredi poterat: quippe ipſi exautorato ſuffectus erat Geraſimus; manendumque ipſi erat in Europâ, quòd adhuc inhiabat inſulis Byzantinis. Nondum in Daciam Orientalem pervenerat, cum repentè moritur Byzantii Timotheus, veneno palam interemptus, quod illi Joſaphat Andrius Archimandrites propinavit, dum apud Oratorem Hollandum exquiſitis epulis tractatur. Compoſuerat poculum atrox Apollonius Chius medicus, teſte Coreſio (4). Eo epoto domum reverſus Patriarcha, inteſtinis doloribus cruciari, opprimi gravedine capitis, lumen oculorum amittere, contremiſcere, emori. Accerſitur Medicus, qui alvum clyſmo trahendam docet, inſuditque clyſmo venenum, quo Timotheus oppreſſus interiit. Rem poſtea patentiſſimam fuiſſe Scriptores noſtri omnes affirmant, cùm exortis

(1) ibid.c.11.n.4.p.1073. (2) Epiſt.2.& 3.ad Legerum. (3) d.Epiſt.13.ad Goar. (4) Epiſt.14.ad eund.

deinde Cyrillum inter & Archimandritam jurgiis, hic rem uti acta fuerat, coram omnibus in templo Pammacariſtæ confeſſus eſt; quem propterea Cyrillus diris devotum à Janizzaris interficiendum curavit. Interea ipſe poſt obitum Timothei à ſuis eligitur Patriarcha. Ea in dignitate per menſes quatuor fidem Ecclesiæ Græcæ profeſſus eſt, mox abiicere, domeſticis ſermonibus Calvinianam hæreſim probare, Catechiſmo etiam ſub ſuo nomine edito, ac vulgato profiteri, certè pati ſub ſuo nomine peſtilentiſſima dogmata circumferri, ipſo tacente, annuente, privatimque, quod publicè nunquam auſus eſt, fatente. Non tulit tantum tam triſte piaculum Græcia, indictâque Synodo hominem à Sacris arcet, exilio in inſulam Rhodon mulctat, atque Anthimum Adrianopolitanum Antiſtitem illi ſubſtituit; quam in rem, ut ex actis publicis conſtat, Græcia viginti Daleriorum (nummus eſt Turcicus Coronato ſuppar) millia ærario Turcico ſolvit. Nec tamen hoc profuit: nam Cyrillus, Calvinianis opibus fretus, exilium pecuniâ redemit à Turcis, ac libertati reſtitutus Galatam petiit, Sacrorum reſtitutionem tentaturus. Tutatus eſt ſeſe Anthimus oblatis Ærario quadraginta Daletiorum millibus, ſed Cyrillus ſexaginta millibus, & ingenti pecuniâ promiſsâ Anthimo, quod volebat, invitâ Græciâ, obtinuit. Ceſſit Anthimus, ſeque ad Atho recepit; ipſe ſedem iterum occupat: & Anthimo quidem pactam pecuniam non ſolvit, promiſſam exigenti reſpondit, ſuperfuturum illi pro pretio ceſſionis, ſi vivere ſineretur. At Turcis promiſſum aurum ſolutum populatione rerum Ecclesiæ Sacrarum: Etenim cùm ingenti fœnore pecuniam Turcis dandam ab Hollandis Mercatoribus accepiſſet, ſacras dignitates & omnia his ea licitaturis permiſit. Et vendidere illi omnia tantâ ſanè cum lucri curâ, tantâque ſævitie, ut Orientalis Ecclesia tota ingemuerit, facta hæreticis repente ſtipendiaria; tandemque cognoverit, quæ ſit ratio Calvinianæ charitatis, quæ diu, oblatâ pecuniâ, oblatâ educatione Græcorum, atque etiam editione librorum gratuitâ, ſe noſtris inſinuaverat. Hæc ſecunda fuit Cyrilli præfectura Byzantii, quæ tamen non diu ſtetit. Nam Græci non paſſi diſamatum ob hæreſim nomen hominis, fidem omnium Chriſtianorum implorant, Româ etiam auxilium nequicquam efflagitant, ingentique pecuniâ agunt, ut iterum Cyrillus in Rhodon deportetur, cui Amaſienſem Gregorium ſufficiunt. Is paulo poſt dejicitur, reſtituto violentiùs Cyrillo iiſdem artibus, quibus factum, ut dejectus Gregorius, dum in exilium deducitur, ſtrangularetur. Ità tertiò tyrannus Byzantinam Sedem invadit, cui ad meliora conſilia revocando Romam non defuiſſe ſcribit Allatius; at maluit ille præſentibus hæreticorum auxiliis inniti (1). Igitur his conſiſus promiſcuè Græciam perditum ibat: quæ ulteriùs teterrimum hominem, tyrannum, hæreticum ferre non potuit, ſed dejectum tertiò curavit carcere ad Mare Euxinum includi: quo in loco juſſu Turcarum ſtrangulatus in mare dejicitur. Hoc indignatum infame cadaver in terram expuit, ubi à prætereuntibus inventum effoſsâ terrâ ſepelitur; nec tamen ita contectum eſt, ut ejus ſignum non appareret. Nam veſtis pars extra terram fuit, quam viatores conſpicari, ratique theſaurum eâ indicari, terram effodiunt, & cadaver brutum, ac luridum extrahunt, inſepultumque relinquunt. Periit an. MDCXXXV. Menſe Martio ætatis LXVI. Martyr quidem Luthero-Calvinianis apud Hilarium Diaconum, reipſa & deteſtabilis Græciæ ob hæreſis ſaltem hypocriſim, & ex eo memorabilis, quòd in decus vertitur gymnaſio noſtro. Vir enim fuit, ſecluſâ impietate, & impotenti ambitione, doctus, eloquens, & antiquitatis, ſi quis alius noſtrorum, ſtudioſiſſimus. Quæ impiè ſcripſit hæc ſunt nobis nota.

Pſeudo-Catechiſmus, ſeu falſo appoſita Græciæ dogmatum hæreticorum Confeſſio, quam plures Scriptorum noſtrorum impugnavere, & in his ex profeſſo Meletius Syrigus Cretenſis: damnavere verò decretis Synodicis editis, & Hieroſolymitana ſub Doſitheo Patriarcha, & Generalis Græciæ totius Byzantii habita ſub Cyrillo Berrhoenſi Antiſtite Conſtantinopolitano.

Epiſtola ad hæreticos plures, quas citat paſſim Hilarius.

Epiſtolæ duæ dogmaticæ, altera ad Rhadulam Principem Daciæ contra Emendationem Kalendarii, & novitates Latinorum, altera ad Chriſtianos per Poloniam adverſùs hæreſes Latinorum, editæ à Doſitheo (2).

Orthodoxa vel Adiaphora.

Hiſtoria Perſecutionis Ægyptiæ adverſùs Orientalis Eccleſiæ Filios, priſcâ linguâ Græcâ.

Concionum Tomi IV. linguâ vernaculâ, ex quibus multa excerpit Doſitheus (3), ut probet, Cyrillum nuſquam publicè profeſſum Calvini Dogmata.

Epiſtolæ

(1) loc. cit. (2) in Tomo Caritatis p. 547. 554. (3) in Prolegom. ad Synod. Hieroſoly.

Epiſtolæ ad varios multa, quarum ad LX. vidimus priſca vel vernaculâ linguâ conſcriptas.

Complementum ... *appellat*, *Scholiorum Meletii Patriarchæ ad Menologium Alexandrinum*. Ex hoc ſæpè citatur à Silveſtro Deſo in Menologio Angarathenſi.

Tractatus IV. Theologici. De Incarnatione. De Pœnitentia. De Sacramentis. De Virtute, & Vitio.

CAPUT XLVI.

Franciſcus Maria Abiatus. Antonius Rochus. Guidus Caſonus. Cæcilius Follius. Georgius Coreſius. Petrus Poma. Pax de Paſino.

CCXVII. FRANCISCUS MARIA ABIATUS Mediolanenſis in ſeminario Clericorum Mediolanenſium, cui ſe adolſcentulum mancipavit, liberalibus diſciplinis excultus eſt; inde cùm in collegium Canonicorum Regul. Lateranenſium fuiſſet adſcitus, in hac Academia Patavina Philoſophiæ, Theologiæ, ac juri Pontificio operam dedit, ubi laurum conſecutus, & in ſacrum Theologorum cœtum receptus (1), verbum Dei Concionator eximius præcipuis Italiæ urbibus enunciavit. Præfuit poſt hæc ſuis Abbas S. Mariæ Albæ Caſoratii apud Mediolanum, & S. Caroli Monatii apud Larium lacum, ſummâ cum laude, indeque à Paulo V. ad Bobienſem Eccleſiam ſubvectus eſt an. MDCXVIII. eamque deceſſorum incuriâ deformatam reſtituit, auxit, ornavit, ac rigidus ſacræ diſciplinæ cuſtos & exactor non ſubjectæ dumtaxat plebi ſuæ profuit, ſed ultro ad utilitatem proximarum ſeſe efferens juſſu Friderici Card. Borromæi Archiepiſcopi Mediolanenſis remotiores Mediolanenſis diœceſis Valles immenſo labore, ſummoque ardore procurandæ religionis inviſit. Scripſit, præter ingens volumen Concionum Italicarum, multa: Reſponſa quoque latina in re Morali theologicè pertractanda non pauca. Horum duo vidimus; in horum altero luculenter ac lacertosè probat, ac planè comprobat, venias, quas diſpenſationes appellant, adversùs OEcumenicarum Synodorum decreta fieri minimè poſſe ullâ Eccleſiaſticâ poteſtate, niſi cauſa ſubſit, quæ neceſſitatem, vel ſaltem evidentem, & magnam utilitatem contineant non ſanè eorum, quibus veniæ hujuſmodi fiunt, ſed communitatis, aut Eccleſiæ: quamobrem conficit, eas, ni rariſſimè fiant, nullius momenti eſſe. In altero adverſus Penſiones Eccleſiaſticas ſummo ardore atque impetu ſtylum exacuit, oſtenditque, inſtitutionem earum, quam eruditè illuſtrat, uſu vel potiùs abuſu quotidiano corrumpi. Eas beneficiis curam animarum agentibus, ut ut opulenta ea ſint, nulla ex cauſa indici poſſe: nec licere Curatoribus Eccleſiarum ſine crimine in earum onus à quocunque impoſitum juſſumve conſentire. Ex utroque hoc reſponſo multa olim decerpſimus, quæ in opus annorum, quod ad laborum noſtrorum commodum, quaſi promptuarium conſarcinavimus, ſepoſuimus. Obiit in Eccleſia ſua circa an. MDCXXXVIII. De eo Campius (2) & Ughellus (3). 1638

CCXVIII. ANTONIUS ROCHUS (4) Romanus Fabii, Cl. Medici filius, Philoſophicum emenſus curriculum in collegio Romano Societ. Jeſu, patrem ad operas Medicas conductum Peruſiam ſecutus, ibi Philoſophi ſibi laudem iterum aſſeruit ex interpretationibus Peruſini gymnaſii citra polemicas rixas. Patre mortuo, Patavium venit excitus famæ rumoribus Cremonino plaudentis, atque hìc diu moratus laurum retulit tum Philoſophicam tum etiam Theologicam; inde profectus Venetias ludum Philoſophicum aperuit, quem frequentavit juventus patricia tanto cum plauſu, ut illi ab obitu Bellonii ſedes Patavina prima Extraordinariæ Philoſophiæ fuerit oblata; ab ea tamen ſe modeſtè excuſavit, quemadmodum & ab oblata, invitante Magno Etruriæ Duce, in gymnaſio Piſano. Hinc illi à Senatu Veneto ſancita eſt Moralis Philoſophiæ ſedes Venetiis, receptuſque ibidem in collegium Philoſophorum ac Medicorum florebat anno MDCXL. nec ſcimus quandiu fuerit ſuperſtes. Edidit. 1640

Volumina tria in Ariſtotelis Univerſam Philoſophiam.

Exercitationes Philoſophicas pro Ariſtotele in Galilæum Galilæi.

Lycæum Stagiriticum. In Logicam Ariſtotelis Volumen I. & in Metaphyſica I.

Librum

(1) Act. Colleg. Theol. apud Salom. in Collect. Tomaſ. in Chronotaxi. (2) Hiſt. Placent. P. 1. p. 52. 53.
(3) Tom. 4. p. 945. n. 38. (4) Incogniti p. 59. & ſeqq.

Librum de Immortalitate Animæ rationalis, via quadam ſublimi peripatetica, ſed non-dum ulli uſus poſt Ariſtotelem ſignata veſtigiis.

1640 CCXIX. GUIDUS CASONUS non ignobilis ſæculi ſuperioris Poeta, præcipuiſque laudibus celebratus ab Incognitis (1), nobili genere natus eſt Serravalle, in eâ regione, quam Tarviſinam Marchiam appellant; Patavii Philoſophiæ navavit operam ac Juriſprudentiæ; & ex utrâque doctor, ubi rediit in patriam, ſubactum his diſciplinis ingenium ſacravit muſis Italicis, quarum afflatu, ſuaviter adeò & eleganter luſit vinctâ ſolutâque oratione, ut in utroque dicendi genere, ſi minus primas tulit, par certè primatibus viſus ſit. Preſſus infortuniis in patria, Venetias venit, ſuitque inter primos ac præcipuos Incognitorum ſodales; mox rebus compoſitis, cum rediiſſet in patriam, fato feliciore uſus, pacatiùs in Muſarum delicias incubuit, quas inter deſiit eſſe mortalis anno MDCXL. Edita ſunt, & celebrantur hæc ejus opuſcula.

Odarum Partes V. Theatrum Poeticum auctum. Emblemata Poetica,

Chriſti Patientis Deſcriptio, & in Ectypas icones diſtributa.

Intima in animo diſſertationes, ſeu Meditationes,

Diſſertatio de Inſignibus, Prelia pacata, Magia Amatoria,

Oratio ad Joannem Erizzum Venetorum Ducem,

Diſſertationes Academica, Orationes Sacra,

Vita Torquati Taſſi,

1640 CCXX. CÆCILIUS FOLLIUS Eques, Mutinæ natus poſt obitum patris (2) in bello Carnico interfecti, apud patruum Jo. Baptiſtam Archiatrum in Venetæ ſanitati præpoſito magiſtratu fuit; educatuſque ſplendidè, poſt inſtitutionem humaniorum literarum ad Medicinæ ſtudia miſſus Patavium, hinc lauream doctoris reportavit. Regreſſus Venetias Medicinam fecit egregiè, tanti habitus, ut adhuc adoleſcens equeſtris ordinis ornamenta fuerit conſecutus. In eâdem urbe Anatomici publici munere diu perfunctus laudem & plauſum omnium promeruit. Florebat maximè an. MDCXL, ac deinceps an vixerit ignoramus. Edidit latinè

Sanguinis à dextro in ſiniſtrum cordis ventriculum defluentis facilem repertam Viam. Novam auris internæ delineationem,

Italicè

Diſſertationem Anatomicam de Pinguedine: alia quoque ſcripſit, quę ab Incognitis recenſentur (3).

1641 CCXXI. GEORGIUM CORESIUM, familiâ nobili oriundâ è Creta, ſed ex traduce in Chium inſulam translatâ natum in ejus inſulæ urbe Allatius refert (4), ſtuduiſſe Piſis, cùm ipſe ſcribat (5), ſe Patavii diu, & bonis artibus & Philoſophiæ ac Medicinæ navaſſe operam: & fortè hinc Piſas commeaverit, vel indè huc venerit: illud potiùs, nam poſtquàm ſe Alumnum gymnaſii noſtri profeſſus eſt, medicinam ſe Piſis feciſſe aliquandiu gloriatur, diutiùs Labrone, in oppido & portu Etruriæ noto: unde Maſſiliam navigaverit, indeque redierit in patriam. In ea Medicus ita artem exercuit, ut ſe doctorem Theologum inter Photianos, & Photianorum dogmatum patronum jactaret ſuis unis auſpiciis. Eum rudem ingenio, & contumacem, dictione barbarum, loquentemque potiùs quàm eloquentem, amphibium religione, Latinorum, per quos profecerat, hoſtem acerrimum, Græcis verò pernicioſum, idem Allatius non cenſet dumtaxat, ſed prędicat (6). Nec abnuerim, ſcripta ejus rudi ſtylo, ac ferreo quodam dicendi charactere deformia eſſe, contra quod ſolent noſtri, dum vernacula lingua ſcribunt, aut diſſerunt. Cùm de dogmatibus quoque philoſophatur, blaterare hominem, ac deſipere uſque ad delicias fatebere. At non caret ingenio, & facundus eſt, & eruditus, & in multa Scriptorum Græcorum lectione verſatus, denique in iis etiam, quæ delirat, acutus; atque ita quandoque ſubtilis, ut vel ipſis Photianis fuerit ſuſpectus. Hinc ab ipſis anathemate percuſſus ſacrorum communione abſtinuit ſe: unde factum, ut ad caſtra Latinorum jam ſenex transfugiſſe viſus ſit. Nec deſunt, qui aſſerant, eum tandem manus dediſſe, confeſſum non aliter ſentiendum eſſe, quàm priſca Orientalis Eccleſia (quę una eſt, quod attinet ad fidei dogmata, cum Occidentali) docet, ac prædicat. Legimus ejus Homologiam ad Goarium (7) ſcriptam, quæ certè Orthodoxa eſt, mittiturque ac ſignatur an. MDCXL, qui vel poſtremus ejus eſt, vel poſtremo proximus fuit defuncto circa an. MDCXLI. ætatis LXXXVII. Scripta ejus plurima ſunt, eaque obiter, ut occaſio ſe ſe obtulit, ab Allatio recenſita. Quæ nos legimus & annotavimus, hos titulos habent.

Epiſtola ad Goarium XXVIII. partim Græca, partim Latina; ad alios XXX. Gręcę. Ex primis

(1) p. 293-295. (2) Incogniti p. 97. (3) ibid. p. 92.
(4) de conſenſ. lib. 3. c. 7. num. 10. p. 997. (5) Epiſt. 3. ad Goar. (6) d. p. 997.
(7) Epiſt. 23.

primis & laudatur (1), & citatur (2) à Goario

Epigrammata Græca multa ſparſim edita.

Deſcriptio incluti certaminis Florentini, quod Harpaſtum vocant, verſibus Græcis

Confutatio Fluitantium Galilei.

Theologica

De Sacramentis. De Tranſubſtantiatione. De Prædeſtinatione. De Gratia & libero Arbitrio. De Incarnatione. De Invocatione Sanctorum, & cultu Sacrarum Iconum.

Confutatio Pſeudo-Synodi ab Hæreticis habita in Belgio.

Opuſculum de Proceſſione Spiritus S. typis Londinenſibus, cum aliis Photianorum Opuſculis.

Diſſertationes VI. de Proceſſione Spiritus Sancti.

Enchiridion de Proceſſione Spiritus S. emendatum & in Capita XII. diviſum atque editum Jaſianis Typis à Doſitheo (3) Patriarcha Hieroſolymitano A. MDCXIV. Quibus adduntur capita X. de eſſentia & Attributis & lumine Taborio.

Liber I. de erroribus Latinorum.

Deſcriptio Montis Atho, ex qua ſua habet quidam Joannes Comnenus in ſuo Adoratorio.

CCXXII. PETRUS POMA, Pordenonii apud (4) Carnos genitus, claruit ſæculo 1642
ſuperiore gloriâ inſignis literaturæ. Is Alumnus gymnaſii noſtri fuit, unde J. V. D. in patriam rediit, iiſque opibus plurium ſcientiarum inſtructus, quibus, Juriſprudentiâ ſeclusâ, apud viros doctiſſimos non exigui nominis habitus eſt. Coluit præcipuè Philoſophiam Platonicam, & nitorem Italæ facundiæ, ſed & ad Aſtrologicas meditationes ac theoreſes propenſus, futurorum arcana profundis obſervationibus rimabatur. Ab harum tamen vana & impia curioſitate illum abſtraxit religio, quæ artis deliræ dogmata, uſumque iteratâ ſententiâ ſub Urbano VIII. damnaverat. Vertit igitur animum ad ſcribendas hiſtorias, quarum bipartitum Guſtulum dedit libris editis, quorum ea fama & laus apud eruditorum populum fuit, ut ex illa Vindobonam à Ferdinando Cæſare fuerit invitatus, oblato hiſtoriographi honeſtiſſimo titulo, amploque ſtipendio. An in eum honorem ſubierit, aut in aulam acceſſerit, ignoramus; nam Incogniti de hoc nihil; Tomaſinus autem, cùm oblatam illi Patavinam meteororum exedram ſcribat (5) anno MDCXL, ſimul annotat, excuſaſſe ſe virum privatæ quietis amantiſſimum. Superaſſe videtur vivendo annum MDCXLII. nam idem Tomaſinus (6) alibi ſcribens circa annum illum, ut adhuc ſuperſtitem laudat bis ex notatis hiſtoriæ guſtulis.

CCXXIII. PACIUS ſeu PAX DE PASINO Vicentinus, de cujus genere, conſule, 1644
ſi vacabit, Incognitos (7), diu vixit Patavii perpetuus auditor Cremonini, cui præ omnibus adhæſit, donec Philoſophum ſe dixit; vertit deinde ſe ad Jureconſultos, quorum ubi ſe imbuit documentis, jam proximus magiſterio, hujus honorem contempſit, ut humaniori literaturæ ac Mathematicis diſciplinis, ad quas ex ingenio propendebat, ſe totum aſſereret. Sed & iterum Cremonino ſe addixit, jamque plenus hujus dogmatibus rediit in patriam. Ibi plures ærumnas, lites, criminationeſque paſſus, præſertim ob liberiores de Anima ex Cremonini doctrina ſententias, abire domo coactus eſt, exulavitque biennio Jadræ in Dalmatia. Redux deinde Vicentiam ſaniore & mente, & fortuna uſus, & uxore ducta modeſtior ex elegantiſſimis ſcriptis inclaruit. Obiit Patavii ſexagenario major an. MDCXLIV. Multa ſcripſiſſe dicitur. Hæc edita vidimus.

Rhythmorum Italicorum Volumen. Tractatum de Metaphora. Narrationes Amatorias. Poema proſa compoſitum, inſcriptumque *Eques Peſſumdatus*. Laudat ejus Tragœdiam *Cleopatram Epiphanis* Tomaſinus, eamque recenſent Incogniti.

C A P U T XLVII.

Ægidius Bucherius: Nicephorus Corydaleus. Franciſcus Pona. Ludovicus Vivaldus.

CCXXIV. ÆGIDIUS BUCHER ex catalogo nationis Hiſpanæ, & actis (8) Quæ- 1644
ſtoris ab Hiſpana gente adoptatus, ut mos tunc habebat, in ea Conſiliarius fuit, & Matheſeos ſtudioſis: nec alius eſt à celeberrimo viro Bucherio, quem accuratiſſimum emendatę Chronologiæ patrem ſuperius ſęculum appellavit. Is enim Patavii ſtuduit, ac Philoſophos audiit, tum apud Patres Societatis Jeſu, tum in gymnaſio

(1) in Præfat. notar. ad Euchologium. (2) ibid. ad Offic. laudum not. 12. p. 57. Not. ad miſſam 190. p. 814. Not. in Ordin. Epiſcop. p. 315-319. (3) Tomo Reconciliationis à p. 276-410. (4) Incogniti p. 377-379. (5) in Chronotaxi ad An. 1640. (6) in fine hiſtor. Iſtriæ (7) pag. 369.
(8) Extant in Miſcell. & Collect. Salom. ad Inſcrip. Gymn.

ſio Cremonini auditor, cujus, ut prçceptoris ſui alicubi (1) meminit. Natus eſt Atrebati an. MDLXXVI. in Belgio. Sruduit Pariſiis, unde à nobili Gallo comes in Italiam deductus hæſit Patavii biennio jam tum laborioſus adoleſcens, atque in hiſtoricis diſquiſitionibus diligens & curioſus. Pietatis initia cœpit in Patavino Societatis Jeſu collegio, quod frequens adibat, atque ex eo tempore cooptari ſe inter Socios deſideravit, ſed revocatus in patriam à matre, quòd pater ejus obiiſſet, curandæ familię addictus eſt: ſed & matre brevi è vivis ereptâ, quòd optaverat, & ſecum ipſe decreverat, effectum dedit, ſacrumque iniit Societatis inſtitutum. Lovanii Theologiæ navavit operam, evaſitque præclarus Theologus, atque eâ ſacrâ ſcientiâ ſalva præclariſſimus hiſtoticus, ſupputatorque Chronicorum accuratiſſimus. Pręfuit Sociis (2) Leodii, deinde Bethunis; ediditque multa. Præcipuum ejus opus eſt de *Cyclo Paſchali*, ſive *in Victoris Aquitani Canonem Paſchalem*. Ibi exponit Cyclos omnes Paſchales diligentiſſimè, verum mortis Chriſti diem colligit, & Chronicam methodum veriorem hiſtoriæ Eccleſiaſticæ prçſtituit,

Opera ejus reliqua ſunt,

Diſceptatio Hiſtorica de primis Tungrorum Epiſcopis, cum poſteriorum Chronologiâ.

Chronographia Hiſtoria Leodienſis, additis tabulis Summorum Pontificum, Imperatorum, & Regum Galliæ.

Annales Belgici. Edita erant hæc anno MDCXLII. atque etiam ampliſſimæ *nota in Gregorium Turonenſem*. Nam eo ſuperſtite ea recenſentur illo anno per Allegambium, nec diu ſuperſtes fuerit, qui tunc ſeptuagenario proximus erat. Si quid edidit præter hæc, dicent Auctaria Bibliothecæ Societ. Jeſu, quæ nobis præſto ſcribentibus haud ſunt.

1646 CCXXV. NICEPHORUS CORYDALEUS Athenienſis, Græcas literas eloeutionis priſcæ didicit doctore Franciſco Cauco (3) Naxio, viro doctiſſimo, &, ut conſtat ex editis ejus epiſtolis, (ſi fas ità cum Juriſprudentibus (4) loqui) nitidiſſimæ Græcitatis. Ab hoc Romam miſſus, in collegio Græcorum ſtuduit aliquandiu ſub Patribus Ordinis Prædicatorum, unde digreſſus ad pleniſſimum ſcientiarum quæſtum Patavium venit. Hic Cæſaris Cremonini diſcipulus, ex eo potiſſimùm opinionem illam hauſit; ex qua una ſcripta ejus Philoſophica damnantur à Græcia noſtrâ. Tanti eſt ſi lycæa maxima per incuriam patiantur, ea publicè doceri, quæ orthodoxâ ſententiâ reprobantur. Poſt triennium regreſſus in patriam Monachum ſe dixit, ac ludum Athenis aperuit ſummâ nominis gloriâ, ac diſcipulorum frequentiâ, quam ipſi conciliabat acumen ingenii, taciturnitas Philoſophica, elegantia Græcæ facundiæ, quæ neque effuſa, neque ruſtica, intra modum Socratice parcitatis leporem planè Atticum ſemper præſetulit. Hic primus, poſt excidium gentis noſtræ, in Græcia literarum ſtudium excitavit, ut quæ, vel in captivitate ſapientibus viris nunquam caruit omnino, hoc præeunte cœperit effuſiùs abundare; eoque deſiderio & cura inhiare ſapientiæ, quam jure Corydalei documentis, & laboribus tribuendam eſſe cenſemus. Inter diſcipulos habuit Theophanem Xenachium nob. Cyprium, qui deinde Philadelphienſis Archiepiſcopus præceptorem Venetias accivit & ſcholæ Græcæ præfecit. Eo munere fungebatur, teſte Catumſyrito (5) tunc, cùm Urbanus VIII. Pontificatum iniit, atque adeo an. MDCXXIII. Sed eùm Venetiis eſſe in periculo cœpiſſet ob exoticas, nec planè ſobrias opiniones, inde navigavit Conſtantinopolim, ubi ex familiaritate Calvinianorum, vir acris & ancipitis ſemper ingenii, in errores abiit multos & varios. Famâ tamen apud noſtros clarebat, abundavitque diſcipulis, quorum patrocinio ad inſulas pervenit, creatus Naupacti Ambraciæque Metropolites. In ea dignitate verſatum per annos aliquot tædium cepit officii, cauſatuſque moleſtias, quas ab Exarchis magnæ Eccleſiæ, pecuniam exigentibus, patiebatur, honore ſe abdicavit ſponte ſuâ, rediitque Conſtantinopolim, ubi diu hoſpes nobiliſſime familiæ Julianorum, qui ſe putant à Juliano Apoſtata deſcendere cùm potiùs Aniciorum ſint poſteri, apud hos docuit ad ultimam propè ſenectutem, quâ feſſus navigavit Athenas, ubi deceſſit an. MDCXLVI. Virum illum aſſerunt omnes fuiſſe doctiſſimum, ſed mentis trepidę ſemper ac dubiæ, planè inconſtantis, variæque adeo, ut vix momento in ſententiâ ſtaret. Ferunt illum deriſiſſe ſemper eos, qui eſſe cacodæmonas crederent: attamen cùm aliquando, diſcipulis undequaque ſtipatus, per trivium tranſiret, in quo erat puteus, & è puteo mulier aquam hauriens, comitibus aſſerentibus fœminam illam ſagam eſſe, atque veneficam, divertiſſe à viâ aliò; quærentibus diſcipulis, cur à ſaga fugeret, qui non eſſe cacodæmonas prędicaret, reſpondiſſe: *cum aliquid nego,*

(1) in Chronol. Chriſtiana. (2) Allegamb. Biblioth. Soc. Jeſu. p. 7.
(3) Vid. Allat. de Conſenſ. lib. 3. c. 7. n. 10. p. 990. (4) l. unica Cod. de ſtud. lib. Urb. Rom. & CP. libro II.
(5) Antirrhet. 2. contra Arcudium.

go, de eo quod nego, dubito. De ejus inconſtantiâ rara quædam traduntur. Nam referunt, cum hoſpes erat Julianorum, & poſt cænam more Monaſtico ἀπόδειπνον, quod Completorium Latini vocant, recitaturus ſe intra cubiculum recipiebat, lecto primo pſalmo, exclamare ſolitum, abige porro has nugas, ac ſe ad profana ſtudia convertere: mox iterum recitato pſalmo ſecundo, iterum ad eandem exclamationem prorumpere ſummo cum rerum ſacrarum contemptu. Erat illi arcula, in qua pecunia, quæ non erat exigua, claudebatur. Hanc quotidiè, quæ ſolent incendia repentè contingere Conſtantinopoli timens, ad Oratorem Hollandum in transmarinum Byzantii vicum, qui *Pera* dicitur, deſerebat; poſtridiè ab unguibus Hollandi timens, eandem repetebat, deſerebatque Conſtantinopolim. Ex hac mentis ſuſpenſæ ac ſemper ancipitis perturbatione factum, ut perpetuò de dogmatibus dubitarit, nullique firmiter adhęreret. Hęc de illo conſtans opinio in Græciâ fuit, perennatque ad hanc diem, confirmata dilectiſſimi diſcipuli ejus Stephani Atheiſmo, quem ille Atheniis profeſſus eſt, non alia auctoritate, niſi magiſtri, cujus rationibus innitebatur. Porro quamvis inſtabilis tres tamen Corydaleus firmiter Sententias propugnavit: alteram, qua, ex auditis à Cremonino, Animas hominum eſſe mortales, docebat: alteram, qua cenſuit Cœleſtes Orbes animatos ἐμψύχους eſſe: tertiam, qua Tranſubſtantiationem in divina Euchariſtia inficiabatur. Narrant, eùm in jejuniis majoribus Præſul quidam illi dixiſſet, eſurire ſe, quòd nullum obſonium permiſſum jejuniis emendum præſto eſſet, reſpondiſſe, præſto futuras ſepias, ſi voluiſſet: cùmque Præſul ille ſubdidiſſet: hoc genus edulii conſtare maximi tempore jejuniorum Conſtantinopoli, vixque inveniri; repoſuiſſe Corydaleum. *At tu, bone Vir, conſecra crepidam tuam, parandamque da coquo, & ſatiabere*. Adſtupente his Antiſtite, addidiſſe: *ne mirere: nam cui ex poteſtate fas eſt, panem in Chriſti carnem convertere, illi utique potiore jure licebit, in crepida idem prodigium patrare, unde Crepida in ſepiam convertatur*. Ejus tractatus πρὸς Εὐγένιον τὸν μαθητὴν περὶ μετουσιώσεως ad Eugenium diſcipulum de Tranſubſtantiatione, palam hanc pernegat his verbis. Πίστευε μὲν τὰ κοινῇ λεγόμενα, διάστελλε δὲ, ὅτι πνευματικῶς ἐννοεῖται, καὶ ἐν τούτῳ ἀποσκορακισθήσεται ἡ θεοστυγὴς μετουσίωσις. *Quæ vulgò dicuntur crede, diſtingue verò ita, ut ſpiritaliter intelligatur: atque his cum odio reiicietur Deo inviſa Tranſubſtantiatio*. Scripſit multa; quæ vidimus, teruntur que Noſtrorum manibus, hæc ſunt.

Epiſtolæ multæ. Sex editæ ſunt Typis Londinenſibus. Harum prima continet encomium Cyrilli Lucaris. Poſtrema ſcriptorem Platonicum jactat.

Liber περὶ ἐπιστολικῶν τύπων. De Epiſtolaribus exemplis.

Commentarii in Logicam; in libros Phyſicorum; in lib. 4. Metaphyſicorum; in lib. de Anima. In hoc licet profiteatur, ſe credere, quæ docet Eccleſia, tamen totus eſt, ut oſtendat, Ariſtotelem & ſenſiſſe, animas eſſe mortales, & id jure ſenſiſſe.

Tractatus de Tranſubſtantiatione ad Eugenium.

Comment. in libros de Cælo & Mundo, ubi Cœli orbes anima præditos aſſerit.

Ubique ſtylus elegantiſſimus eſt, nitidiſſimus, par priſcis ſcriptoribus, doctrina tamen vulgaris, & in ſcholis Peripateticorum obvia: perplexa verò & perturbata, nec methodicè tradita: indeque fit, ut noſtri [illegible], quibus Corydaleus præcipuus eſt in re Philoſophica, poſt ingentes labores, parum aut nihil proficiant.

CCXXVI. FRANCISCUS (1) PONA patricius Veronenſis, Philoſophiæ ac Medicinę ab adoleſcentia Patavii ſtudioſus anno ętatis vigeſimo, utriuſque ſcientię lauro redimitus apud nos eſt, mox relatus in collegium Veronenſium medicorum, eam artem praxi feliciſſimâ fecit in patria. Vir (2) Latinis quoque literis & Italicis, ac politiore ornatus eruditione prępcipuarum apud Italos Academiarum ſocius fuit: Veronę Philarmonicorum ſumma cum laude plauſuque auditus clarebat maximè an. MDCXLVII. nondum quadragenarius: nec ſcire licuit, quando deceſſerit. Scripſit latinè. 1647

Apotheoſim viventium Amicorum Heroum.

Euphormionis Luſinis abditiores ſenſus explanatos.

Diſputationem de Lycanthropis.

Conſultationum Medicarum Centurias tres.

Theoriam Anatomicam Plantarum. Ormundum Tragœdiam.

Antidotum Bezoarticum ſeu de Venenis.

Medicinam Animæ ſeu ſelectorum remediorum Centuriam.

Elogia utroque Latii ſtylo Orat. Panegyrica ad Andream Cornelium Veronæ prætorem.

Italicè ſcripta ſunt.

Lucerna, Dialogus inſcriptus Heureta Miſoſſolus. Proſa in librum primum Metamorph.

Ovidii. Rhythmorum lib. III. Nuptię eloquentię & Mercurii. Partheains Comœdia. Kalenda

(1) Ghilin. Theatr. Vol. 2. p. 62.63. (2) Incogniti p. 257.

da Auguſti celebrata cum puellis ad Fontem. Silenus, Dialogus. Paradiſus Florum, ſeu de cultu Hortorum. Diſſertationes Academica. Rhythmi ad Berna ſtylum.
De lapide Bezoartico, Dialogi.
Chriſtus Patiens Tragædia. Ormundus Italicè Tragædia. Meſſalina & Cleopatra Tragædia. Judicium Paridis.
De ratione Alexipharmacâ peſtilentium morborum. Remora adverſus peſtilentes morbos. Deſcriptio Peſtis magna Veronenſis.
Muſæum fœminarum celebrium. Plura alia edita & anecdota recenſent Ghilinus (1), & Incogniti (2).

1648 CCXXVII. LUDOVICUM VIVALDUM Ordinis Prædicatorum Theologum Ghilinus (3) ſedi Theologicæ Patavinæ præficit, cùm nullum noſtri gymnaſii monumentum hoc nomen inter profeſſores publicos auditum, nos doceat. Falſus omnino ſit, quòd in gymnaſio noſtro ſtuduerit, ut Salomonius (4) notat, quòdque Patavii ſuos ſcientiam illam privatim docuerit, adſcriptuſque Theologorum collegio ex eadem ſacra diſciplina, tum hìc, tum alibi inter doctiſſimos Prædicatores claruerit. Nam functus omnibus ſcholarum officiis in ſuâ religioſâ familia, Theologiam, quam hìc privatim, publicè docuit Romæ, ubi ſeptuagenarius deceſſit circa an. MDCXLVIII, ut idem colligit Salomonius, qui ſe ejus diſcipulum profitetur (5). Edita ſunt hæc ejus opuſcula Theologica.

De officio pietatis erga Defunctos. Epiſtola de repellendis triſtitiis morbis. Tractatus, de Pugna partis ſenſitiva cum Intellectiva. De tribus liliis, qua ſunt Gallia Regum Inſignia. De cognitione Electorum & Reproborum. De XII. Perſecutionibus Eccleſiæ. De Magnificentia & Gloria Salomonis, & num ne ſalvus ſit, an damnatus. De Cauſa contritionis. De Veritate contritionis.

Ghilinus (6) hæc ipſa recenſens, huic tribuit Epiſtolam ad Wladislaum Bohemiæ & Ungariæ Regem, quæ alterius Cognominis eſt longè ſenioris, qui nec ad nos pertinet, & ad Sæculum XV. retrahendus eſt.

CAPUT XLVIII.

Gaſpar Hofmannus. Aurelius Palazzolus. Vincentius Sgualdus. Ferrantes Pallavicinus. Aloyſius Contarenus. Joſeph Betuſſius. Pius Mutius. Imperiales Jo. Baptiſta & Joannes.

1648 CCXXVIII. GASPAR HOFMANNUS Gothæ in Thuringia natus diu cum morbis acriter conflictatus eſt. Adoleſcens ſalubriorem corporis craſim adeptus Argentorati primùm, deinde Norimbergæ literis operam dedit, probatuſque à Senatu, centum aureorum ſtipendium, quod medici cujuſdam teſtamento relictum uni Studioſorum impendi ſolebat, obtinuit. Hoc munitus Patavium venit, atque hìc triennium in addiſcendâ Medicinâ poſuit, cujus poſtea experimento dato Baſileæ ſtatim poſt reditum ex Italia lauream conſecutus eſt ann. MDCVI. ætatis XXXIV. Indè Norimbergam rediit, ubi graſſante peſte, à Scholarchis præfectus certâ mercede curationi eorum, quos peſtis afflaverat, periculoſam aleam feliciter luſit. Quamobrem laudatus ab omnibus, & à Profeſſoribus commendatus ſedem conſecutus eſt Nicolai Taurelli, qui dudum peſte ſublatus deceſſerat in Academia Altorfina. In ea publicis præclariſque muneribus functus mortalitatem exuit an. MDCXLVIII. ſenex annorum LXXII. cùm hæc ſcripſiſſet & edidiſſet, quæ & programmate Georgii Koningi funebri Freherus (7) recenſet, & nos ex illo, evocato ad teſtimonium præclari nominis Hofmanni teſtimonio Tomaſini (8), qui eum ſcribit, evocatum invitatumque à Triumviris literariis, ut in locum Pompeii Caimi ſuccederet, dicato libro Duci Veneto, excuſaſſe ſe ob ſenectutem.

Rejectanea Pathologica de Morbis Forma & Materia à Fernelio & Argenterio per ſomnium viſis.
Pathologia I. qua Methodus Galeni explicatur.
De Formarum Origine ſecundum Ariſtotelem.
De Generatione hominis contra. Mundinum libri IV.
De locis affectis libri III. De Febribus lib. I.
De Thorace, ejuſque partibus Comment. De Ichoribus Collectanea.
De uſu Cerebri Diatriba ſecundum Ariſtotelem.
Opuſcula Varia.

Variarum

(1) Ibid. & p. 64. (2) ibid. & p. 158-159. (3) ibid. Vol. 1. p. 153.
(4) in Collect. ad Inſcrip. Gymn. (5) loc. cit. (6) ibid. p. 153.
(7) Tom. 2. p. 1376. P. 3. (8) Gymn. lib. 3. c. 8. p. 294.

Variarum lectionum libri IV. De uſu Lienis ſecundum Ariſtotelem.
Inſtitutionum Medicarum libri VI., & earum epitome.
Pro veritate Opella tres. De Methodo medendi.
De Medicamentis officinalibus libri II. opus XXX. annorum.
In Galenum de Oſſibus. Comment. in Galeni de uſu partium corporis humani libri XVII.
Orationes aliquot habitæ Altorfii.

CCXXIX. AURELIUS PALAZZOLUS origine Patavinus, ſed natus, ut videtur, Venetiis. (Nam & in actis collegii medicorum Venetum ipſe ſe nominat, & in monumentis quęſtoris (1) Venetus appellatur) Patavii tum in mitioribus literis, ac Philoſophia, tum pręſertim in Medicina gnaviter verſatus eſt; ex hac autem doctor cùm illam Patavii aliquandiu feciſſet, rediit Venetias, claruitque nondum declinante ſęculo ſuperiore, & ex praxi medica, & peculiariùs ex humaniore literatura cenſuque multiplicis eruditionis. Hinc notus Andreę Mauroceno hiſtorico Senatori doctiſſimo inter familiariſſimos ejus fuit, pręfuitque diu ſanitati ejus curandę. Teſtantur hęc Epiſtolę & Mauroceni ad Lollinum, & Lollini ad Maurocenum. Ipſe in primis de amore, ac patrocinio Senatoris ampliſſimi gloriatur in oratione funebri, quam edidit, poſt obitum tanti viri, elegantem & doctam; eoque literario Triumviro ad exedram Patavinam ſe fuiſſe deſtinatum tradit. Illâ tamen potitus non eſt patrono mortuo, quo uno vir alioqui pluribus patrociniis ad id quod petebat dignus, nitebatur. Florebat anno MDCXLIX. Nam vidimus elogia ejus in Anatomicos quoſdam, inter quę principem locum habet, quod edidit in Weslingium, quem conſtat illo ipſo anno ad ſuperos abiiſſe. Quamobrem & ultra illum annum vixerit, & quandiu vitam produxerit, ignoramus. Pręter orationem in funere Mauroceni, & elogium Weslingii, laudatur & aliud in epiſtolis Lollini, quod edidit in Anatomen Plazzonii, alia quoque in Julium Caſſerium, Spigellium, Pompejum Caimum, Bonaventuram Ferrarium, quę cum epiſtolis aliquot latinis ad Benium, Thuillium, Oſium, & Octavium Ferrarium à me olim lecta, & frigida ſatis mihi viſa ſunt, & ob elocutionem, & caſtigatam latinitatem, nec vulgarem eruditionem publica luce ſunt digna. De eo habet aliqua V. Clar. Petrus Caterinus Zenus nepos noſter in notis ad vitam (2) Mauroceni conſcriptam à Craſſo: nos hęc pauca ex iis, quos laudavimus, ad rem noſtram excerpſimus. 1649

CCXXX. VINCENTIUS SGUALDUS Placentinus, Abbas Caſſinenſis, Patavii doctorem Cęſarem geminum habuit, in Philoſophicis Cremoninum, in Theologicis Mordanum Profeſſores gymnaſio noſtro notiſſimos. His inſtitutoribus ad culmen eruditionis evaſit, emenſuſque curriculum omnium dignitatum Ordinis ſui, ſupremam, qua caruit, ipſe ſponte rejecit, ne literario, quo maximè delectabatur, otio moles publica negotiorum officeret. Hinc notus, & clarus ubique, ſed & Principibus maximis carus ac venerabilis, pręcipuis paſſim honoribus cumulatus eſt, ut latè tradunt Incogniti (3), in hoc extremo Academicorum ſuorum elogio, pręter ſolitum arguti, & prolixi. Scripſit 1650

De Ariſtocratia conſervanda, quod Opus editum juſſu Dominici Molini Senatoris Veneti, dicatumque Reipublicę Auctori civitatem Venetam comparavit.
De Republica Lesbia Comment. pluries editum, redditumque latinè ex Italico.
Vitam Catonis Uticenſis. Parabat Typis Machabęorum Hiſtoriam, & quędam elogia, quę utrum ediderit, ignoramus. Obiiſſe videtur circa A. MDCL.

CCXXXI. FERDINANDUS, notiori nomine, FERRANTES PALLAVICINUS, è ſtirpe nobiliſſimę gentis, & inter Italas pręclariſſimę, infelix ſurculus Placentię prodiit circa an. MDCXXI. Vix adoleſcentiam (4) ingreſſus Lateranenſium Canonicorum Ordini nomen dedit Mediolani in cœnobio, quod Paſſionis appellant. Inde Patavium (5) venit, atque hìc tum humanioris literaturę, tum ſeveriorum diſciplinarum opibus, fervidum, pernix, & experrectum, avidiſſimum autem laudis ingenium inſtruxit. Inerat adoleſcenti mira dicendi, ſcribendique facilitas, iſque Italicę facundię ſtylus, qui licet omnium deterrimus, puerilis, ineptus, in floſculis verborum, troporum prodigiis, & adulterino turgidarum argutiarum uſu uſque ad inſaniam ludens, ſęculi tamen XVII. Academiis, quorum tunc maxima inter Italos, ac numeroſa familia erat, miro modo placebat, ſiebatque tunc tanti apud eruditiſſimos quoque viros, ut vix laudem per ea tempora quiſquam ſperare ullam poſſet, quin ſcribendo, dicendove ſciret ingenioſe deſipere. Hoc eloquentiæ genus Ferrantes ęmulatus, quo erat mentis acumine, atque indole ad ſplendida magis quàm vera propensâ, in eo viſus eſt præſticiſſe cęteris omnibus, retulitque laudem, commendationem, admirationem quoque omnium, qui elocutionis Etruſcæ ſibi ea tempeſtate decus & gloriam aſſerebant. Editâ oratione panegyricâ de laudibus Reipublicæ Venetæ, quam inſcripſit: *Sol in Planetis*; præmium vix Demoſtheni aut Ciceroni dandum accipit 1650

(1) ad A. 1610. (2) hiſtoricor. Venet. Tom. 5. p. 11. not. c. (3) p. 419-452.
(4) Ghilin. Theatr. p. 77. Vol. 2. (5) idem ibid. Incogniti p. 137.

torquem aureum, pondo quoque aurei numiſmatis auctum. Ergo Patavio ſeceſſit Venetias, exceptuſque ab Incognitis, quid non honoris, ac plauſus ab his meruit? Lege ſodes quę ſcribunt de illo Incogniti (1), quidve intra parietes theatri ſui poſteris noſcendum reliquit de Ferrante Pallavicino Ghilinus Incognitorum & ipſe ſocius (2), ſtyli tamen, quo ipſe non utitur, Pallavicinіani admirator eximius. Sed Ferrantem hæ famæ plaudentis ineptiæ ultra crepidam abſtraxerunt, furentemque in charactere dicendi, ſi fas ita loqui, maniaco ad ſatyram abduxere. Scripſit multa maledicè, obſcænè, licenter: nec ſe fraterculus intra tunicam ſuam atque carbaſinam infelix continuit: ſed & in Principes, editis libellis, dicax & petulans inſurrexit; ſacramque facundiam, quam profiteri juvenis religioſis inſtitutis addictus tenebatur, tractationibus impudicis immodeſtiſſimè conſpurcavit. Inde illi ærumnæ, dedecus, & interitus, & poſt mortem infamia. Nam quamvis Venetiis degens tutum ſe intelligeret ab inſidiis, quæ ipſi à læſis Principibus ſtruebantur, parabanturque à tribunalibus ſacris, illectus tamen pollicitationibus Morſii cujuſdam Galli (3), eo duce, quaſi à Ricolucio Cardinali vocatus, iter in Galliam, diſſimulatâ veſte ſuſcepit: proditus autem à comite, captuſque in agro Avenionenſi reus obtrectationum atrocium, & conſcriptarum ad motum corruptelam turpitudinum Avenione ſecuri percuſſus eſt circa an. MDCL. vel biennio ante, ut multi ſcribunt, ætatis vel XXVI. vel XXVII., certè nondum annorum triginta. Ejus opera omnia Italicè ſcripta, edita ſunt his titulis, quos vel parvi pendet poſteritas, vel ex merito deteſtabitur. Præter notatum Panegyricum

Joſeph libri IV. Suſanna libri IV. Sampſon libri III.
Taliclea Poema Proſaicum. Vita S. Joannis Alexandrini. Declamationes Variæ. Princeps Hermaphroditus, Pulcritudines Animarum. Berſabea. Legatus obnoxius invidia, ſub nomine ficto Alcinii Lupi, quod Anagramma eſt Ferrantis Pallavicini.
Acta toto Orbe Terrarum an. MDCXXXVI.
Agrippina gemina. Tabellarius hippoperis ſpoliatus.
Rete Vulcani liber obſcæniſſimus.
Rhetorica Meretricum opus putidum. Pollubrorum Tinnitus.
Non edita recenſent poſt Ghilinum Incogniti.

1650 CCXXXII. ALOYSIUS CONTARENUS patricius Venetus cum adoleſcentiam, tum ipſum juventutis florem mollioribus literis ac Philoſophiæ dicavit in lyceo Patavino, ut ipſe profitetur Paulo Benio præceptori diſcipulus addictiſſimus (4). Redux in patriam ſacrum Cruciſerorum ordinem profeſſus eſt. Vixit propè ſemper Venetiis (5), nullumque in familiâ ſacrâ, cui nomen dederat, Magiſtratum gerere voluit, quo impenſiùs totum ſe profanarum ſacrarumque literarum & multiplici ex lectione & annotatione perpetuâ eruditioni concederet: ut non ſit mirum, ſi quæ ſcripſit & edidit, miſtura quædam ſint rerum diverſarum, & ut Græci dicimus, [illegible], ex quo & utilitatem lector percipiat, & laborioſam hominis Philologiam agnoſcat. Extremis vitæ annis cùm cœpiſſet phtiſi laborare, Neapolim profectus eſt, atque ibi ita convaluit, ut ſe civem atque incolam dixerit, deceſſeritque apoplecticus an. MDCL. ætatis XLVIII. Extat opus ejus pereruditum Italicè, inſcribiturque

Elegans & jucundum Viridarium. In eo agit, *de infelici obitu illuſtrium Virorum. De variis & miſeris exemplis Virtutum, & Vitiorum. De Geſtis & obitu Prophetarum. De Scriptis Sibyllinis. De Muſarum diſſertationibus. De Origine, & geſtis Amazonum. De variis & miris Exemplis Mulierum. De Inventoribus omnium Artium, & Scientiarum. De Origine Religioſarum Familiarum, etiam Equeſtrium. De Virtutibus plurium Spuriorum. De quibuſdam Decretis Summorum Pontificum. De Iconibus trium Gratiarum, Amoris, veri Amici, & de Septem Orbis Miraculis.* Neapoli Viridario ſuo addidit *Auctarium* his Titulis. *De Origine & nobilitate Neapolis, de Optima pulcritudine Mulierum Neapolitanarum De Vetuſtate Romæ, ſitu ejus, Imperatoribus, Simulacris, Templis, Lipſanis Sanctorum, Pontificibus, & Cardinalibus.*

1650 CCXXXIII. JOSEPH BETUSSIUS Venetus civis (6), ex monumentis gymnaſticis Patavii inter diſcipulos noſtros verſabatur in album receptus an. MDXCVIII. (7) Hic ergo cultiores literas, Philoſophiam, & artem iatricam didicerit, ex qua doctor Medicinam fecit in patria. Ex Epiſtola prolixa Pignorii ad hunc ſcripta colligimus eum ſemper vixiſſe Venetiis (8), ex Ghilino verò, qui de eo adhuc ſuperſtite ſcribit an. MDCXLVII. non dubitamus non ultra an. MDCL. proceſſiſſe vivendo.

Scripſit

(1) ibid. & pag. 138. (2) ibid & pag. 78. (3) Incogniti p. 138. (4) Procem. Viridarii.
(5) Ghilin. Theatr. Vol. 1. p. 157. (6) Ghilin. Theatr. Vol. 1. p. 135. (7) in Collect. Salom. loc. cit.
(8) in calce Operis ad Jul Obſeq.

Scripſit Italicè tantum, editaque ſunt hæc ejus opuſcula.

Itones Joanna Aragonia, Dialogus. Dialogi duo, alter Amatorius, alter inſcriptus Raverta, cui alterum addidit *de Amore*.

Deſcriptio Baſilicarum Ædium Cataii in agro Patavino.

Tetraſtropha & Rhythmi. Appendix de recentioribus Fœminis illuſtribus ad librum Jo. Boccaccii ſimilis argumenti.

CCXXXIV. PIUS MUTIUS Abbas Caſſinenſis Mediolani natus ibi cultiores literas didicit apud Patres Societatis Jeſu, receptuſque in familiam Monachorum S. Benedicti ſeverioribus diſciplinis Philoſophiâ (1), & Theologia ſe ſe imbuit in Patavino gymnaſio, ut ipſe ſcribit. Profectus Ticinum adſcriptus eſt Academicis, quos *Affidatos* appellant; inter hos claruit ex eloquentia & Poeſi. Legatus cœnobiorum ſuorum ad Ludovicum XIII. Gallorum Regem, rebus benè geſtis, dignitatem Abbatis apud ſuos meruit, ex eâque ſpectabilis parem ſe præſtitit expediendis multis, gravibuſque negotiis apud Allobrogum & Mutinenſium Duces. Inclatuit quoque Romæ Abbas S. Pauli noti in ſuburbano Romano cœnobii. Senex Mediolanum ſe recepit, ibique conſenuit circa an. MDCLII. Celebratur ex volumine gemino *Meditationum in Tacitum*, quas Italicè publici juris fecit. Non edita ab eo, quæ nos vel non vidimus, vel obiter vidimus, ab Incognitis recenſentur (2). 1652

CCXXXV. IMPERIALES JO. BAPTISTAM & JOANNEM patrem & filium Vicentinos, quos diverſis temporibus ad gloriam bonarum artium pari curâ, & caritate aluit gymnaſium noſtrum, non eſt viſum, quamvis emortuali diſtinctos anno in hac noſtra commemoratione diſcernere. Quare utrunque ad hunc protraximus, quo credimus juniorem obiiſſe; ut uno aſpectu noſtra poſteritas utriuſque virtutis imaginem videat: indeque patres diſcant non aliunde filiis inſtrumenta ſapientiæ parare, quàm ubi ea ipſi reperere: Filii verò norint, non alibi ſe in quæſtu ſcientiarum profectuos, quàm ubi parentes ipſorum profectus atque compendii occaſionem & cauſas habuere. Jo. Baptiſta Imperialis præclaris parentibus Vicentiæ natus (3), poſtquam humanioribus inſtitutionibus mentem imbuit, Veronæ, ac Bononiæ primùm, Patavii deinde Philoſophiæ ac Medicinæ ſacris initiandum ſe dedit Franciſco Piccolomineo, Federico Pendaſio, Paterno, Mercuriali, Maſſariæ, Augenio, cujus in re Medica dogmata libello edito ſatis validè & eleganter tutatus eſt. Juvenis maximi habitus ob acumen, & ingenii acrioris perſpicacitatem, vix dum laurum Medicam retulit, & in patria docendi munere degravatus eſt juſſu publico, cui obtemperans, cùm per annos aliquot juventuti profuiſſet, ſumma cum laude ac felicitate curationum Medicinam factitavit, atque interim inſomnis noctu, quod ægrotorum curis & rerum civilium tractationi ſubducebat, laborioſè tempus libris & operibus æternum victuris impendebat. Ariſtotelis locos explanare ex tempore ſolitus, & de Galeni ſententiis utiliſſima promere, in hunc præcipuè prolixis lucubrationibus multa conari cœpit, & quod ante eum nemo molitus eſt, opus luculentiſſimum edidit, quod Medicam officinam ſtupendâ dogmatum Silvâ, & peregrinâ Methodi novitate ditavit. Deſcribitur hic patris labor à filio Joanne multis, ex quibus erit ejus petenda notitia. Ex hoc opere in dies clariori, poſt obitum Roderici Fonſecæ Profeſſoris in primo ſubſellio gymnaſii noſtri, Literarii Triumviri eam ſedem Practicæ Medicinæ ornandam, augendam obtulere. Sed is civium ſuorum ſtudiis, amore patriæ, commodiſque privatæ & doctæ quietis perſuaſus, modeſtè ſe excuſavit, præluſitque repulſæ datæ Meſſanenſi gymnaſio, ad quod ampliſſimo ſtipendio, & honorificentiſſimis conditionibus vocabatur. Vivendi finem fecit Vicentiæ an. MDCXXIII. ætatis LIV. Filius ejus Joannes (4), hæres virtutum patris, has auxit, & præ patre immortalitati conſecravit. Studuit & ipſe Patavii, atque hic mitiores & graviores diſciplinas mirâ ſedulitate perdidicit: ejus unum præceptorem Incogniti nominant Cremoninum, cui tamen non videtur nimis fuiſſe addictus, quando mores ejus in Elogiis non admodum probat (5), nec ſanam doctrinam exiſtimat. Alios, ſub quibus profecit admodum, recenſet alibi (6), ac magnificè laudat. Medicinam glorioſè fecit in patria, claretque ex *Muſæo hiſtorico*, edito pluries, & Urbani VIII. Pontificis laudibus celebrato, quamvis neque accuratum ſit, & perplexâ ac turgidâ latinitate quantùm propius eſt Elogiographis, tantùm abeſt ab hiſtorica ſimplicitate. Muſæo hiſtorico addidit *Muſæum Phyſicum de humano ingenio* complexum tres libros, quibus doctè, ingenioſè, erudite, & eleganter *de Natura & ſubjecto ingenii; de differentiis & cauſis ingenii; de qualitatibus & ſignis ingeniorum*. Extat ejus etiam *Diſſertatio Hiſtorico-* 1653

(1) Ghilin. Theatr. Vol. I. p. 199. (2) pag. 387. (3) Jo. Imperial. Muſæo. Hiſt. p. 192. 195.
(4) Incogniti pag. 205. 207. (5) Muſæ. p. 173. (6) in Parergo.

Hiſtorico-Medica Peſtis an. MDCXXX. Promittebat Muſæum Medieum, ſed hoc neque vidimus, & an ediderit, ignoramus. Florebat an. MDCXL., quo vulgarum eſt ejus Muſæum Hiſtorieum, & Phyſicum, atque etiam MDCXLVII. quo de illo ſeribebant Ghilinus, & Incogniti, nec tamen vivendo an. MDCLIII. quinquageſimum ætatis exceſſerit.

CAPUT XLIX.

Jo. Franciſcus Rambaldus. Jacobus Philippus Tomaſinus. Thomas FincKius. Ludovicus Locatellus. Georgius Chortacius. Georgius ejus Patruus, & Meletius Frater.

1653 CCXXXVI. JO. FRANCISCUS RAMBALDUS Eques Veronenſis per annos aliquot Philoſophiæ ac bonis artibus, quas apud Patres Societaris Jeſu deguſtaverat adoleſcens, juvenis apud nos locavit utiliter operam; ne ſtudiorum curriculum, quod inierat, abſolveret, in cauſa fuit mors improviſa patris, qua Veronam revocatus, curiſque domeſticis implicatus, ita tamen in iiſdem ſtudiis verſatus eſt, ut rigidum Philoſophiæ ſupercilium Muſarum lenociniis temperaverit. Fertur, mulra ſcripſiſſe ſolutâ, & vinctâ numeris oratione, quæ ſæculum proximè elapſum probavit, laudavit. Nobis notus eſt ex volumine Carminum elegantiſſimorum, quo de Senſibus latiniſſimè philoſophatus eſt regnanre Romæ Philoſopho ac Poeta Urbano VIII., indeque commendationem amplıſſimam apud viros eruditiſſimos meruit: quorum judicio ad Magni Fracaſtorii gloriam quadantenus acceſſiſſe viſus eſt. Floruir declinante ſæculo eodem XVII., obiitque poſt an. MDCLIII. quo de illo adhue ſuperſtite hæc ſcribebat Julius à Puteo (1).

1654 CCXXXVII. JACOBUS PHILIPPUS TOMASINUS, de quo ex operis adſumpti propoſito pauca Ughellus (2), priſcâ origine Lucenſis, propiore Venerus, ut ipſe aliud agens ſubmuſſirar, palam prædicant ex ipſo ſodales Incogniri (3), re ipſa Patavinus patriâ & domicilio, nec ſanè familiâ admodum nobili natus eſt an. MDXCIII. Adoleſcentiam in patrio gymnaſio bonis artibus expolivit, mox Ordinem Sacrum Canonicorum Sæcular. S. Georgii in Algâ profeſſus, majoribus diſciplinis mentem erudiit, retulitque Theologicam laurum an. MDCXIX. unâque in jus Theologici collegii adſeitus eſt (4). Exinde in ſeceſſu Monaſtico Muſis, Eruditioni, ac Philologiæ ſe dedidit, vir infinitæ lectionis, laboris invicti, curioſitatis indefeſſæ, rerum Patavinarum veſtigator perpetuus, ut occaſio tulit, ut res eranr præ manibus, mulra, varia, diverſa ſcripſit, ex quibus elarus, non in ſua familiâ tantùm, ſed paſſim apud literatos homines omnes ætatis ſuæ, in quorum ſe amicitiam officioſus Doctorum ſui temporis cultor inſinuabat, ſibi ad ſacras dignitares aditum aperuir. Nam dum cœnobiorum ſuorum præfecturas obit, & ex munere Sodales inviſir, Romæ ab Urbano VIII. benigniſſimè acceptus, arque ex Elogiis præſertim, & Perrarcha Redivivo laudatus, Præſul ad Cydonias in Creta inſulas lectus eſt, à quibus cùm ſe juſtis de cauſis excuſaſſet, dictus eſt Æmonienſis Antiſtes in Iſtriâ. In ea eivitate, quæ nomine tenus civitas eſt, potiùs oppidulum inſrequens, & vicus, ita ſacris præfuit, ſanctèque & comirer commiſſum ſibi gregem curavit, ut ſępiſſimè Patavium eommearet, donec frater ejus Paulus Juriſconſultus ſuperſtes fuit: hoc extincto, æger ac triſtis intra Æmoniam ſuam ſeſe abdidit, ac reliquum viræ ad annum MDCLIV. quo obiit (5), opuſculis ſuis recenſendis impendit. Eorum pars maxima edita eſt, pars aliqua anecdota citarur paſſim. Quorum circa an. MDCXVII. vulgatæ celebrabantur Epigraphæ eatalogum Incogniti proferunt; nos dabimus edita, quæ vidimus, quæque MSS. ſummo ſtudio Salomonius eollegerat, ſervabatque.

Illuſtrium Virorum Elogia, libri vel tomi duo. Opus Elegans, latinum, perutile. Sed Joannes Rhodius teſte Voſſio apud Santeuremondum (6), jactabat, ea à ſe fuiſſe conſeripta, inde autem colligebat, inſularum, quas gerebar in Iſtria, Tomaſinum ſibi debitorem eſſe, quòd Elogiorum hujuſmodi præmium eæ inſulæ fuerint. Dicto hominis notæ dicaeitatis ac petulantiæ non auſim adſtipulari; at certè in Elogiis diverſus eſt ſtylus à cæteris opuſculis Tomaſini, plerumque incurioſis, illiberalibus, ac ſemibarbaris.

T. Livius Patavinus. Oratio de laudibus S. Hieronymi cum Elencho Theologorum Collegii Patavini.

Cenotaphium

(1) Elog. p. 117. 218. (2) Tom. 5. p. 253. (3) p. 189. (4) Tomaſ. Gymn. lib. 1. c. 56. p. 193. circa finem.
(5) Ughell. ibidem. (6) Tom. 6. p. 194. in Colomeſianis.

Cenotaphium Maximi Turani illuſtratum. Prodromus Athenarum Patavinarum. Bibliotheca Patavina Publica & Privata.

Petrarcha Redivivus Opuſculum ſelectæ eruditionis. *Vita Laurentii Pignorii VC. ejus Bibliotheca, & Muſæum.*

VC. M. Antonii Peregrini Juriſconſult. Vita. Epiſtola Caſſandra Fidelis, & Lauræ Cereta Brixienſis edita & notis illuſtrata.

De Donariis ſeu Tabellis Votivis liber ſingularis. Libellus de Teſſeris Hoſpitalitatis. Bibliotheca Veneta MSS. Publica & Privata.

Gymnaſii Patavini libri IV. opus, quo jejunitatem Riccoboni in eodem argumento ſupplevit, nos hoc noſtro, quæ utrique deſunt, adiecimus, ſupplevimus, auximus.

Annales Canonicorum Sæcularium S. Georgii in Alga. Addidit Appendicem ſeu Mantiſſam in libros tres diſtributam.

Inſcriptiones Patavinæ Sacra & Profana. Has auxit Salomonius & notis ad marginem additis locupletavit, Inſcriptiones quoque aliquot Agri Patavini, ejuſdem Salomonii cura illuſtratæ.

Chronotaxis Gymnaſii Patavini ab an. MDLXX. ad MDCXLII. cum Characteriſmo ejuſdem Gymnaſii, & Athenis Patavinis.

Italicè edidit.

Hiſtoriam Deiparæ Virginis ad Montem Orthonum; Synodum Diœceſanam Æmonienſem.

MSS. extant, latinè quidem. *Vita Petri Aponenſis, Franciſci Petrarchæ. Characteriſmus Canonicorum S. Georgii in Alga. Parnaſſus Euganeus. Elenchus Patavinorum Antiſtitum, & Sanctuarium Patavinum. Deſcriptio Deiparæ Virginis ad Turriculam, & Avantii. Vita Torquati Taſſi, & multa de ejus Carminibus.*

Italicè. *Vita B. Jordani Patavini. Hiſtoriarum Iſtriæ lib. X.* Opus non abſolutum. Hujus libros aliquot vidimus apud Paulum Naldinum Juſtinopolitanum Antiſtitem, lacunis & hiatibus maximis deformatos: licuit attamen nobis ex illis quoque aliquantiſper proficere.

CCXXXVIII. THOMAS FINCKIUS celeberrimus Medicus, Orator, Mathematicus, & Aſtronomus, ex omnibus gymnaſii noſtri monumentis, albis Germanorum, & Conſiliariorum catalogis, denique ex epigraphe monumenti (1), quod Nationis Germanicæ, quà continet artium ſtudioſos, juri conceſſum eſt, ad noſtri gymnaſii cenſum ac decus pertinet: malè autem confunditur à Salomonio cum ejuſdem cognominis aliis, qui Prorectores ac Syndici ſcholaſticæ juventuti Patavii præfuere. Nam alter nomine Joannes & gente Anglus hìc erat an. MDCLVII. atque artium ſtudia profitebatur; alter Thomas quidem & ipſe dicitur, at ſignatur anno MDCLVIII. natione Danus Juriſconſultorum Scholarches, cum is, quo de agimus, inter Mortales eſſe deſiiſſet an. MDCLVI. gente Cimber, domo Flenburgenſis ex oppido Slevicenſis ditionis. Studuit primùm Argentorati, ac præcipuè ſe facundiæ, & Mathematicis diſciplinis addixit, quas ut impenſiùs ſibi compararet, Baſileam conceſſit, inde Patavium venit, atque hìc erat an. MDCXXXVII. (2) Conſiliarius eo anno nationis Germanicæ, auditor verò aſſiduus & accuratus Paterni, Mercurialis, Capivacci, Bottoni, Guillandini, Aquapendentis, Saxoniæ, Piccolominei, Mercenarii, Zabarellæ, Moletii, ut fuſius annotat M. Sponnanus Rector Academiæ Hafnienſis in Programmate funebri, unde ſua habet Freherus (3). Probè in iis, quas amabat, ſcientiis inſtitutus Patavii, varia Italiæ luſtravit gymnaſia curſu quodam curioſioris eruditionis, quo alia quoque Germaniæ lycæa pervagatus aliquandiu, domum regreſſus eſt, unde eum ſibi Medicum Philippus Dux Holſatiæ Gottorpius adſcivit. Ea dignitate auctus Mathematica theoremata profeſſus eſt Hafniæ ab an. MDXCI. ad an. MDCII. quem totum Eloquentiæ docendæ dedit. Anno ſequenti cœpit ibidem Medicinam profiteri, functuſque Magiſtratibus Academicis, atque opibus ex diuturnâ praxi Medica dives: his & opulentam familiam reliquit, & pauperes ac lyceum Hafnienſe largis legatorum erogationibus honoravit. Obiit Hafniæ perſenex an. MDCLVI. ætatis XCVI. ſepultus ibidem eſt in templo Deiparæ cum Epitaphio, quod leges apud eundem Freherum, ex quo hæc ejus opera damus. 1656

Geometria Rotundi libri XIV.

Horoſcopographia ſive de inveniendo Stellarum ſitu.

Tabulæ Multiplicationis & Diviſionis, ſeorſim etiam Danicæ Monetæ accomodatæ.

Ephemerides Variæ.

De conſtitutione Philoſophiæ Mathematicæ.

De Hypotheſibus Aſtronomicis Mundi Diviſionis, & I. Motus Circulis.

De Ortu & Occaſu Siderum, de Diebus & noctibus,

(1) Salom. Inſcript. Pat. p. 272. n. 16. (2) ex relata Epigraphe apud Salom. d. n. 16.
(3) Tom. 2. P. 3. p. 1383. 1385.

noctibus, & Menſibus & Annis.
Diſputatio Medica pro Peſte. Diſputatio de Hydrope.
De Medicinę conſtitutione Diſputationes XVI.
Tres Tabulę Quotidianę numerandi neceſſitati accomodatę.
Theſes Logicę, alię Philoſophicę.
Appendix de Canonis Triangulorum uſu, etiam in Cyclocentricis.

1657 CCXXXIX. LUDOVICUM LOCATELLUM Bergomatem ex albis Bergomatum quæſtoriis conſtat quadriennio Patavii Medicinæ operam dediſſe (1), poſtquam biennio Juriſprudentiam coluit. Eum chymicis laboribus annos XX. impendiſſe, refert Calvus (2); percurriſſe deinde finitimas regiones, peragraſſe Germaniam, Galliam, hæſiſſe demum Mediolani, atque ibi arcanis chymicis uſum ex Paracelſi, & Lulli myſteriis miras morborum curationes factitaſſe. Nondum plane ſenex Genuæ peſtilentiâ vitæ ereptus an. MDCLVII. Edidit Italicè.

Tractatum de Peſte.
Theatrum Arcanorum, ubi de Arte Chymica, & ejus Arcanis.
Elucidarium Chymicum.

1658 CCXL. GEORGIUS CHORTACIUS Meletii Archiepiſcopi frater, gente Cretenſis, domo Rhethymnius, Patavii Medicam artem edidicit (3), renunciatuſque in eadem doctor curandorum morborum in patria, ſi quis alius feliciſſimè provinciam obiit, totâ inſulâ noſtrâ celebris, & undequaque ad Artis, quam profitebatur, miracula perpetranda expetitus, accitus. Rhethymna Turcarum impetu captâ direptâ, atque peſſumdatâ in metropolim Cretæ ſe ex fuga recepit, ibique, ut ferunt, Archiatrus, donec vixit, à pleriſque habitus obiit, me puero circa an. MDCLVIII. Scripſit & edidit *Trutinam Medicam*, & librum I. *de Hydrophobia*. Patruum habuit cognominem in vernacula lingua noſtra Poetam celebertimum, cujus tragœdia Erophile noſtrorum teritur manibus. Edita eſt, ac, uti memini, ſæpè in urbe Creta publicè data, ſemper placuit. Addere his licet Meletium Chortacium Philodelphienſem Metropolitem primi fratrem, nepotem ſecundi. Is ad gymnaſium pertinet noſtrum: quippe Diaconus adhuc hic ſacræ Theologiæ ſtuduit (4), ex qua maximè claruit inter noſtros. Hujus Sacræ ſcientiæ theſes tutatus eſt ſub Cypriano Philippino Profeſſore Theologo ſingulari cum laude in templo D. Auguſtini, quas etiam Græcè & Latinè in lucem edidit, & Græciæ ſuæ pernoſcendas objecit. Vixit deinde Venetiis Divini verbi præco facundiſſimus. Ibi typis ſubjecit Panegyricam Orationem Græcam eloquentiſſimam *de Dignitate Sacerdotii*, latinam verò, ſed prolixiſſimam *de Inauguratione Joannis Piſauri Veneti Principis*. Secundùm hæc præfuit ſacris Græcorum Venetis Philodelphienſis Archiepiſcopus, & in ea dignitate conſenuit, è vivis ereptus an. MDCLXXV. ætatis LXVIII. Præſul ſanctimoniæ, quod ad vitæ rationem, & morum integritatem attinet, non vulgaris, facundiæ in habendis concionibus eximiæ, prudentiæ in exercendo paſtoris officio inter ſubjectos paſci difficiles, ſingularis.

CAPUT L.

Oliverius Cromuel. Io. Franciſcus Lauretano. Felix Calvus. Meletius Syrigus.

1658 CCXLI. OLIVERIUS CROMUEL Britanniæ ſub nomine tituloque patroni tyrannus, haud ſcio dedecorine an gloriæ futurus ſit gymnaſio noſtro, cujus illum alumnum inficias ire non poſſumus, cùm & Anglorum catalogus, qui extat etiamnum (5), illum ſuis annumeret Conſiliariis an. MDCXVIII., idipſumque inſignia ambulacris gymnaſticis appicta teſtentur (6). Natus eſt in Wallia obſcuro loco (7), nec ditibus, clariſve parentibus, aut illuſtri familiâ, quamvis non deſint, qui pronepotem illum exiſtimant Thomæ Cantabrigienſis patricii (8), qui princeps inter Miniſtros à cubiculo (9), præcipuus inter Conſiliarios, præfectuſque ſecretis, Henrico VIII. regnante inceſtarum nuptiarum auſpex, tandem ſcelerum pęnas dedit, ac cervice gladio carnificis cæsâ probavit, plerunque malis conſiliis malos auctorum exitus reſpondere. Ut ut ſit, Oliverius natalem inopiam adoleſcens auxit laſciviâ & luxu, ac diuturnis peregrinationibus, quarum partem Patavio dedit, biennio ſaltem bonis hic artibus addictus.

Hinc

(1) ad An.1618.& ſeqq. (2) Scen.liter.P.8.p.355.356. (3) Monum.Nation.Transmar apud Salom. in Collectan.
(4) Salom. in Collect. (5) apud Viatorem Natio Anglicæ. (6) Salom. in Collect. Inſcrip. recent. Gymn.
(7) Pajolus Vit. Cromuel. p.234. Noſtradum Cent.8. Quater.76. Defenſio Regia. (8) Pajol.ibid.p.235 ex Biſaccion.
(9) Vid. Sander. lib. 1. de Schiſm. Anglic.

Hinc in Britanniam regreſſus eo anno, quo Jacobo mortuo Carolus Rex ſuffectus eſt. Ductâ Cantabrigiæ (1) uxore, hac impellente, ad gerendam Rempublicam ſenſim ac diſſimulanter acceſſit; paulatimque iis, quibus naturâ & ſtudio ſe ſe inſtruxerat, artibus, ita ſe claſſi minorum gentium accomodavit, ut præcipuus in habendâ ratione publicarum rerum, in procurandâ variarum religionum concordiâ, proſequendiſque omnibus, quæ bono publico eſſent, cenſeretur. Artifex ſimulandi eximius, modeſtiâ voluntates omnium captare, mediocri planèque plebejo, & cultu & victu, oſtentare animi æquabilitatem egregiam, vultu & eloquio ad omnem pietatis ſpeciem compoſito ità ſectarum omnium, quibus Britannia fluctuabat, aſpectibus arridere, vix ut internoſci potuerit, quam ex animo ſequeretur, niſi quod conſtans plurimorum opinio fuit, hunc hominem, dum hæreſes inter ſe pugnantes probat, ſed interim Anabaptiſtis & Puritanis, quorum ſectæ ferociores videbantur, favet, reipſa religionis fuiſſe nullius; nec præter utilitatem ſuam, divinitatem aliam agnoviſſe. Non tamen abnuerim (2) tantæ impietati, tantiſque vitiis affuiſſe virtutes, doteſque animi planè mirabiles. Natura & inſtitutione facundus & eloquens, ita ſe placitis omnium inſinuabat, ut ad ſua omnes converteret, & quodam veluti verborum, actionumque veneficio afflatos ſuæ ſubderet voluntati. Ingenio velox, conſtantiſſimus animo, quæ vel difficillima, vel in ancipiti fluctuantia putabantur, ea arte, atque indole conſiliorum, exitus utroſque reſpicentium, moderabatur, ut quæ gerebat, decernebatve, quamvis iniqua, ſceleſta, planeque deteſtanda, juſta tamen, ac laudanda, vel perſpicacioribus, & attentis ad rerum exitus, viderentur. His virtutibus ac vitiis commendatum turbæ, quæ comitia Britannica commiſcere cum Rege, deprehenderunt, datuſque eſt Legatus & Magiſter equitum Farfexio Comitiorum Imperatori an. MDCXLIII. Statim autem ſe partibus non minus, quàm domi, bello utilem probavit, cùm in prælio Eboracenſi, victo Roberto Principe, de exercitu Regio triumphavit; mox iterum ad Ambarienſem arcem congreſſus cum hoſtibus, quos Rex ipſe ducebat, iterum vicit, ac geminatâ victoriâ partes Regias penitùs profligavit. Nam Regem ad Scotos profugum (3) Scoti ipſi auro empti comitiorum aſſeclis vendidere an. MDCXLVIII. Exinde Cromuel apud Anglos rebellantes glorioſus penè non unus publicè libertatis vindex audiebat: poteratque his eſſe contentus, ni eum ambitio ad tyrannidem prorſus inauditam evocaſſet. Quibus hanc ſubdolis artibus, fraudibuſque, quâ pietatis impiâ ſimulatione, quo exercituum & comitiorum diſſidio, quo denique atroci parricidio Regis manu carnificis interfecti paraverit, dicet communis, ad quam (4) ſtudio brevitatis provocamus, hiſtoriæ veritas. Hoc nobis ad rem noſtram ſupererit, Rege perempto, cùm plebs & populus ad regendam Rempublicam Cromuelem evocaſſet, jamque Farſexius hunc ſe majorem videns, atque adeo ſibi conſulens, ſupremo ſe Militiæ magiſtratu abdicaſſet, Cromuele Duce, Scotos ſub Carolo II. rebellantes victos fuiſſe, Carolo ad gentes exteras profugo: mox Cromuelem ſuis auſpiciis tyrannidem iniiſſe, quam geſſit ut Princeps legitimus, & Britanniæ Patronus, receptus probatuſque miſſis legationibus per ſupremos Europæ Principes, prope dixerim omnes, quorum patientiâ, ne dicam incuriâ, monſtrum hoc ſæculis prioribus incredibile, quod proximè elapſum eſt decimum ſeptimum vidit, ac toleravit per annos circiter undecim, quibus Cromuel bello & pace, domi foriſque felix regnavit, ſibique, ut licuit regni ac tyrannidis hæredem Richardum filium reliquit: quem tamen exhæredavere ultores ſcelerum Superi, ne peſſimi patris exemplum in filio apud poſteros perennaret. Obiit Oliverius in cruciatu colici doloris pacatiſſimè ſexagenario major anno à cæde Caroli I. decimo, menſe ſeptimo, die quarto, qui fuit Iduum Septembris an. MDCLVIII. Corpus aromatibus conditum ſolemni pompa in regia Sepulcra Weſtmonaſterienſia illatum eſt, unde biennio poſt extractum, raptatumque pependit è cruce: caput haſtæ infixum proſtitit in aula Comitiorum, fortunæ poſt mortem ludibrium.

CCXLII. JO. FRANCISCUM LAURETANO patricium Venetum pluſquam nimis 1660
noſtra ætas quâ pertinet ad ſæculum XVII. celebravit. De ejus geſtis quando Incogniti (5) pauca dant, licet profeſſi hunc Academiæ ſuæ conditorem & patrem, nec plura Ghilinus (6) exhibet cùm in brevi tum in prolixo elogio; ſupererit pauca itidem edere, ſed certiora, quæ olim, dum hoc opus eminus meditabamur, accepimus ab Antonio ejus filio Archipresbytero Patavino Juriſconſulto, & in Juriſconſultorum collegium adſcito, viro probo, atque erga nos benignè ac perhumaniter affecto. Hoc auctore Joannes Franciſcus natus eſt an. MDCVI. Adhuc adoleſcentulus Patavium venit

tunc,

(1) Patol. ibid. p. 237. 239. (2) ibidem p. 240. (3) Idem. p. 245. & ſeqq.
(4) Idem P. 247-271. (5) p. 245-247. (6) in front. Vol. 1. Theatri & ibi p. 205.

tunc, cùm Maximus Valerius ad Præfecturam Patavinam acceſſit: apud hunc, ejuſque fratrem ac ſucceſſorem Silveſtrum vixit Patavii ad annum uſque XXII. ſæculi ſuperioris; bonis artibus, atque unà cum eloquentiæ, tum verò Philoſophiæ operam dedit, doctoribus Paulo Benio, & Cęſare Cremonino. Redux cum Silveſtro Venetias, annorum ſeptendecim adoleſcens, ad Italam elocutionem, atque facundiam inſtitutorem ſibi adſcivit & auſpicem equitem Coluraſſium, qui primus, vel inter primos, ad floridam, & uſquequaque laſcivientem facundiam Italorum aures erexit, docuitque mira promere, exotica ſequi, inhærere ſplendidis, atque ita dicere & ſcribere, ut ubique ſtylus vernet, exultet, ac turgeat, uno verbo blandè & ingenioſè luxuriet, nulla habita ratione veritatis, & gravitatis, qua unâ ſtat veræ, nec enervis, aut hiulcæ facundiæ vis ac propoſitum. Hoc inſtitutore Lauretanus in eam nominis famam adoleſcens adhuc provectus eſt, ut, quod planè rarum, & fortaſſis inauditum, anno ætatis vigeſimo Academiam Venetiis aperuerit domi ſuæ, ad eamque præcipua Italorum ingenia convocaverit, Incognitorum hanc dixit, mirumque eſt, quod illi maximorum virorum nomina conciliaverit, atque inter hæc illorum, quos ab illo puerili dicendi ſcribendique genere maximè abhorruiſſe & poſteritas novit, & ipſorum ſcripta teſtantur, Auguſtinum Maſcardum, Antonium Brunum, Claudium Achillinum, Franciſcum Bernardinum Ferrarium, Hieronymum Pretum, Leonem Allatium, Nicolaum Craſſum, illum etiam, cui Lyricorum Principi Italæ Muſę procumbunt, Gabrielem Chiabreram. Poſt inſtitutam Incognitorum Academiam, ex hac ædepol clarior ad Rempublicam capeſcendam floridam ætatem inſtructamque tot virtutum opibus mentem convertit, receptuſque in Ordinem Sapientiæ junioris, inde prodiit ærarii militaris in arce celeberrima Palmæ pręfectus, eoque munere è republica functus, poſt varios in patriâ magiſtratus egregiè procuratos, præfuit Lempiacenſi Præſidio, indeque ad Quadragintumvirale collegium lectus, judex publicæ incolumitati & gloriæ aſſiduam operam præſtitit, nunquam interim intermiſſo dicendi ſcribendique negotio. Nempe ex adagio noſtro οἶδε σοφὸς σχολάζειν: *otium novit ſibi facere Sapiens*, quod Lauretano inter tot publicas curas, negotioſiſſimum fuit. Nam in Academico cœtu Sodalium ſuorum dixit perpetuo, præivitque exemplo omnes tantâ cum gloriâ, ut etiam doctiſſimi viri ac ſeniores junioris ſe filios & alumnos in exercitationibus Academicis gloriarentur. Quę dixit, quę ſcripſit, ac legenda Italiæ obtulit tanti ſunt habita, ut, quod raro contigit, Gallicè, Hiſpanicè, Germanicè pleraque reddita fuerint. Fatendum tamen eſt, Lauretanum in illis genio plus indulſiſſe, quàm ſobrietas oratoria & germanæ facundiæ πρέπον patiatur. Floridus eſt magis, quàm robuſtus, exilibus argutiis inſervit, nec aut Philoſophum exhibet cùm diſſerit, aut ſeriò deſcribit, quæ narrat: breviter eo ſtylo utitur quem à Coluraſſio didicit, quoque prima ſui parte ſæculum ſuperius ingenioſè delitavit. Florebat ab an. MDCXLVII, quo de eo Ghilinus & Incogniti ſcribunt, ad an. MDCLX. nec tamen diu poſt hunc annum vitam produxerit, ſi quæ filius ejus Antonius narrabat nobis, hæc ſcribentibus memoria fideliter ſuggerit. Scripſit multa: quæ vidimus edita, his titulis celebrantur.

Nugarum Genialium Partes II. Sententia pia in Pſalmos Davidis VII.

Epitaphiorum ludicrorum Centuria. Deciſiones Amatoriæ. Diſſertationes Amatoriæ. Lectiones Academicæ. Diſſertationes in Paradoxis ludentes.

Vita equitis Marini. Adami Protoplaſta. Alexandri III. P. M. S. Joannis Tragurienſis. Regum Cypri, ſub nomine equitis Gibleti. Poetarum aliquot ſui Sęculi. Epiſtola Anonymi de interitu Svecorum Regis.

Judicium Politicum de Morte Valſtaini Ducis Fritlandiæ.

Apophtegmata & Geſta Venetorum ex imitatione Valerii Maximi.

Dianea Poema Proſaicum. Eriſandra Dianeę Continuatio. Fabula Pirami & Thiſbes.

Commentarius duplex, de erroribus Principum, & de erroribus Vulgi.

Diſſertationes Politicę, & Morales in Saluſtium. Cæteras, quæ non vidimus, dabunt Incogniti (1).

1681 CCXLIII A Donato (2) Calvo monemur claris Alumnis gymnaſii noſtri annumerandum eſſe Chirurgum celeberrimum FELICEM CALVUM Bergomi natum, verſatumque ſtrenuè Patavii in addiſcenda arte Chirurgica. Tradit, relatis inſignibus medicinæ hinc regreſſum in patriam, tum Medicinæ, tum verò præcipuè Chirurgicæ artis præſtantiâ claruiſſe, utramque autem & Bergomi & Mediolani mirâ felicitate ęgrotorumque compendio exercuiſſe: relictis, editiſque his monumentis virtutis ſuæ in tractatibus, atque conſiliis.

De Aneuriſmate, ejuſque Curatione.

De

(1). ibid. p. 247. (2) Scen. liter. P. 1. p. 131. 133.

De vulneribus Cancroſis. De Vulneribus Capitis. De Scirrho.
Obiit in Patria an. MDCLXI. ætatis LXXII.

CCXLIV. MELETIUS, antea MARCUS SIRYGUS, nobili genere in Cretâ natus ann. MDCXXIV. adoleſcens (1) miſſus eſt in Italiam cauſa ſtudiorum. Italicam ac Latinam linguam Venetiis didicit; priſcas Græcorum literas habuit à Corydaleo tunc Venetiis degente. Hoc præceptore ſuadente Patavium venit ad plenam Rhetorices inſtitutionem, Mathesim & Phyſicam; jamque poſt quatuor annos ad Medicinam accingebat ſe juvenis ex indole ſtrenuus, cum revocatus in patriam morte patris, qui planè decoxerat, vix Cretam appulerat, cùm matris obitum pridie defunctæ audivit. Hujus dote ſe aliquandiu aluit, indeque paupertate cogente, Monaſticum ordinem, cultumque ſuſcepit, profeſſuſque clericorum ordines, per hos gradatim ad Sacerdotium pervenit. Concionatorem in patria, & verbi divini præconem egit magna cum laude, ſed non minore periculo leviſſimam ob cauſam, quod nimitum inter concionandum, minimè depoſito Camelaucio, (ſeiſilis pileus Monachorum eſt) ſed operto capite Præſidem quendam rerum noſtrarum ignorantiſſimum è ſuggeſtu ſacro ſalutaſſet. Ergo in Angarathenſe cœnobium ſe ſe abdidit: unde non diu poſt prodiit Abbas renunciatus Monaſterii ad Bonos portus vicum inſulæ notum ex actibus Apoſtolorum (2). Verùm ibi quoque fortunæ ſiniſteritas, armata ſuperſtitionibus Photianis, hominem convenit, afflixitque. Nam cùm ſupremus Cretenſis regni Præſes inſulam de more inviſens latinum quendam Sacerdotem juſſiſſet Sacra latina facere in ara Græca, hiſque peractis diſceſſiſſet, Meletius ratus, aram illam ſacro latino execratam, non ante ſinit in ea Græcè fieri, quàm illam ritu ſolemni ac celebri cæremonia iterum conſecraret. Id quod ubi innotuit, uti par erat, comprehendi vincirique jubetur. Sed ille fugâ ſibi conſuluit, & Alexandriam navigavit, exceptus à Cyrillo Lucari tunc ibi Patriarcha, laudatuſque encyclicâ Epiſtolâ. Cum hoc deinde Meletius profectus Byzantium, in æde Virginis Deiparæ Chryſopeges domicilium poſuit an. MDCXXX. docebatque in illo templo & concionabatur aſſiduè ad ann. MDCXXXIX., quo cum Porphyrio Nicæno Archiepiſcopo à Patriarcha Parthenio I. Legatus miſſus Jaſium ad Synodum Jaſianam habendam, inde redux an. MDCXLIV. quòd non placitura diceret Parthenio II. ab hoc pulſus in exilium, Jaſium iterum ſe recepit, unde revocatus precibus Panhagioti Magni Turcarum interpretis, cùm animum Parthenii exorare minime potuiſſet, Coum ſeceſſit, mox exauctorato Parthenio, remeavit Conſtantinopolim, habitavitque in iiſdem ędibus, à quibus non diu poſt, reſtituto Parthenio, fugiendum illi fuit Trygliam in oppidum Bithyniæ ad annum uſque MDCLII. cùm à Joannicio ſucceſſore Parthenii revocatus in eadem Byzantii Sede, iiſdemque muneribus fuit, quæ tandem tranſtulit Galatam in templum Chriſti Servatoris Mpoſtariorum, ubi mortalitatem explevit XV. Kal. Maii an. MDCLXII. ætatis LXXVII. Corpus Trygliam relatum conditum eſt in cœnobio SS. Patrum. Hactenus pleraque ex ejus vitâ (3). Scripſit plurima ſermone vernaculo, quorum hæc pauca nobis nota perlecta ſunt. 1661

Conciones in omnes Anni Dominicas.
Tomi III. in varia Sacra Scripturæ loca.
Martyria quorundam qui pro Chriſto peremptis ſunt ſuo tempore.
Confeſſio Petri Chioviensis Antiſtitis emendata juſſu Synodi Jaſienſis.
Commentaria Origenis in Epiſt. ad Rom. ex latino Græcè reddita.
Libri Joannis Cantacuzeni adverſus Mahumetanos vernaculo ſermone expoſiti.
Inſtitutiones Juſtiniani & Epitome Nomica Leonis & Conſtantini eodem ſermone juſſu Baſilii Moldaviæ Principis.
Antirrheticum contra Cathechiſmum Cyrilli Lucaris, opus egregium Calvinianos & Lutheranos errores refellens ex controverſiis Bellarmini ſuppreſſo nomine, quibus & ſua addit, & Eccleſiæ Orientalis Dogmata à calumnius Hæreticorum tuetur.

CAPUT LI.

Chriſtianus Langius. Michael Angelus Rota. Adolfus Vorſtius. Athanaſius Sclerus Picrus. Thomas Bartholinus.

CCXLV. CHRISTIANUS LANGIUS Luccavię natus, Profeſſoris in Lipſienſi gymnaſio Thęologi filius à teneris annis miro ardore diſcendi ſuccenſus præceptorum antevertit vota, omneſque curſim ſcientias pervagatus & Witembergæ 1662

(1) Syrigus Præfat. in Inſtit. Juſtin. ad Baſil. Moldau. Princ. (2) c. 27. V. 8. (3) Præfixa Antirrhetico. Cyrilli Typis Daciæ An. 1690

bergæ & Lipſiæ, inde Magiſter Philoſophiæ &, ut vulgo dicimus, *Baccalaureus* Medicinæ Patavium venit, ut hanc artem perdiſceret. Ita notatur in actis (1) nationis Germanicæ, eujus Procurator aſſeritur & Bibliothecarius, nec ſemel Orator ad Literarios Triumvitos pro Nationis ejuſdem privilegiis tuendis augendiſque miſſus. Fuit auditor aſſiduus Silvatici, Salæ, Weslingii, Frigimelicæ, & Petri Marchetti, ſub quibus ad eam in re Medicâ, Chirurgicâ, & Anatomicâ famam nominis & exiſtimationis aſcendit, ut lyceæis Italicis, Gallieis & Britannicis perluſtratis, poſtquam Lipſiam rediit, ſubſellium, ex quo publicè Phyſiologiam explanaret, meruerit, habitus jam tum ab anno ſcilicet MDCXLVII. ſummus Chirurgus, Anatomicus, Phyſiologus, Pathologus, Chymicus; eoſque in Academiâ illâ clariſſimâ honores conſecutus, quos Freherus ex funebri oratione & programmate Martini Generi ſubnotat (2). A temulentis militibus, dum noctu ad familiare ſibi muſæum progreditur, vulneratus, vix tandem ita convaluit, ut poſſet Anatomen adminiſtrare. Verùm inde contracto morbo hypocondriaco, obnoxiuſque nephritieis doloribus, inflammatione viſcerum accedente, tot malis ſucubuit extinctus an. MDCLXII. ætatis XLVII. Quæ doctè ſcripſit, his titulis celebrantur.

Miſcellanea curioſa.
Tractatus de malo hypocondriaco. De morbillis ſive ſpecimine putredinis animatę. De Genio Thermarum Carolinarum. De Angina. De Facie Hippocratica. De Acidulis. De lacte humano. De Calculi humani generatione, & curatione. De morbo caſtrenſi. De Elixire proprietatibus. De morbillis.
Athanaſii KirKeri Scrutinium Phyſico-medicum de Peſte.
Valetudinarium Infantile.
Top.graphia Microcoſmi, ſeu Compendium Anatomicum.
Documenta Anatomica de Fœtu.
Epitome Phyſiologię Medicę.
Exhegeſis controverſiarum Pathologicarum.
Scholia in Helmontii doctrinam inauditam de Febribus.

1662 CCXLVI. MICHAEL ANGELUS ROTA Venetiis natus, oriundus Bergomo (3) humanioribus literis excultus in patria acceſſit Patavium; atque hic diu verſatus medicæ artis arcanis ſe penitus imbuit. Laureatus doctor cùm rediiſſet Venetias adoleſceus adhuc, brevi tamen ad eam ex felicitate curationum gloriam evaſit, ut emeritos inſtitutionis Jatricæ Duces multis paraſangis locupletiſſimè ſuperarit. Valetudinis cuſtos datus Legato Veneto, profectus in Galliam, gentis in laudibus exterorum parciſſimæ meruit ampliſſimam commendationem, quam ſibi à tota Italia deberi deinde probavit, cùm teſtitutâ ſanitate Farneſiis Principibus, Parmâ dives atque ſpectabilis omnibus Venetias remeavit. Ibi Archiatrus, & in arte certiſſimè princeps per annos fermè LIV. Medicinam fecit, unde illi non ſterilis gloria; ſed opes & cenſus, cujus partem Vir non ex doctrinâ magis, quàm ex probitate, religione, ac liberalitate erga pauperes cenſendus in horum ſubſidium largiſſimè contulit, ditatiſque cognatis ex teſtamento, mortem obiit Venetiis an. MDCLXII. ætatis LXXIV. cælebs, &, ut creditur, virgo: ſepulti ad S. Leonem cum epitaphio ab hæredibus poſito (4) funus curatum eſt in templo SS. Joannis & Pauli, cujus pompam oratione auxit diſertiſſimâ Florius Bernardus poſtea in Urbe Venetâ Medicus celeberrimus. Edita ſunt Rotæ hæc opera.

De Peſte Veneta Ann. MDCXXX. Quæſtiones diſputata, ſive Apologetica.
Conſiliorum Medicorum Centurię III.
De Curatione morborum internorum.
Comment. ſuper Hippocratem de elementis.
Comment. ſuper lib. III. de Morbis epidemicis.

1663 CCXLVII. ADOLPHUS VORSTIUS, Medicus (5) & Orator in Belgio clariſſimus, patriam habuit Delphos in Hollandia. Infans traductus Lugdunum Batavorum à patre tunc in Medieum Profeſſorem Lugduno-Batavum adſcito, ibi minores literas didicit, atque inter delicias cenſuit adoleſcentiæ ſuæ in Phyſica Medicaque curioſitate pluſquam mediocriter exerceri. Suſcepit deinde, patre jubente, peregrinationes eruditioni profuturas, quam unà cum Calvinianorum dogmatum diſciplina penitiore apud Molinæum hauſit, Erpenium, Mornæum, quos poſtea Angliam, Galliam pervagatus audivit. Indè venit in Italiam, atque Venetiis arctiſſimam iniit (6) amicitiam cum Dominico Molino ſummo per ea tempora eruditorum patrono, & cum Paulo Sarpio, extantque mutuò datæ ac viciſſim epiſtolæ hoc ipſum confirmantes. Ex his collegimus, quod aliunde refert Freherus (7), eum Patavinis Alumnis annumerandum eſſe, quos inter Medicinę operam dedit, Germanicę Nationis fuit conſiliarius, in eaque Scholaſtica dignitate doctoris Medici, plaudente gymnaſio recepit inſignia Spigelio auſpice an. MDCXXII. His ornatus, eum curioſiſſimè inſpexiſſet ad plenam priſcę eruditionis notitiam

monumenta

(1) ad Ann. 1645. (2) Tom. 2. p. 3. p. 1392-1393. (3) Calvus Scen. litt. Bergom. Scriptit.
(4) V. Freher. Tom. 2. P. 3. p. 1390. (5) Freher. d. P. 3. p. 1393. (6) Freher. ibid. p. 1394.
(7) ibid. p. 1394. ex Orat. Fun. Joann. Lindani.

monumenta Romanę urbis, ſecutus Antonium Maurocenum ad Ordines Fœderatos legatum in Belgium rediit, ubi albo Profeſſorum adſcriptus, raro exemplo, patris collega fuit: mox Archiatrus Mauricii Principis, & ſummus Lugduni Batavorum Botanicus, famâ nominis ſui, & in re Medica ob inſignem doctrinam clariſſimus. Familiariſſimus fuit Salmaſio, eumque propterea præpropera morte ſublatum in funere facundiſſimè laudavit. Extremis annis arthritide, & calculis laboravit acerbiſſimè, quibus cum acceſſiſſet Iſchuria, vivere deſiit Lugduni Batavorum ann. MDCLXIII. ætatis LXVI. Ejus hæc præcipuè opera celebrantur,

Oratio in funere Petri Cunęi Profeſſoris, & alia in funere Clau. Salmaſii.

Recognitio Verſionis Opſopęi Aphoriſmorum Hippocratis.

Catalogus Plantarum Horti Botanici Lugduno-Batavi. Acceſſit Index Plantarum indigenarum, quę propè Lugdunum naſcuntur.

Diſputationes. De Motu, Dyſenteria, Febri tertiana intermittente exquiſita, Epilepſia, Lyenteria, Incubo, Pleuritide vera, & purgatione, Plica Polonica, Angina vera & aliis multis, quę in titulo Diſputationum recenſentur.

CCXLVIII. ATHANASIUS SCLERUS cognomento Picrus, Michaelis avi mei materni frater, familiâ oriundâ Conſtantinopoli, & in Cretam translatâ in metropoli inſulæ natus eſt. Græcas literas in patria didicit Maximo Margunio præceptore: inde ad extorrem jampridem è Græcia ſapientiam in Italiam venit, Latinaſque quantum ſatis ad uſum literas quæſivit Venetiis, unde Patavium commeavit, ac tyrocinio hic ſcientiarum poſito per quadriennium & amplius, Phyſicę ac Medicinę operam dedit: nam an. MDCX. eum Patavii fuiſſe conſtat ex ejus literis ad fratrem datis: conſtat itidem ex inſcriptione gymnaſtica (1) eum an. MDCXV. Aſſeſſorem datum Bernardo de Renaldis Vicentino artium Pro-Rectori & Syndico. Doctor Philoſophiæ ac Medicinę rediit in Patriam, ubi toto vitæ tempore Medicinam fecit, donec res Cretenſium ſtetere, regni Cretici Archiatrus, quo munere nihil apud noſtros honeſtius, lucroſiuſve. Subſecivis horis atque temporibus muſis Græcis operari ſolitus, cùm Græcè multa ſcripſiſſet elegantiſſimè in Hippocratem jonice, ne à Magiſtri dialecto deſciſceret, carmina græca tractavit uberrimè. Scripſit enim Heroico Carmine libros X. de Bello Cretico, quos typis deſtinatos, poſt ejus obitum ſibi Marchio Villę comparavit ab heredibus, nec niſi Schediaſmata quędam operis ejus ad noſtras manus pervenere, ex quibus jure licet aſſerere, poſt priſcos Poetas, nihil in Græcia noſtra lectum nitidius, ingenioſius. Scripſit etiam Epigrammata multa, & D. Auguſtini Confeſſiones gręcè reddidit. Hę mihi olim à Franciſco Stella Societ. Jeſu Presbytero Chio dono datę furto Gręculi cujuſdam ablatę ſunt. Vivebat mea ętate in Patria noſtra, meque morbo iontico laborantem decrepitus ſenex curavit. Inſtructiſſimam habuit Bibliothecam, quam à ſene in obſidione patrię ad incitas redacto Delfus emit. Ex ea lipſana quędam habeo, notulis ejus accuratè ſignata, ſemperque hoc diſticho munita:

Πικρὸς ἐπίκλην τοὔνομα δ' ἴκελος ἀθανάτοισιν,
Ἰητρὸς δὲ τέχνῃ, κτήσατο τήνδε βίβλον.

hoc eſt

Immortale, cui nomen, cognomen Amarum,
Arte tamen Medicus, poſſidet huncce librum.

Obiit in urbe Creta antequam in Italiam navigarem anno ſcilicet MDCLXIV. 1664

CCXLIX. Sęculi ſuperioris celeberrimum Anatomicum Thomam Bartholinum Hafnia 1665
Danię urbs regia, Gaſpare Anatomico claro progenuit (2). Cultiores literas Philoſophiam, & Philologiam in patrio gymnaſio attigit, & in caſtris quoque Theologicis quadantenus militavit: auſpiciis deinde profitentium Lugduni Batavorum cœpit operas locare Medicinæ, atque in Philologia firmius verſari ducibus Heinſio, Salmaſio, Voſſio, Boxhornmio. In Galliam profectus claros Pariſiis, & in Monte Peſulano Medicos audivit, tandemque ad Praxim Jatrices, Anatomes, & Botanices certiùs comparandam Patavium venit, fuitque inter Alumnos noſtri gymnaſii pluſquam triennio, ut ex catalogis conſtat. Uſus eſt præceptoribus Sylvatico, Sala, Weslingio, cui prę omnibus & cariſſimus fuiſſe traditur & addictiſſimus. Germanicę Nationis Conſiliarius, ac ſubſtitutus Filibetto Vizzanio Pro-Rector & Syndicus præfuit Patavino gymnaſio an. MDCXLII., tanti jam tum apud Venetos nominis, ut eum Jo. Franciſcus Lauretanus Academię Venetę princeps & conditor ad ſocietatem invitaverit, ac ſociis, quamvis modeſtè reluctantem, adſcripſerit. Hinc

de

(1) Sflom. inſcrip. Pat. Gymn. (2) Vanding. in Acad. Hafnien. Freher. Tom. 2. P. 3. p. 398.

de illo Incogniti adhuc adoleſcente quædam tradunt (1), ejuſque in prima juventute venuſtam imaginem cum elogio proponunt. Luſtravit poſt hæc fratre Gaſpare comite Italiam, atque iterum ſalutato Patavio, apud Rauracos Baſileæ, quam hîc meruerat, laurum Medicam recepit. Redux in patriam vix biennio vacavit à munere publico, datuſque ſucceſſor eſt Chriſtiani Longomontani, ſimul Anatomen adminiſtrandam ſuſcepit, quam ſumma felicitate, ſed & magno diſpendio valetudinis præ omnibus Anatomicis illuſtravit. Memini, V. Clar. Bernardinum Ramazzinum mihi ſæpè dixiſſe, Bartholinum hunc unum reipſa in ſcriptis, quæ leguntur ab illo edita, Anatomicum apparere, qui plura experientiâ tractaverit, quam reliqui verbis expreſſerint. Reipsâ lacteus thoracis ductus, & Vaſa lymphatica ipſi nomen debent, & publicam famam. In Haſnienſi Academia ſummas attigit ſemper, ſummiſque honoribus functus eſt, donec fractus laboribus an. MDCLXI., vacatione publicorum onerum impetratâ, honorarii Profeſſoris titulo contentus conceſſit in prædium pecuniâ ſuâ quæſitum. Ibi eruditâ quiete beatus, parato ſibi ſepulcro cum epigraphe permodeſtâ, quadriennio poſt obiit an. MDCLXV. nondum quinquagenarius. Ejus opera plurima ſunt: ab Incognitis recenſentur ex parte (2), plenius à Frehero ex Academia Haſnienſi Eraſmi Vindingii, hoc modo.

Anatome Gaſparis Bartholini parentis novis obſervationibus locupletata. Anatomia ad ſanguinis circolationem reformata cum novis imaginibus. Anatomica Aneuriſmatis diſſecti hiſtoria. Obſervationes Anatomicæ P. Pavi ſelecta poſthuma. De Unicornu Obſervationes novæ.

De luce Animalium libri III. De Monſtris in natura & Medicinâ. Diſputatorium Haſnienſe. De Angina puerorum Campaniæ & Siciliæ Epidemica Exercitationes.

De latere Chriſti aperto Diſſertatio cum Epiſtolis Clar. Salmaſii. Antiquitatum veteris puerperii Synopſis operi magno ad Eruditos præmiſſa. De ductibus lacteis in homine, & brutis obſervatis hiſtoria Anatomica. De iiſdem dubia Anatomica.

Vaſa lymphatica in homine inventa. Defenſio Vaſorum lymphaticorum adverſus Jo. Riolanum. Paralytici N. T. Medico & Philologico Commentario illuſtrati. Hiſtoriarum Anatomicarum rariorum Centur. VI.

Diſputationes Variæ Medicæ. Epiſtol. Medicin. Centur. II. Obſervationes Medicæ Variorum. Obſervationes Jo. Weslingii, & Epiſt. Anatomicæ Poſthumæ. De Danorum Medicina, inventis & erroribus Diſſertationes Academicæ. Reſponſio ad novam Obſervat. Bilſianas. De Nivis uſu Medico Obſervat. Ciſta Medica Haſnienſis, variis Conſultationibus, Caſibus, Vitiſque Haſnienſium Medicorum repleta.

Epigrammatum Volumen. Cornari Vita Sobria ad uſum vulgarem accomodata. Panegyricus Regi Daniæ Friderico III. dictus nomine Academiæ. De Cometa nupero an. MDCLXV. Conſilium Medicum. De armillis Veterum, præſertim Danorum Schedion. De Variis Reipubl. Chriſtianæ morbis, & placidis eorum Remediis. De Cruce Chriſti Hypomnemata IV.

Collegium Anatomicum Diſputationibus XVIII. adornatum. Spicilegia duo ex Vaſis lymphaticis. Examen Lacteorum contra Riolanum & Harveyum. De Pulmonum ſubſtantia & motu, Diatriba. De inſolitis partus humani viis, Diſſertatio nova. De Hepate defuncto, Diſſertatio. Orationes funebres duæ.

Extat de Bartholini Polygraphia hoc diſtichon.

Hujus Scripta Viri quicumque recenſet & Actos
Tot poterit libros quot memorare dies.

CAPUT LII.

Jo. Theodorus SchenKius. Philippus Jacobus SaKſius. Eraſmus Bartholinus. Guernerus Rolfinchius. Albertus de Albertis.

1671 CCL. JO. THEODORUS SCHENKIUS Jenenſis Thuringus è ditione Ducum Weimarienſium, utroque parente nobilis ex programmate funebri, unde ſua habet Freherus (3), Pupillus puer à Tutoribus addictus literis, his operam dedit multis in oppidis Germaniæ, à quibus cùm fuiſſet peſtilentiæ cauſa coactus divertere, tandem Patavium ſe contulit anno ætatis XXII. æræ communis MDCXLI. Hic apprimè ſubactus eſt inſtitutionibus Medicis auditor Weslingii, Silvatici, Salæ, Marchetti, Veſalii,

(1) p. 408. 411. (2) d. p. 411. (3) Tom. 1. P. 3. p. 1409. 1410.

Veſalii, emenſuſque ſtudiorum curriculum perluſtravit Italiam, ac præcipuos Italorum Doctorum ſibi perarctâ familiaritate conjunxir, Rediit deinde in Germaniam, ac Medicinam Norimbergæ fecit, ubi Scholas quoque Medicinæ privaras inſtituit, ex quibus apud Indigetes maximè claruit. Poſtquam Phyſicam Chemnicienſium ſtipendio docuit, & valetudini Principum aliquot præfuit feliciter, à Jenenſibus accitus primus Anatomes, Chirurgiæ ac Botanices Profeſſor publicus fuit. Deinde Medicinam theoricam profeſſus eſt ſummâ juventutis & utilitate & frequentiâ, notus ex relatis artibus Europæ toti & aſſiduo literarum commercio venerabilis pleriſque ob famam & ſcripta celeberrimis viris, quorum catalogum habet ex programmate funebri Freherus (1). A prima ætate ad morbum hypocondriacum propenſum, catarrho & Phtiſi aſma ſuperveniens, & ἀγωνία ægrum confecere an. MDCLXXI. ætatis LIII.

Edita ſunt hæc ejus opera, quæ ſubjicimus.

Hortus Plantarum Academiæ Jenenſis. Diſſertatio de Fœniculo.
Exercitationes Medicæ. Schola partium Corporis humani.
Synopſis Medicinæ Novantiquæ Generalis. Syntagma componendi & præſcribendi Medicamenta.
Diſſertationes. De Imbecillitate Ventriculi. De Dyſſenteria. De Pleuritide. De macie puerorum ex Faſcino. De Ophtalmia. De Peſte. De Laſſitudine. De Conceptione. De Variolis morbillis. De Angina. De Fermentationibus ſedativis & præcipitantibus. De Cholera. De Sero Sanguinis. De Methodo cognoſcendi & curandi obſtructiones. De Terra ſigillata.

CCLI. PHILIPPUM JACOBUM SAKSIUM non obſcuri nominis Medicum, nobili 1671
genere ex utroque parente edidit Uratislavia urbs clara Moraviæ. Literarum rudimenta cœpit in patria (2), Philoſophiæ ſtuduit Lipſiæ, proluſit Medicinæ peregrinationibus ſuſceptis per Germaniam, Belgium, Galliam, Italiam, ut ex Ephemeride Phyſico-Medica naturæ Cutioſorum refert, uti ſolet, religioſè Freherus. Subſtitit deinde Patavii, ſtudiorumque ſuorum curſum peregit impetratâ lauro Medicinæ in auguſto & primævo gymnaſii collegio (3). Redux in Germaniam ſalutatis ſtudiorum ſuorum cunabulis, Lipſia & Norimberga, recepit ſe domum, ac Medicinam ſumma cum laude fecit Uratislaviæ publicus ſanitatis cuſtos decreto Reipublicæ conſtitutus. Græcarum Latinarumque literarum peritiſſimus toto vitæ reliquæ tempore magno in pretio apud eruditiſſimos viros fuit. Curioſorum Academiæ adſcriptus ita propoſitum Societatis illius tenuit (4), ut quidquid ubique videtat, deprehenderatve notatu dignum ad Medicinam, Phyſicam, & Pyrorhecniam in adverſaria vel diaria retulerit. His laboribus fractus, vir cæteroqui naturâ imbecillam corporis compagem & eratſim nactus, tandem narium hæmorrhagiâ, & ventriculi vomitu victus ad plures abiit an. MDCLXXI. ætatis XLV. Ejus opera edita.

Ampelographia, ſive Vitis ejuſque Partium conſideratio Phyſico-Philologico-Hiſtorico-Medico-Chymica.
Gammarologia, de natura Cancrorum &c.
Oceanus Macromicrocoſmicus, ſive Tractatus explicans Analogiam Geocoſmi & Anthropocoſmi.

CCLII. ERASMUS BARTHOLINUS, Thomæ, quem laudavimus, frater natus eſt 1673
Roeſchildiæ in Daniâ, in quam urbem pater ejus Hafniâ ad peſtilentiæ diſcrimen evitandum ſeceſſerat. Vivo patre cùm optimis literis in patria, & alibi per Germaniam fuiſſet imbutus, eo è vivis erepto, ſapientiæ causâ, Belgii, Britanniæ, Galliæ ſcholas præcipuas luſtravit, in iiſque claros Mathematicos, quorum ſcientia maximè delectabatur, & Medicos, quorum artem profiteri decreverat, audivit. Hanc ut perdiſceret Patavium venit, ubi eum certiſſimè fuerit I. N. G. Conſiliarius (5), etiam Rectoris vices obiiſſe dicitur à Vindingio penes Freherum (6), cùm tamen nihil extet in gymnaſio noſtro, quo hoc ipſum conſtitui poſſit. Hic anno MDCLIV. inſignibus Medicinæ decoratus eſt; pervagatuſque Italiam Philologiæ gratia cùm in patriam rediiſſet, Geometriæ docendæ deſtinatus iterum Germaniam, Galliam, Belgium, Britanniam percurrit, atque an. MDCLVII. munus Geometricum iniit. Vivebat adhuc ex relato Vindingio an. MDCLXV. quadragenarius, nec quouſque vitam produxerit ſcimus. Hoc nobis certum an. MDCLXXIII. quo illum ſignamus à Magiſtro noſtro ſummoque Matheſeos Profeſſore Socier. Jeſu Cotrignio ut adhuc ſuperſtitem, & Mathematicorum theorematum peritiſſimum ſæpè fuiſſe laudatum. Hæc ſcripſerat ad eam diem, ediderat que.

(1) d. p. 1410. (2) Freher. ibid. p. 1410. & ſeq. (3) idem ibid. p. 1412.
(4) Acad. Curioſor. ad Ann. 1673. 1674. (5) Acta Gymnaſtica An. 1652. 1653. & ſeq.
(6) In Academ. Hafnien. repræſent.

Problematum Matheſeos Pentadem.
Exercitationem de Cauſa efficiente.
Diſputationem Medico-Mathematicam.
Methodum Renati Charteſii.
Heliodori Lariſſei Opticorum libros III. Gl. cum animadverſionibus.
Rationem Analyticam inveniendi omnia Problemata Proportionalium etiam harmonicè.
De Æquationum naturâ, conſtitutione, limitibus Opuſcula II. Florimundi de Beaune.
Dihoriſticen, ſive Æquationum determinationes.
Orationem inſcriptam Jubilæum.
Conſiderationem Aſtronomicam Conjunctionis Magnæ Saturni & Jovis an. MDCLXIII.
De Problematibus Geometricis.

1673 CCLIII. Conſtat ex traditis à Tomaſino (1), GUERNERUM ROLFINCHIUM diſcipulum in gymnaſio noſtro fuiſſe Joannis Prævotii: in eodem gymnaſio diu moratum: eundem autem floruiſſe magnâ nominis famâ Medicum in Germania celeberrimum ſæculo ſuperiore. De eo multa Freherus ex programmate Joannis Frichſmuthi Jenenſis Academiæ Rectoris (2): horum pauca brevitati, quam profitemur, concedimus. Hamburgi natus an. MDXCIX., formaruſque ad ſpecimen virtutis & ſapientiæ curâ patris Hamburgenſis Profeſſoris; hoc extincto, pupillus à tutoribus legitimis ad ulteriorem ſcientiarum ac ſtudiorum cupiditatem educatus eſt. Nondum annum decimum ſeptimum ætatis egreſſus VVittembergam miſſus Philoſophiæ operam dedit, atque unà Medicinam ſub Sennerto delibavit, quam preſſiore guſtu explorare perrexit in Lugduno-Batavâ Academia. Mox ſuſceptis more Tranſalpinorum peregrinationibus, Angliam, Galliam, & Italiam inviſit, ſedemque fixit Patavii, ratus non aliud aptius excelſæ mentis ſuæ dotibus theatrum Patavino gymnaſio fore, in quo coram doctrinæ ac ſapientiæ proceribus ad famam celeberrimi nominis, & ad optimarum artium quæſtum brevi inclareſceret. Reipsâ publicarum prælectionum auditor aſſiduus, & juvenis indefeſſi laboris, quò ad Medicinæ plenam ſcientiam aſſurgeret, & Profeſſorum ſibi animos arctiſſimè conciliavit, & in exemplum ſtudioſiſſimæ curioſitatis toti nationi Germanicæ præivit; gratiamque præcellentium Senatorum, Contarenorum præſertim Petri & Franciſci ita demeruit, ut illi ultro ampliſſimas ædes ſuas conceſſerint, in quibus, ſumma cum laude, raroque Spectatorum plauſu coram trecentis diſcipulis Anatomen faceret. Hac doctrinę, & dexteritatis in arte gloriâ ad laurum virtutibus debitam communi omnium voto evocabatur. Hanc retulit hic an. MDCXXV. non alibi quam in ipſo gymnaſio (3): Non ſanè pręſente Venetorum Duce (quod Freheri ex relato programmate ſomnium eſt) ſed coram urbis Rectoribus, multis & magnis viris ſpectantibus Philoſophię ac Medicinę doctor plena ſuffragatione, ac pręeunte in formulę verba Pręvotio renunciatus. Reverſus in Germaniam an. MDCXXVIII. inde communibus tum Veneti Senatûs, tum ſtudioſę juventutis deſideriis evocabatur ad Anatomen publicè adminiſtrandam Patavii: verùm cum Jenam ad idipſum accerſeretur, Salanam prętulit. Ibi inaudita ad eam diem artis Anatomicę, Chirurgices, Botanices, quę Patavio ſecum detulerat, miracula non ſine ingenti famę plaudentis ſtrepitu explicavit, ſtatimque Botanicum, munificentiâ Ducum Saxonię ſumptum ſuppeditante, conſtituit. Eadem quoque Vinarię pręſtitit: nec diu poſt anno MDCXLI. Jenę Chymię profeſſionem auſpicatus eſt: ex qua per Germaniam notiſſimus, indeque multorum Principum Archiatrus: accerſitus quoque à Summis Exercituum Pręfectis ad Valetudinis pręſidium, in Jenenſi Academia, cui raro exemplo ſextùm Rector pręfuit, conſenuit; ibidemque vitę ſatur, maraſmo correptus, conſumptuſque mortalitatem explevit an. MDCLXXIII. ætatis LXXIV. Scripſit & edidit plurima, quę ſigillatim enumerare nimii laboris ſit. Pleniùs deſcripta leguntur apud relatum Freherum (4), dum nos capita ſumma proponimus.

Ordo & Methodus Medicinæ Specialis Conſultatoria.
Conſultatio de Hepate ad Circulationem Sanguinis accomodata.
Diſſertationes XII. de curatione Capitis, ejuſque affectuum.
Epitome de Curationibus particularium corporis affectuum ex Methodo Abulchi Razæ.
Diſſertationes Anatomicæ ad Circulationem Sanguinis accomodatæ.
Methodus cognoſcendi & curandi febres.
Ordo partium curationi dicatarum.
De purgantibus Vegetabilibus.
Tomi IV. Conſiliorum Medicorum.
Chymia in Actis ad formam redacta.
Non Ens Chymicum: Mercurius Metallorum Miraculum.
Diſſertationes Chymicę VI. de Tartaro, Sulphure, Margaritis, Auro, Argento, ferro, & cupro.

Diſſer-

(1) Elog. Tom. 2. p. 231. (2) Tom. 2. P. 3. p. 312. (3) Freher. ibid. (4) ibid. p. 1413.

Diſſertationes plurimæ, quarum præcipuæ. De Partu difficili. De Hernia ſeu Enterocele. De renum & veſicæ calculo. De Febre Hectica. De Tertiana Intermittente. De Synoche putrida. De Arthritide. De Vertigine. De Mania. De dolore Capitis. De Scrofulis ſeu ſtrumis. De Chylificatione læſa. De Sanguificatione læſa. De Quartana intermittente. De Tuſſi, de Scorbuto. De febre Petechiali. De Catarrho ſuffocativo. De Salivatione. De Suppreſſione Menſium. De fœtu. De Vertigine. De dolore Colico. De Apoplexia, de Scabie. De Sincope, de Epilepſia.

CCLIV. ALBERTUS DE ALBERTIS Tridentinus, ut ex albo quæſtorio clarum eſt (1), & ipſe mihi ſæpe profitebatur, triennio ſtuduit Patavii, atque hìc multos declamantes adverſus Jeſuitas audivit. Quare in hos, quaſi in corruptores omnium ſcientiarum ac præſertim humanioris literaturæ diu fuit & ipſe iniquiſſimo animo. Sed cùm in patriam rediiſſet, cœpiſſetque capere de ipſis experimentum, eos adeo dilexit, ut, quamvis invitis parentibus, qui eum Equitem Hieroſolymitanum aulæ Viennenſi deſtinabant, Societatem ipſam ingreſſus ſit, ſeque in ea votis Religioſis adſtrinxerit. Inter Socios Philoſophus ac Theologus ex Oratoriâ, & nitidâ robuſtâque latinitate maximè præſtitit. Hanc pluribus in gymnaſiis ſummâ cum laude ac celebritate profeſſus eſt. Meâ ætate perſenex, quippe octogenario major, vivebat Romæ circa annum MDCLXXVI., nec diu poſt mortalitatem expleverit, vir doctus & pius, ſed & acerbioris ingenii; qui veniam nemini daret, ſi quid in latinitatem peccaſſet, nec inultum pateretur, ſi quidpiam dixiſſes, quod priſcâ authoritate probari non poſſet. Stylo uſus eſt acri, & peracido, ſolitus in ore habere illud Martialis (2). 1676

At mihi quæ novit pungere Chia ſapit.

Scripſiſſe ſe multa, dicebat, Orationes, Carmina, libros, mihi hæc nota ſunt, recenſenturque, ut præcipua ab Allegambe. Ea ſæpè legi, fateorque, me illa imitari conatum cum adverſus Photianos velitabar.

Liber adverſus Saltationes ſeu Choreas.

Invectiva adverſus corruptores Verbi Dei, eos nimirum; qui ex more ſæculi ſuperioris rem graviſſimam floſculis argutiarum corrumpebant.

At maximè claruit libris editis adverſus Gaſparem Scioppium, qui ſenex Patavii degens inter illos fuit, quorum inſania, meo ſanè judicio, mirabilis ac miſerabilis eſt. Quippè non aliter ſe præſentibus & poſteris commendatum iri putant, quàm per magnorum cœtuum infamiam: ac propterea in hos livoris ungues exacuunt, per fas & nefas horum gloriam extenuant, quidlibet comminiſcuntur; ut non in officinis duntaxat, & Ambubaiarum collegiis, hoc eſt ſectatorum ſuorum inertibus conventiculis, verùm etiam pro roſtris, atque editis libellis adverſus hos dicas moveant, eorumque mores, doctrinamque, atque inſtitutiones reprehendant, reipsâ ſanniones viris prudentibus & ingenuis ridiculi & inepti. Neque enim vident, quod, ſi non cerebrum haberent in occipitio, eſſet illis maniſeſtiſſimum fieri non poſſe, quin ipſi nec magni nominis, nec æternùm victuri, moribus plerumque non optimis præditi, ſemper mediocris, imo verò nullius judicii, ſuccumbant confirmatæ ſæculis famæ, virtuti ac religioni notæ omnibus, doctrinæ tot lucubrationibus in ævum duraturæ, cœtibus denique hominum, quorum gloria perennat in poſteris, exprobratura mendacium, livorem, dementiam, & ignorantiam infelici ac jamdudum elingui maledicentiæ. Horum unus Gaſpar Scioppius, cùm volumen edidiſſet adverſus Societ. Jeſu gymnaſia, gloriatuſque, quod & aliis uſuvenit, militem Alazonem agens ſatis ridiculum, convulſurum ſe Scholas Jeſuitarum, bilem Alberti provocavit, quæ Sociorum modeſtiâ vix retineri potuit, quin hominem ad publicam, quam contra ejus calumnias paraverat ferociſſimam, Bononiæ diſceptationem invitaret. Cùm & à congreſſu ſe ſubduceret Scioppius, & ab habendâ Oratione illâ Majorum imperio Albertus fuiſſet deterritus, quæ oratoriè in papyro hæſerant, tranſtulit ad typos polemicè, editiſque libellis tribus, hos, agente Antonio Card. Barberino, per Satellitem, ad hoc miſſum Patavium, tradi Scioppio publicè coram teſtibus curavit. Libellorum hi tituli celeberrimi ſunt (3).

Generales Societatis Jeſu Vindiciæ ſecundùm innocentiam adverſus famoſos Gaſparis Scioppii libellos data.

Lapis lydius Scioppiani ingenii, Spiritûs, & morum.

Dentiſcalpium, & ſtrigilis adverſus Scioppium.

(1) ad An. 1618. & ſeqq. (2) lib. 7. Epigram. 14. (3) Allegamb. Biblioth. Societ. Jeſu p. 9.

Ferunt, his libris Albertum ita infelicem & maledicum literatorem compeſcuiſſe, ut non coegerit ſolùm tacere, verùm etiam, quod vulgò percrebuit, ex mærore ad mortem adegerit. Brevi enim circa an. MDCXLV. periiſſe dicitur. Memini ego, ſæpe jocantes Socios eum Alberti truci ſemper ingenio, illi objicere ſolitos Scioppianam eamdem. Quibus ille reſpondebat ſeriò, qui nunquam quid jocus eſſet noverat; ſe jure probato, probandoque uſum, ut rei Societatis publicæ factam injuriam ulciſceretur, & ſtricto enſe in maledicentiam probroſi Capitis inſurgeret, eamque conficeret telo veritatis. Quod ſi, ajebat, id vitium ita homini inhæſerat penitus, ut unum idemque cum ipſo eſſet, eoque cæſo, vivere homo non poterat, id non ex mente ſuâ fuiſſe, nec ſe ea, quæ Patres Sanctiſſimi pro veritate tuendâ uſurparunt, executum ullo inde conſcientiæ ſtimulo morderi. Dicta hæc ſunto, ut quiſque diſcat, ſuis unis meritis gloriam quærere, nec alienæ famæ corruptâ vivere quadrâ. Mole ſuâ virtus ſtat, nec aliorum dejectione creſcit: prima hæc eſt ſapientia, ſine quâ ſapientia nulla eſt; ſe ipſum noſcere, ſuis eſſe contentum, nec in aliorum opes invadere.

C A P U T LIII.

Alexander de Rubeis. Helena Lucretia Cornelia.
Nicolaus Bulgari. Jo. Baptiſta Verus.
Xaverius Æmilius Davianus.

1680 CCLV. ALEXANDER DE RUBEIS Zacynthius nobili genere natus Patavii Medicinæ ſe inſtitutionibus excoluit contubernio uſus Jo. Cicalæ Profeſſoris publici (1). Doctoris lauream aſſecutus Medicinam feliciter fecit in patria, ubi deceſſiſſe dicitur an. MDCLXXX. Scripſit ac publici juris eſſe voluit an. MDCLXXI. *Commentarios in I. & II. Sectionem Hippocratis.*

1684 CCLVI. Non eſt fraudandum gymnaſium noſtrum eâ gloriâ, quæ illi à virtute quoque Muliebri provenit. Olim hoc illi decus adſcivit Caſſandra Fidelis Veneta Mulier, de qua multa Tomaſinus (2), & alii: noſtra ætate majus aliquid dedit mira virtus clariſſimæ Virginis HELENÆ LUCRETIÆ CORNELIÆ Joannis Baptiſtæ Cornelii patricii Veneti & D. M. Procuratoris filiæ. A prima ætate ſapientiæ ac religioni ſe planè devovit; atque ita utranque dilexit, ut cùm omnis literaturæ avidiſſima ſemper fuerit, rerum mortalium contemptu ac plenæ pietatis officiis ſexum ad illam aptaverit (3). Poſthabitis virorum principum connubiis, Virginitatem atque inſtitutum D. Benedicti profeſſa eſt votis conceptis ad aram maximam S. Georgii Majoris Venetiis coram Antiſtite Præfecto cœnobii. Indè, quòd mancipaſſet ſe Deo, liberior, ſcientiarum ſibi ad vitæ gloriam & ſecuritatem innocentiæ patrimonium ac tutelam conciliavit. Humanioribus literis imbuta, ſeptem linguarum notitiam ad capeſſendum reliquarum ſcientiarum curriculum in commilitium adſcivit: eaque felicitate in cognitione rerum humanarum ac divinarum verſata eſt, ut in Patavino collegio, præeunte in verba ſacri cœtus Carolo Rinaldino, primæ ſedis Philoſopho, unico poſt hominum memoriam exemplo, lauream ſit ſapientiæ conſecuta, poteſtatemque docendi alios, quæ ipſa multa didicerat. Sed magna brevia eſſe, vetus adagium eſt. Studiis, piiſque afflictationibus attrito corpuſculo poſt annum ætatis XXXVIII. Virgo doctiſſima contabuit an. MDCLXXXIV. IX. Kalen. Sextiles. Sepulta eſt ad S. Juſtinæ in Monachorum conditorio, ut vivens optaverat, mortua merebatur. Extat impoſitum Monumento honorificum tantæ Virginis Elogium (4). Aliud inſcripſere alii ſumptuoſo cenotaphio ad Baſilicam Antonianam: utriuſque dabit exemplar Salomonius (5). Vitam ejus deſcripſit Deza, & alii, geſta laudavit Epigrammatum Centuriâ Lucheſinius. Luſit quoque in ejus funus amicus noſter Clar. Nicolaus Bubullius hoc diſticho Græco, & latino.

Ἐνθάδε κεῖθ' Ἑλένη Κορνηλία ἡ πολύϊστωρ
Ἑπτάγλωσσος ἦν. λοιπὸν ἀείδε φάτις.

Hic Helena Cornara jacet multiſcia Virgo,
Septilinguis erat, cætera fama canet.

Artium

(1) Monumen. Nation. Tranſmarinæ in Collect. Salom. (2) Elog. Tom. 2. p. 343. 358.
(3) ex ejus Elog. Cenotoph. ad Baſil. Ant. apud Salom. Inſcrip. Patav. p. 362. n. 410
(4) Vide Salom. ibid. p. 432. n. 28. (5) loc. cit.

Artium collegium illi numiſma emblematibus ingenioſis diſtinctum excudit, ſacravitque; addidit Maeedo Diſtichon hoc aliud, quod in Paronomaſia dum ludit, frigidiſſimum eſt.

Sole velut Solo celſus lætatur Olympus,
Sic Helene ſolùm jactat ovare Solum.

Simpliciùs hoc Græcè reddidit, apertiùs, elegantiùs idem amicus noſter, & conterraneus Bubullius Græcorum in re Græca doctiſſimus.

Ἠελίῳ μούνῳ ὡς τέρπεται νῦς Ὄλυμπος,
Τὼς καὶ χθὼν μούνῃ γαυριάει Ἑλένῃ.

Edidit Helena hæc pauca.

Colloquium Chriſti cum Anima ex Hiſpanico Idiomate Italicè redditum. *Syllogen Elogiorum, Epiſtolarumque latinarum, & Italicarum*, quas ad viros Principes, Proceresque conſcripſit.

CCLVII. De NICOLAO BULGARI Corcyræo, viro doctiſſimo multa quæſivi intra hoc triennium, quæ in hoc opus conſerrem. Nihil exhibitum eſt. Tantus eſt apud noſtros vel famæ contemptus, vel poſteritatis incuria. Dabo quæ hinc inde colligere potui, excerpta ex opere, quod olim Philologiæ meæ ſepoſui, & opus Annorum inſcripſi. Natus eſt in urbe inſulæ cognomine Corcyra, quæ propugnaculum eſt Adriatici Maris, arx munitiſſima, & nuper à Turcarum impotentia fruſtra tentata. Genus illi clariſſimum, familia inter indigetes vetuſtiſſima, quippe quæ jam ſæculo XIII. eâ Chalcochærerarum affinitate cenſebatur, ex qua Georgius (1) Lipſanon celeberrimum Spiridionis Thaumaturgi è Cyto Corcyram transſtulit, illudque dotis acceſſionem fecit nepti Aſimenæ, quæ nuptiis traducta eſt in Sacra Bulgarorum, quorum propterea, uti patronorum etiamnum jus eſt in ſacrum illud cadaver, templumque, quo magnificè tegitur. Græcis literis apprimè excultus in patria, Latinis verò ſatis Patavium venit, atque hic Philoſophiæ ac Medicinæ operam dedit, ex qua doctor, cùm non obiter etiam Theologiea deguſtaſſet, Corcyram rediit: ubi quoad vixit ſumma celebritate artem Jatricam glorioſè ac feliciter exercuit. Fratrem habuit Chriſtodulum, qui Archipresbyter, Græcis, hoc eſt totius inſulę ſacris ſanctiſſimè præſuit: atque hoc hortatore, quem Phyſicis meditationibus exponendis deſtinaverat, calamum Nicolaus ad Theologica tranſtulit. In illis verſabatur, cum Sponius(2) Corcyram inviſit, conveniteque virum eruditiſſimum, quem ex Theologicâ & Græcè linguæ peritiâ laudat. Quo anno deceſſerit in patriâ, non novimus, nec tamen ante an. MDCLXXXIV. nam triennio ante Catecheſis ejus cudebatur Venetiis. Artemius ex eadem gente Bulgarorum juvenis multiplici ſcientiarum atque artium liberalium cenſu ditiſſimus, diſcipulus olim noſter ob virtutis & inſignis literaturæ præſtantiam dilectiſſimus, quem brevi poſt acceptam hìc laurum Juriſprudentiæ, in flore juventutis extinctum deflevimus, multa per Nicolaum ad Medicinam ſpectantia fuiſſe conſcripta, narrabat. Nobis ignota ſunt penitus. Quæ edita legimus, hæc ſunt. 1684

Sacra Catecheſis, dicata Chriſtodulo maximo Archipresbytero Corcyræ fratri ſuo; egregium, doctum, eruditiſſimum opus vernacula lingua noſtra eleganter conſcriptum, quod olim excerpſimus, ut inde adverſus Calumniatores Græcorum inſurgeremus, probaturi, quod manifeſtiſſimum eſt, Orientalem Eccleſiam ſemper adverſus hæreſes Arctoas pro dogmatibus, quæ profitetur Occidentalis Eccleſia, ſtetiſſe, pro Sacramentis ſcilicet omnibus, pro Sacrificio divinę Liturgiæ, pro Tranſubſtantiatione, aliiſque, quorum hæc tractatio numeroſæ opibus eruditionis, ex recentiſſima Græcia collectis, locuples eſt.

Tractatus de Neceſſariis ad ſalutem, pium ac perutile opuſculum: *Officia ſacra S. Spiridionis, Soſipatri & Jaſonis, Corcyrę Virginis & Martyris, Arſenii Archiepiſcopi Corcyrenſis*. Probabis in his omnia præter Synaxaria, Soſipatri, Jaſonis, & Corcyræ. Hæc enim iis fabulis turpia ſunt, quas in Menæis & Menologiis, unde defluunt, caſtigavimus. Aliqua etiam ab eodem Nicolao Epigrammata Græca conſcripta, & ſparſim edita, vidimus.

CCLVIII. JO. BAPTISTA VERUS, Canonicus Patavinus, humillimo genere, ut vulgo traditur, Bragantiæ in vico Patavinæ diœceſis natus, puer experrectæ indolis, ac vividi ingenii, ob hęc ipſa ab Archipresbytero vici ejuſdem in familiam receptus, altus educatuſque eſt, ac primis tum literarum tum Grammaticę rudimentis imbutus. 1684

(1) Ipſe Bulgar. in Catecheſ. p. 130. (2) Itiner. Tom. 1. p. 125.

Eodem commendante patrocinium invenit apud Marcum Cornelium Pontificem Patavinum, quo curante, humaniori literaturę apud Patres Societatis Jeſu, ac cęteris majoribus diſciplinis in gymnaſio atque artibus operam dedit, fuitque inter pręcipuos Joannis Thuilii diſcipulos teſte Tomaſino (1) Scriptore Synchrono. Marco Pręſule è vivis erepto, Verus jam literis probè inſtructus Romam profectus eſt; inſinuavitque ſe in aulam Barberinam cliens tum Franciſci, tum Antonii Cardinalium, atque horum alterutrius ab Epiſtolis, poteratque eorundem patrocinio ſi minus maxima, magna tamen & multa in magno illo dignitatum emporio ſperare. Sed ei dicacitas, & maledicendi libido multum admodum obſuit. Ea factum, ut Satyrarum, quę ſępe Romanis auribus oculiſque ſummorum obiiciunt Principum crimina, auctor haberetur: id quod ingratum Pontifici, periculoſam homini fecir invidiam, monituſque eſt patronus Veri, ut Roma illum abigeret: quo excuſante, & parere monitis negligente, imperatum ut Verus detruderetur in carcerem. Sed illum juſſi certior factus patronus uno Protonotarii Apoſtolici ſterilíſſimo titulo nobilem ab Urbe dimiſit, cui Patavium regreſſo deinde, rebus in aula Romana compoſitis, Canonicum Sacerdotium in Eccleſia principe obtinuit. In eo diu vixit, inclaruitque apud nos ex Rerum Venetarum hiſtoria, quàm ingenioſè & eleganter conſcripſit. Obiit Patavii an. MDCLXXXIV. ſęculo ęqualis ſenex. Sepultus eſt in templo primario in ſubterraneo, quod ſumptu ſuo exornaverat, ſacello, apud monumentum patroni Marci Cornelii cum epigraphe, quam ſibi vivens appoſuit (2). Ejus, ut diximus, opus egregium eſt *Hiſtoria Veneta* pluries edita, & in ſex libros diſtributa, quibus res Venetorum complectitur ab V. C. & Anno DXXXVI. ad Cretę deditionem & ann. MDCLXIX. cui mantiſſam perbrevem addidit ea aggreſſam, quę feliciter auguſtę Reipublicę contigere, proſecutuſque gnaviter eſt ab an. MDCLXXXIV. ad an. MDCXCII. Joſeph Abbas Scarella, ipſe quoque clarus alumnus gymnaſii (3) noſtri, qui collegii Patavini Theologus, cùm lectus Caprularum Epiſcopus Romam abiiſſet, inſulas de more in curia initurus, ibi meliorem gloriam, quam unicè in votis habuerat, ingenio ac pietate pręlibaverat, meritis auxerat, vir pietate, religione, ac morum ſuavitate clarus, ereptus terris obtinuit, pridie Idus Martii an. MDCIC. ſepultus ad SS. Apoſtolos cum Epigraphe, cujus verba hìc ex parte produximus, ęmulari conatus eſt ſtylum hiſtorię, quam continuat; ſed Veri ſtylus preſſior eſt, gravior, nitidior, planèque Flori ſobrietatem detractis floſculis, non aſſequitur ſolùm, ſed vel ęquat, vel ſuperar.

1687 CCLIX. XAVERIUS ÆMILIUS DAVIANUS nobili genere ortus in Chio inſula Patrum Societatis piâ doctâque inſtitutione mores formavit, ac literas didicit. Patavi trium ſcientiarum potiſſimarum arcanis initiatus ita in re Philoſophica, Theologica, & legali verſatus eſt, ut omnium pramia retulerit unà doctor in tribus, ut quâ earum major ſuerit & inſtructior internoſci minime poſſet, ut Salomonius (4) de illo ſcribit, teſtaturque nobis amicus noſter Nicolaus Bubullius. Theologiam tamen in urbe Creta profeſſus eſt Canonicus Eccleſiæ Cretenſis Theologus. Obſidione urbis Latinis Sacerdotiis planè diſcuſſis, rediit in Italiam, variiſque muneribus ſacris diu perfunctus Bononiam ſeceſſit, ubi à Hieronymo Cardinali Boncompagno Archiepiſcopo Monialium cœnobiis, ac præſertim Parthenoni nobiliſſimo S. Jo. Baptiſtæ præfectus ab exhomologeſibus per annos aliquot ad rerum cœleſtium & Virginitatis amorem ac ſtudium Chriſti Sponſas religioſa efficacitate mitium documentorum deduxit. Inde Latinus Epiſcopus Theraſiæ in Ægæo inſulæ, quam à S. Irene nominant, datus, dum eò navigat, atque interim divino erga navigationis ſocios ardore flagrans, his morbo ſontico laborantibus indeſeſſus miniſter Sacramentorum, & ad ſalutem æternam auſpex, auxilium, ſolatium, ſpem ſedulus præbet, eadem ægritudine afflatus ad Echinadas obiit anno, ut ferunt, MDCLXXXVII. vel ſequenti, ætatis LXIII. Scripſit opus egregium, quod inſcripſit. *Sacra Sponſa in Thalamo ſuo*. Hoc in tres partes diviſerat, quarum pars prior edita eſt, reliquas prælo paratas Auctoris mors inter edenda reliquit. Argumentum operis in ſacris exercitationibus per ſanctimoniales obeundis doctiſſimè verſatur, & utiliſſimè Multa alia opuſcula ejus de rebus ſacris agentia luci publicæ mors importuna ſubduxit, unàque cum illis Diarium Sacrum Anagrammatibus, ac Diſtichis Græcis in Divos ſingulis diebus ab Eccleſia cultos eleganter diſtinctum. Vir fuit reipsâ doctiſſimus, & linguæ inter paucos Græcæ peritiſſimus, quam epigrammatibus candore, & acumine præſtantibus ad priſcam venuſtatem erexit.

CAPUT

(1) Elog. Tom. 2. p. 199. (2) Salom. Inſcript. Pat. p. 19. 20. n. 95.
(3) Salom. ibid. p. 322. ad n. 23. in marg. (4) In Collect. ad An. 1648.

CAPUT LIV.

Arſenius Calludius. Georgius Baglivus. Alexander Maurocordatus. Jacobus Salomonius.

CCLX. ARSENIUS CALLUDIUS Cretenſis Hieromonachus à Geraſimo Ulacho, ut ipſe videtur Sponio (1) ſignificaſſe, avunculo ſuo Græcas li- 1690
teras didicit, fuitque vir ſtrenuus, non in re literariâ ſolùm, verùm etiam in rebus agendis pertractandiſque negotiis. Nam poſt Hilarionem (2) Cicalam præfectus Cottuniano collegio, huic admodum profuit, ſive repellendus fuit Cottunii nepos, qui hæreditati, quam Grecę juventuti erudiendę teſtamento patruus addixerat, inhiabat, ſive depugnandum erat cum Curatoribus hereditatis, quos Commiſſarios appellant, quorum vel ignavia, vel dolus res hereditarias perditum ibat. Id muneris obiens Patavii ſe Gymnaſio noſtro diſcipulum dedit, in eoque prçceptore Theologo è Scoti ſententiâ Theologię operam dedit. Ea ſatis imbutus, nam & Sponius (3) eum doctum Theologum cenſuit, cùm Ulachus Abbas fuiſſet renunciatus cœnobii Corcyrenſis Deiparę Virginis ad Palçopolim, eò ſuppetias laturus preceptori vel avunculo ſeni navigavit, prefuitque ſuburbano templo Corcyrę Divis omnibus ſacro, quod accuratè Sponius deſcribit, notatque ſibi à Calludio quedam opera Damaſceni, & Prochoprodromi fuiſſe propoſita, quę hactenus eſſent anecdota. Poſt annos aliquot rediit Venetias cum Ulacho, quem inſulę Philadelphienſes exceperant, impetrataque ſucceſſione, qua Ulacho in prefectura Palçopolitani cœnobii ſuffectus eſt, Veneti Senatûs beneficio ibi contenuit. Obiiſſe in eâ inſula creditur poſt an. MDCXC. ętat. circiter LXXIII. Scripſit & edidit librum, quo ſacra Hieroſolymorum loca, & peregrinationem ad ea religioſam enarravit curioſè ſatis linguâ grçcâ vernaculâ. Edidit quoque ſparſim epigrammata quędam grçca. Scripſit & habuit Panegyricas orationes multas, & conciones, ex quibus admodum claruit, atque etiamnum non ſine laude memoratur.

CCLXI. Si quem alium pleniore jure hac noſtra ętate accenſere Alumnis ſuis, de- 1706
que eo gloriari licet gymnaſio noſtro, is eſt GEORGIUS BAGLIVUS Aletienſis ex urbe clara Salentinorum ſub Archiepiſcopo Hydruntino. Patavii ſtuduit (4), Patavii ad præmia titulosque Doctoris evaſit ſummâ cum laude: hìc quoque praxim Iatricam didicit. Romam profectus, ibi celeberrimus Medicus fuit, Profeſſorque, & Anatomes Adminiſter in Romano archilycæo; tanti verò in Urbe nominis, ut illi famæ præproperus favor, atque artis felicitas exitio fuerint. Nam cùm expetitus ab omnibus, eos ſibi undequaque labores conciliaſſet, quos exantlare minimè poſſet, nec vellet deſerere, iiſdem brevi ſuccubuit triginta & octo annos natus, ſæculi noſtri XVIII. ſexto; ſepultuſque eſt ad S. Marcelli in Hippodromo, vir planè in re Medicâ maximus. Quæ enim ſcripſit à Medicis Tranſalpinis maximi fiunt, editaque ſunt pluries; imò & in varias linguas translata. Quanti habendus ſit, & habeatur, comprobant ſatis, præſertim ex Canonibus Sanctorianæ Staticæ additis munitiſque doctiſſima præfatione ad Senatorem ampliſſimum Jo. Franciſcum Maurocenum Equitem, & tunc Romę Venetum Oratorem. Hi Baglivo Canones immortale apud Gentes exteras nomen comparavere, quo Romanus Hippocrates appelletur. Reliquit multa non edita, atque illud præ reliquis *de Morborum Succeſſionibus* Opus in tres Tomos diſtributum, quod expetitum à viris doctiſſimis, expectatumque, fortè, dum hæc ſcribimus, publicam lucem aſpexit, vel certè adſpiciendæ ſit proximum.

CCLXII. ALEXANDRUM MAUROCORDATUM Grçciæ noſtrę decus eximium, 1709
Chio, ut ferunt (5), oriundum, nobiliſſimâ matre, & ex priſcis patriciiſque majoribus edidit urbs regia Orientis Byzantium. Primum Romæ aliquandiu ſtuduit in urbano Græcorum Collegio, unde Patavium venit, atque in gymnaſio noſtro bonis artibus innutritus eſt. Medicinæ peculiariùs operam dedit: claruitque inter Patavinos diſcipulos, ſi quis unquam alius, maximè tum ex eo, quòd ingenio præſtaret cæteris, tum quòd ad dicendum ex tempore præ reliquis aptus, miraculo ſemper fuit: tunc præſertim, cùm, Oratore, cui Studiorum inauguratio fuerat demandata, repentinâ ægritudine impedito, ipſe exoratus precibus Pro-Rectoris, & dictavit ex tempore orationem, quæ poſtridie ad typos prodiret, & aliam ipſe pro roſtris in æde Patavinâ primariâ habuit,

ingenti

(1) Itiner. Tom. 1. p. 125. (2) Salom. in Collect. (3) ibid. p. 127.
(4) ex Relat. à U. C. Nicol. Bubulto. & Monum. Gymn. (5) Salom. in Miſcell. ad Gymn.

ingenti cum admiratione diſcipulorum, Profeſſorumque. Sed juveoi Græci vigor ingenii, naturæqoe & indolis fervor cùm ſupereſſet, non defuit elati nimis impetus animi, ex quo reprehenditur à Salomonio(1), quamvis amico, &, ut ipſe gloriatur, Magiſtro(2). Ferox, rixoſus ac pertinax, fovere ſeditiones, hiſque ſe primipilum præbere ſolitus, tandem decreto publico meruit exilium, jam proximus reportandis doctrinæ præmiis. Ergo profectus Bononiam, intra brevem paucorum dierum periodum, quam hic diu ſibi comparaverat, laurum retulit; rediitque Byzaotium, ubi feliciter adeo Medicinam fecit, atque interim addiſcendis exoticis linguis idoneam ad quælibet mentem addixit, ut Medicus Turcarum Imperatoris, vivo Panhagite deſignatus, hoc mortuo, ad ſupremam, quę in aula Turcicâ una Chriſtianis patet, ſummi Othomanicæ Majeſtatis interpretis dignitatem fuerit adſumptus. Quid, quantaque hoc hoore ac munere maximo per annos fermè quadraginta fuoctus, difficillimis temporibus egerit, quantâque, & quàm felici ſedulitate ac prudentiâ raro tutas ac diuturnas apud barbaros dignitates ſibi ac poſteris comparaverit, protuleritque, dicent communes hiſtoriæ, actaque ſancitæ Carolovitii pacis; & alioqui miræ vir dexteritatis & ſapientiæ ita ſe geſſit, ut in difficillimo Munere, aleæque pleno periculoſæ conſenuerit, ac filiis ſuis eadem decora, atque etiam majora meruerit poſt mortem, quam obiit Conſtantinopoli poſt annum quadrageſimum exhibiti Imperio Orientis Miniſterii anoo MDCCIX. Edidit vixdum laureâ receptâ Bononiæ librum inſcriptum: *Pneumaticum Inſtrumentum*, ſive de uſu Pulmonum, & reſpitatione ex Sanguinis Circulatione. Hoc ille dicavit Magno Etruriæ Duci, quod pro virili niſus eſt abolere. Extat attamen, volentibus Divis, pluries recuſum typis Belgicis & Germanicis, citaturque per Bartholinum, & alios.

Sacram Hiſtoriam Græcè ſcripſit, quàm Typi Dacici vulgarunt Bucureſtii A. MDCCXVI. præfixa funebri Oratione Jacobi.

Tomos tres Hiſtoria Romana, quos jure dixetis locupletiſſimum doctrinæ & eruditionis promptuarium.

Commentarios Philoſophicos & Rhetoricos, *Epiſtolas, & Tractationes Politicas*, queis adde Orationem eloquentiſſimam ad Germanos de Pace.

Hæc ſunt, quæ oobis inootuere Alexaodri Maurocordati opera: hiſque plura fortaſſis lateant in pluteis præclaræ familię, ac filiorum ejus, quos inter claret, clarebitque diu (quod Superis placeat) Joannes Nicolaus Alexaoder Moldaviæ olim, nunc Vallachiæ Princeps pius, clemens, largus, munificus, & quod rarum in Principatu, doctiſſimus, ſive Orieotalium linguarum, Græcæque & Latinæ plenam ac numeris abſolutam omnibus ootitiam ſpectes, ſive cooſideres opes eruditionis immenſæ, variamque & effuſam rerum divinarum humanarumque ſcieotiam, quam legentibus objicit liber ejus *de Officiis* editus Bucureſtii A. MDCCXIX.

1710 CCLXIII. Debet admodum hæc hiſtoria JACOBO SALOMONIO; cui propterea vices hìc reddit, & grates profitetur ampliſſimas ob ea, quæ plurima ſummâ & induſtriâ & diligentia collegit laborioſè & utiliter, ac nobis & vivens & moriens reliquit utenda fruenda, atque ad hoc ipſum opus, cujus aſpicimus finem è proximo, conſerenda. Hæc ut ingenuè profitemur, nobis plurimum profuêre, multumque ingeſſere lucis collectione priſcarum inſcriptionum gymoaſii, Miſcellaneis indicibus Alborum ad varias natiooes ſcholaſticas pertinentium, excerptiſque peculiarium notularum ex aulâ Quæſtoriâ: quibus in unum coacervandis, congerendiſque, vix otioſus cujuſquam calamus, nedum noſter, in aliis & gravioribus occupatus, ſuffeciſſet. Atque utinam hæc ipſa, quæ nobis amantiſſimè tradidit, ordo aliquis explicaſſet ac ſeries, quæ perturbationem rerum incondiram, permiſtiooemque penitus indigeſtam, & paſſim obviam, vel quadantenus arcuiſſet, eſſet, ut nos majoris operis illuſtrius argumentum apud poſteros commendaret. Verùm vir bonus, & ſimplex, dum ordinis ubique ſecurus, non quò ſcriberet, ſed quid ſcriberet, penſitat; quæque notat paginis rejectaneis committit, tegminibuſque literarum, hoc ipſum, pro quo illi gratias agimus, munus laborioſiſſimum nobis fecit, nec raró etiam inutile. Natus (3) eſt io urbe Cretæ Metropoli A. MDCXXVI. nobili Salomoniorum Colonico genere. Annorum quindecim ad D. Dominici Ordinem ingreſſus, Religioſum PP. Prædicatorum inſtitutum profeſſus eſt in urbano D. Petri cœnobio. Bello Cretenſi, cum Turcarum (4) claſſis exſceoſionem feciſſet in inſula, moxque Cydone deditâ, captâ Rhethymnâ, ingentique clade deletis ad Meſſaræam Cretenſium copiis, res eſſent io aneipiti, Jacobus prætextu ſtudiorum io Italiam venit, receptuſque in familiam Patavini ad S. Auguſtioum cœnobii, hìc deioceps & Alumnum ſe

(1) ibid. pecul. annotat. (2) in Append. Inſcrip. p. 87. in Margine. (3) ipſe de ſe in Collect. ad Gymn.
(4) intra An. 1645. & 1647

ſe noſtri gymnaſii præſtitit, & adoptione ſe Patavinum (1) dixit: Emenſus ſcientiarum curriculum doctor Theologus, in Theologorum collegium cooptatus, & Magiſter in Ordine ſuo, hujus muneribus, & honoribus ſunctus eſt, ſi quis alius, ſanctiſſimè, religioſiſſimè, atque etiam utiliter. Quippe vir doctus, & pius morum integritate præluxit ſociis, quæſtu laboribus concionandi docendique parato Ædificia cœnobii (2) ſui reſtituit, auxit, multa ab illis arcuit incommoda; Templum ipſum pro virili exornavit, ornandumve curavit, certè feneſtris ære ſuo apertis fecit illuſtrius. Theologus Pontificum Patavinorum Georgii Cornelii ſenioris, Cardinalium venerabilis Georgii Barbadici, & Georgii Cornelii junioris unà in variis religioſorum cœtuum collegiis Theologiam docuit; atque interim rerum & antiquitatum Patavinatum indagator curioſiſſimus id egit toto vitæ tempore, ut quæcunque ad hoc ipſum ex editis & MSS. hiſtoriis & inſcriptionibus tabulariis & monumentis privatis ac publicis homo apud omnes gratioſus decerpere potuit, in cenſum ſuæ eruditionis conferret. Jam ſenex, cùm pecunia ſuppeteret, eamque, uti ſæpe mihi dicebat, ſibi ſuperſtitem nollet, eò flexit animum, ut collecta ordinaret, in titulos certos redigeret, ederetque, quò poſſent bono eſſe poſteritati. A me amiciſſimo & conterraneo, & ex vicinia proximæ habitationis ad quotidiana colloquia parato ſuppetias poſtulavit: præſtitique quod potui, atque ſeni cariſſimo, ut ut moroſo ac moleſto, nullus defui, ſive illuſtranda fuere aliqua, ſive alia notanda, omittenda alia, ſive præfandum erat operibus, ſive etiam ea erant dicanda viris Principibus; quod ipſe non ſemel fatetur ingenuè (3) ac peramanter.

Ergo edidit.

Inſcriptiones Agri Patavini ſacras & profanas, adſcitis in eandem operam iis, quas Tomaſinus jejunè ſatis vulgaverat.

Inſcriptiones itidem Sacras & Profanas Urbis Patavinæ: quo Opere editas à Tomaſino recenſuit, emendavit, notiſque ad marginem adjectis expoſuit, auxit verò recentioribus appoſitis, quæ ab an. MDCLIV. lucem publicam aſpexere. Opus utrunque doctiſſimorum Virorum commendationem in Actis Lipſienſibus (4) meruit, de qua bonus ſenex paſſim gloriabatur.

Appendicem operi utrique addidit non lectas ad eam diem inſcriptiones tum Agri tum Urbis complexam, præfixitque citra propoſitum Corneliorum Antiſtitum, qui ſacris Patavinis hactenus præfuere, ſatis amplum & eruditum Catalogum, mox & inſcriptiones gymnaſticas recentiores, quarum tamen non paucæ hæſerunt in ſpongiâ, dum vir optimus properat, quæ utcunque ordinaverat edere ante obitum, qui illi religioſiſſimus & pacatiſſimus obtigit Nonis Februarii an. MDCCX. ætatis LXXXIV.

C A P U T LV.

Paulus Naldinus. Michael Angelus Farolfus. Jacobus Pilarinus.

CCLXIV. PAULUS NALDINUS, quo olim Epiſcopo Juſtinopolitano familiariſſimè uſus ſum, Patavii genere plebejo natus ſcientiarum, quas in patrio gymnaſio ſedulus publicarum prælectionum auditor excoluit, gloriam auxit innocentiâ vitę, morum integritate, pietatis impenſiſſimo ſtudio, quo ductus nondum adoleſcentiam egreſſus ſacrum Eremitarum inſtitutum profeſſus eſt, claruitque in eo Monachorum ordine tum iiſdem religioſis virtutibus, tum verò maximè doctrinâ, & in rebus agendis dexteritate. Ex his Theologus non contemnendi nominis, Magiſtri non umbratile nomen, nec ambitu quęſitum, ſed meritò apud ſuos obtinuit, functuſque omnibus & muneribus, & honoribus Ordinis ſui ad infulas Juſtinopolitanas provectus eſt circa an. MDCLXXXVI. 1713
Has gerebat, me etiam agente in illa urbe Hiſtrorum Metropoli nobiliſſimâ, quam ego loco patrię à nativa ſecundę habeo, & quoad vivam habebo, quippe ibi gymnaſii Pręſes pręclariſſimorum civium gratiam, & ſtudium uſque ad delicias expertus, quibus nunquam ſatis vices rependero. Pręfuit his Naldinus ex opinione doctrinę ac probitatis venerabilis omnibus, at non omnibus gratus. Vir etenim parcus, auſterus, difficilis ex iis erat, qui non meminerunt verborum Apoſtoli docentis Antiſtites omnibus omnia fieri, ut omnes Chriſto lucrentur. Obiit in Eccleſia ſua an. MDCCXIII. Scripſit & edidit *Eccleſiaſticam Topographiam Diœceſis Juſtinopolitanę* accuratiſſimam, quam tamen ſępè reprehendunt Additiones (5) Ughelli.

CCLXV.

(1) in fonte librorum ſuorum. (2) Vid. Inſcript. Pat. p. 41. in marg. p. 91. poſt n. 180. p. 97. poſt n. 304. p. 99. n. 310. (3) Inſcrip. Pat. Præfat. in fine. Ibid. p. 524. poſt n. 9. in Append. p. 38. n. 81. (4) Tom. 3. Sect. 4. p. 171. Vid. Append. p. 8. 109. (5) Tom. 5. in ſerie Juſtinopol. & Hiſt. Epiſcop.

1715 CCLXV. MICHAEL ANGELUS FAROLFUS Epiſcopus Tragurienſis ex Ordine Minoritarum, quos appellant de Obſervantia, honeſtâ gente oriundus Rhethymnâ Chandace in urbe Cretæ Metropoli natus eſt, unde illi Cretenſis agnomen ex more ſui Ordinis. Puer ab obſeſsâ patriâ, ante noſtræ gentis excidium Venetias venit; ibique adoleſcens D. Franciſci Sacrum inſtitutum profeſſus eſt. Juvenis pervenuſtæ, ſed & experrectæ ac vividæ ind lis & ingenii ad maxima capeſſenda parati ſtudiorum causâ commeavit Patavium; exceptuſque in familiaritatem ac diſciplinam peculiariùs à Frańciſco Macedo publico Profeſſore celeberrimo, hoc Magiſtro ac inſtitutore amantiſſimo Scientiarum omnium grande curriculum emenſus eſt. Romam deinde profectus, paulatim virtute ac ſapientia duce, nec adverſante fortunâ, ad dignitates Ordinis aſſurrexit, gradatimque in omnibus magnâ cum laude verſatus eſt, unâ supremâ exceptâ, quam ne conſequeretur in comitiis Hiſpanicis, peregrinitas obſtitit. Exinde majoribus titulis inter ſuos ornatus ſummam apud illos, paremque ſupremæ ſemper auctoritatem obtinuit; ſpectanduſque in aulâ Romanâ, iis ſacris cœtibus adſcriptus eſt, quibus ad graviora conſilia virtus, doctrina, prudentia religioſorum hominum adhibetur. Cariſſimus Alexandro VIII. Pontificii Concionatoris officium biennio tenuit, claruitque in cœtu Purpuratorum præco verbi Divini tanti à Pontifice habitus, ut eum iis dignitatibus cumulaverit, quæ nonniſi præcipuis in curiâ Romanâ Præſulibus conceduntur. Majora ſperabat à Clemente XI. cujus nondum Pontificis amiciſſimus fuerat. At neque ſpei reſpondit res, & arrepta occaſione, quâ minimè placuit Curiæ Farolſus, ſpecie honoris ab Urbe receſſit. Agebatur de Sacris Divorum honoribus ſanciendis B. Jacobo è Piceno viro Franciſcanæ familiæ Sanctiſſimo: atque huic operi procurando Farolſus præerat. Sed opponebatur recens repertus Dialogus B. Jacobi nomine inſcriptus; iſque in illo cum Fraticellis depugnans, hæretico diſceptanti, atque aſſerenti, multos Romanorum Pontificum in infidelitate deceſſiſſe, hoc ipſum videbatur concedere. Id porro cum piaculum ſit, ſuſpectam faciebat Jacobi doctrinam, eumque protinus abigebat Divorum catalogo, quamvis à Magna Metropoli Neapolitana ut patronus ſolemni quotannis ritu colatur. Data cura Farolſo eſt, ut objecto crimini vel errori de ſcripto ſatisfaceret: ſive id petebant Ordinis proceres, ſive ut Farolſus mihi affirmatè non ſemel aſſeruit, idipſum juſſerat Pontifex. Præſtitit vir doctus quod petebatur, jubebaturve tomis tribus conſcriptis; atque in his hæc omnia comprobavit luculentiſſimè, ſtylo quidem Scholaſtico, ſed erudito. Primum quidem, Dialogum illum pſeudepigraphon eſſe, certè non poſſe apertè conſtitui, rude illud opuſculum tribuendum eſſe Beato Jacobo. Secundum, ut probetur eſſe germanum opus Jacobi, reſponſione illa non concedi Fraticellis quod aſſumebant, ſed dari, ſeu omitti, quaſi rei, de qua diſceptabatur, inutile. Tertium, ſi recipias poſitionem illam à Jacobo conſtitui, nil id obfuturum doctrinæ ejus, quippe illam ſententiam ævo Jacobi fuiſſe receptam ferè à Theologis omnibus, probatamque citra omnem falſi dogmatis ſuſpicionem: id quod Farolſus conſtituebat plurimorum Doctorum effatis, quò unà ſanciret, non poſſe vitio verti Jacobi doctrinæ, ſi ſententiæ communi utcunque ſubſcripſiſſet. Denique his pro corollario addebat, eam ſententiam neque ullâ unquam Eccleſiæ lege proſcribi, & noſtra ætate à plurimis approbari, quos nominabat, atque inter eos Cardinalem à Laurea Theologum præſtantiſſimum, & Sfondratum itidem Cardinalem ſcriptis adverſus hæreticos Orthodoxæ Eccleſiæ memorabilem. Hos tomos nondum luci publicæ expoſitos cùm ad Eminentiſſimum Principem Cardinalem Cornelium Antiſtitem Patavinum tranſmiſiſſet, ut lectos mihi traderet, meâ cenſurâ probandos, caſtigandoſque, legi, ad veritatis trutinam revocavi, reſcripſi nihil in illis non ſanum, non certum, non cauſæ, qua de agebatur, proficuum, at nec minus placiturum iis, ad quos ſcribebatur. Amamus quæ ſcripſimus, ut filios noſtros; Viro prudentiſſimo importunus hic amor non mediocriter obſuit. Quæ ſcripſerat publici juris facta diſplicuere citra notam: eorum nulla eſt habita ratio: hæſit Jacobi cauſa, ac dilata prorſus emarcuit: Tomorum Scriptori data eſt Epiſcopi dignitas, qua mitteretur ad Dalmatas. Vixit in Tragurienſi Pontificatu triennio, deceſſitque ſexagenario major an. MDCCXV. pridie idus Martii nulli fortaſſe magis, quàm mihi flebilis, quippe amicorum inter paucos præcipuus, amantiſſimus Græciæ ſuæ, ejuſque decus eximium, tantæque & probitatis & ſapientiæ, & ex utraque cum prudentiæ, tum dexteritatis, ut certè, ſi fas ulli Græcorum fuit ætate noſtra ſperare virtutis præmium aliquod, huic uni ſperandum fuerit ex merito. Scripſit multa, quorum nobis olim catalogum dederat noſtris Miſcellaneis attexendum: verùm is vel excidit penitùs, vel in confuſa Scriptorum noſtrorum congerie latet: omnino hæc ſcribenti præſto non eſt. Dabo quæ legere licuit pauca.

Conciones

Conciones Tomis duobus expoſitas, habitaſque, vel habendas in Pontificio Sacello.

Synopſin eorum, quæ ad Græcorum cum Latinis controverſias pertinent.

Confirmationem Scholaſtico-Dogmaticam Aſſertionis à Nicolao Comneno Papadopoli propoſitæ, qua firmatur, ut plerique in Eccleſia Orientali à veritate deſciverint, Orientalem Eccleſiam nihil unquam adverſus Orthodoxam veritatem communi ſuffragio ſanxiſſe.

Theſes Theologicas ampliſſimè datis rationibus conſtitutas ac propugnatas Romæ in Comitiis Generalibus.

Tomos III. pro Canonizatione B. Jacobi de Marchia objectum ei unicum diluentes, quorum hic proximè dedimus argumenta, & habemus in Miſcellaneis noſtris excerptam Epitomen.

CCLXVI. JACOBUM PILARINUM nob. Cephalenum Medicum Græciæ, Aſię, 1718
Syriæ, & Ægypto, atque etiam Dacis, & Moſchis notiſſimum, poſtremum Alumnorum ſuorum morientem Patavium vidit an. MDCCXVIII. quo ſexageſimum ætatis annum peregerat. Is, ut ipſe narrabat, diu bonis artibus innutritus, in hoc noſtro gymnaſio, à lauro Jatrica recepta cùm redibat in Græciam, patre eum in patriam evocante, illectus pollicitationibus à Mercatore propoſitis navigavit in Cretam; atque in ea inſula primum artis experimentum dedit feliciter, nec ſine lucro. Hoc munitus, ex ingenio Ulyſſis Conterranei peregrinationum ſtudioſiſſimus, Conſtantinopolim profectus nomen ſibi fecit eximium, quo commendatus cùm in Syriam à Turca Provincię Pręſide fuiſſet deductus, Chalybone, quę olim Berrhœa, vel Hierapolis, nunc Alepum dicitur, Medicinam fecit, indeque peregrinatus in Ægyptum eruditionis gratia venit Alexandriam, unde remeavit in Aſiam, ac Smyrnę per annos aliquot Veneti Conſulis munus geſſit, clarus ubique praxis Medicę gloriâ & curationum felicitate. Secundùm hęc fuit in Dacia, Principiſque ſanitati præfuit Archiatrus, donec illum majorum ſpes evocavit ad Moſchos, apud quos diu fuit, ſibique opes quæſivit non contemnendas, quas certè multum admodum auxiſſet, & honoribus cumulaſſet, ni eum gentis barbaries, quam nondum initum cum Nationibus exteris commercium eicuraverat, adegiſſet tutiora reſpicere. Ergo retinentibus pollicitus jurejurando reditum, Conſtantinopolim regreſſus eſt, mox & Smyrnam iterum navigavit, eodemque, quo prius Conſulis munere aliquandiu functus, tandem Venetias receſſit, ubi partis tanto labore divitiis in otio literario frueretur. Jamque codicibus optimis inſtructiſſimam ſibi bibliothecam paraverat, multaque ſcribebat poſteritati Jatricæ profutura, cùm eum nondum ſenem dirus Hydrops invaſit: quem ubi peritiſſimus Medicus immedicabilem comperit, Patavium rediit ſpecie quidem quęrentis remedium morbo, quo corpuſculum laborabat, reverà ut expenſis Photianorum dogmatibus, veritatem, in qua anceps verſabatur, agnoſceret, & in veritate, quam utraque Eccleſia, vera ſcilicet Orientalis Gręca & Latina profitetur, mortem quam ſibi proximam videbat, obiret. Mecum quotidiana colloquia vir doctus & pius habuit, tandemque deprehendit, ſi ſtemus Patrum effatis, ſi Traditioni, ſi verbis, queis perpetuò Gręci utimur, dum publicè privatimque Deo fundimus preces, vix ſine manifeſta dementia negari poſſe, quin Spiritus Sanctus, quem ut Patris ita & Filii Spiritum dicimus, credimus, prędicamus, à Filio cujus Spiritus eſt, ex Filio vel per Filium ſempiternè ſit, & procedat. Qui enim Spiritus ejus ſit, à quo non eſt nec ſpiratur? aut qui ſit & ſpiretur ab eo, quin ab eodem, à quo eſt & ſpiratur, procedat? Divino Spiritu, cujus cauſa agebatur adverſus [illegible] Photianos, afflante, ſuccubuit vir ſapiens, manuſque dedit, ac profeſſus hanc apud me certiſſimam veritatem, in fide verę Orientalis Eccleſiæ, & Sacramentis Occidentali ritu peractis, inter Latinorum Sacerdotum preces & ſacra ſubſidia, utriuſque Eccleſię, hoc eſt unius Catholicę & Apoſtolicę filius, animam poſuit, ſepultus ad D. Franciſci cum Epitaphio, quod inſcribendum ejus Monumento curavimus. Edita ſunt hęc ejus opuſcula.

Nova & tuta Methodus Variolam excitandi per Tranſplantationem. latinè.

Medicina defenſa ad eludendas calumnias excitatas libro Inſcripto Mundus deceptus à falſis Medicis. Italicè, cum Prętatione prolixa de Origine & utilitate Medicinę.

CAPUT LVI.

Omiſſorum Notitia,

CCLXVII. QUæ pauca in hac parte operis nomina clarorum Gymnaſii noſtri Alumnorum omiſimus, vel properantibus exciderunt, vel ad hunc locum relata ſunt, quòd nondum nobis emortualis eorum annus, quem ſaltem conjecturâ aliquâ ſignaremus, innotuerat, Ne quis id vitio vel incuriæ vertat labori noſtro, ſi quæ vel ſera recordatio propoſuit, vel caſu lux quæpiam affulgens alicundè poſt hæc ſcripta aliud agentibus obtulit, ea damus, plura daturi ſi aut imperio Majorum obſequi feſtinantibus tempus ſupereſſet, aut adeſſet Nomenclator aliquis, quo monente in re difficili, perplexâ, & ſi fas ita loqui prope infinitâ immorati diutiùs effuſiùſque liceret.

1571 HIPPOLYTUS ATESTINUS junior Cardinalis ſenioris nepos, Alfonſi Ferrariæ Ducis & Lucretiæ Borgiæ filius, biennio Patavii eximii ſpiritus adoleſcentulus bonis artibus operam dedit, ſeque albo Diſcipulorum voluit inſcribi, ut annotat Porcellinus Anctor æqualis doctor & Eques (1), qui eidem Hippolyto ad obſequia & cultum publico civitatis Patavinæ decreto, ſe comitem datum affirmat, Revocatus Ferrariam annorum octodecim adoleſcens miſſus in Galliam eſt, verſatuſque in aula Franciſci I. & Henrici II. quibus affinitate conjungebatur, florem ætatis aluit Gallicarum Eccleſiarum adminiſtrationibus, titulisque Sacerdotiorum, quorum numerum & nomina vix extricat Oldoini curioſior hiſtoria (2), His acceſſit Romana Purpura illi conceſſa Franciſci Regis precibus à Paulo III. anno MDXXXIX., quo annum ætatis agebat XXX. Diaconus primùm Cardinalis S. Mariæ in Aquiro, mox Presbyter S. Mariæ Novæ nuncupatus, eidem titulo præfuit ad obitum uſque, quamvis in eum titulos alios Ciacconius congerat. An. MDXLIV. Venetias venit ad fœdus Gallicum cum Venetis feriendum, quo ſancito Romam regreſſus eſt, ut Franciſco Rege poſtulante, hujus gener Horatius Farneſius Parmæ præficeretur. Ferrarienſis deinde Pontifex à Julio III. renunciatus eſt an. MDL., diuque laboravit, ut à ſubirato Gallis Julio abeundi in Galliam veniam impetraret; inde in Italiam poſt annum remeavit, inviſâque Ferrariâ Senas abiit, quæ ſe Gallorum Regi ſubjecerant; præfuitque illi urbi fortiter uſque ad adventum Petri Strozzii, ſub quo tandem Senenſis Reſpublica periit. At Hippolytus à Pio IV. auctus legatione ejus Etruriæ regionis, quæ D. Petri Patrimonium appellatur, Legatus à Latere miſſus & ad Regem Romanorum pro pace; unde translatus in Galliam juſſus eſt eodem ibi munere fungi, ac vexatæ ob hæreſes varias genti conſulere. In Galliâ hæſit diutiùs, meruitque quorundam improbationem, ac religioſioris aulæ querelas, quòd ſectæ damnatæ viro concionanti in Purpurâ præſens interfuiſſet. Sed criminationem iniquam ille ſanctiſſimè diluit datâ ad Agapitum Bellhomum Romanum Epiſcopum Caſertinum Epiſtola (3), ex qua doctè defenditur à Sfortia Card. Pallavicino (4): citaturque in Addit. Ughelli (5). Romam è Gallia redux, præfuit iterum legatus Patrimonio, eamque dignitatem obiit magnificè; in Urbe verò virtutum omnium ornamentis enituit, largitate præſertim in pauperes, & impenſiſſimo patrocinio Eruditorum hominum omnium ſui temporis, Pauli Manucii, M. Antonii Mureti, Cœlii Calcagnini, aliorumque, quorum præconiis cum in vita, tum poſt obitum celebratur. Deceſſit in Urbe IV. Nonas Decembris anno MDLXXI. cùm nondum ætatis LXIII. attigiſſet. Ejus corpus compoſitum ad S. Caterinam de Roſa, cujus Monialibus vivens patrocinium impenderat, translatum eſt Tybur, ubi magnificentiſſimè regio planè ſumptu Villam ædificaverat. Ibi ad D. Franciſci jacet ſub hac Epigraphe.

Hippolyto & Aloyſio Principibus Ateſtinis
S. R. E. Cardinalibus
Cæſar Ateſtinus Marchio Patruo, &
Patrueli bene de ſe Merentibus P.
MDXCVII.

CCLXVIII.

(1) Præfat. in not. ad Matric. & ad An. 1525. 1526. (2) Tom. 3. p. 630.
(3) extat inter Epiſt. Principum. (4) in Hiſt. Concil. Trident.
(5) Tom. 6. p. 403. n. 37.

CCLXVIII. JOANNES FINETTUS Venetus (1), eas, quibus claruit, diſciplinas Philoſophiam, Matheſim ac Juriſprudentiam, in hoc noſtro gymnaſio didicit, unde laureatus doctor prodiit ad utilitatem Reipublicæ. Huic enim creberrimè militavit Prætorum Adſeſſor integerrimus, patronus cauſarum celeberrimi ſuo tempore nominis, lucri verò, ſi famæ credimus, immenſi, quo magnificè uſus dicitur, liberaliter ac ſumptuosè. Scripſit plurima præſertim in jure, quorum unum dumtaxat vidimus editum inſcriptumque *Calami diſcurſus & curſus*: opus laborioſum, jucundum, elegans, & profundiſſimæ eruditionis ærarium. Octogenario major Senatuſconſulto à dicendis cauſis vacare juſſus eſt, & ad corrigendas Venetas leges, ſenilem calami prudentiam convertere, Adjecti laboraturo amanuenſes duo, qui recenſionem exciperent, ſtipendiumque ipſi decretum aureorum mille. Operi videtur immortuus non diu poſt, circa an. MDLXXXIII. 1583

CCLXIX. LAURENTIUS GAMBARA patriciusne Brixienſis fuerit ex illuſtri Gambararum familia, an aliunde hoc agnomine cenſeretur, nec ſcimus, nec decernere poſſumus, cùm Scriptor æqualis Octavius Rubeus, & concivis neſcio quid muſſitet (2), quo prorſus abigitur à tanta gloria natalium, & alioqui in albis Quæſtoriis inter domeſticos comites Martinengorum (3), Avogadrorum, Capreolorumque, qui ſe catalogis diſcipulorum noſtrorum adſcripſerant, numeratur. Studuiſſe proinde illum Patavii certum ex his eſt; ipſeque ſe diſcipulum profitetur Petri Pauli Pariſii (4), Romuli Amaſæi, & Veronenſis Donati. Redux in patriam Muſas inter paucos amavit, ſcripſitque carmina multa, & quidem amatoria plerunque, ex quibus licet non magni fiat à Rubeo (5), claruit atramen in familia Poetarum non ſine gloria. Nam & Lilius Gregorius Gyraldus hunc inter Poetas ſui temporis præcipuos nominat (6), & P. Manucius Poetarum præſtantiſſimum aſſerit (7), idque conſtitutum exiſtimat ſuffragio quoque illorum omnium, quos ea ætate doctorum virorum natio poetas optimos oſtentabat. Sed illum circa annum ætatis quinquageſimum laſcivorum, quæ conſcripſerat, carminum pœnituit, atque ut refert Poſſevinus (8), convocatis amicis, his coram, quæ literatorum reſpublica expectabat, lectiſſimarum Muſarum cimelia vir pius & fortis Vulcano tradidit. Inde ſumptis Sacrorum initiis Romam profectus, diu inter domeſticos fuit Alexandri Farneſii, maximi per ea tempora doctorum hominum Mecænatis. Ibi ſtatim edidit caſtiſſimum illud opuſculum, quo eleganter & eruditè docuit, quis Chriſtianarum Muſarum ſit uſus; ſimul probavit, extra rerum Sacrarum argumenta vatis Chriſtiani ſi carmina ſpatientur, piaculum fore, ipſi Poetices inſtituto deteſtabile. Vulgavit deinde *Columbeidem*, ſive Poema, de Orbe Terrarum novo per Columbum invento, quod eâ elegantiâ, nitore, & majeſtate carminis conſcriptum videri potuit, ut ab Eruditis hominibus ſeculo XVI., candori ſtyli dumtaxat adſtupentibus, miros plauſus extorſerit, eoque lecto bonus Grammaticus Paulus Manutius exclamaverit (9), 1586

Cedite Romani Scriptores, cedite Graii.

Sed Romani Graiique Scriptores vivunt, candor ille exſuccus, & inficetus jamdudum interiit. Scripſit quoque *Venatorias Eclogas*, quę publici juris factę maximi habitę ſunt. Præter hæc ejus ſunt opera typis excuſa.

Rerum Sacrarum libri III.
Bionis & Moſchi Bucolica.
Carmina Poetriarum novem.
Lyricorum Alcmani, Ibyci, Steſichori, Anacreontis, &c.
Elegia Tyrtai, & Mimnermi carmine expreſſa.
Volumen Carminum.

Mortuus eſt Romæ an. MDLXXXVI. ætatis XC. jacet in templo D. Laurentii, ut ex Thuano conficit Teiſſerus.

CCLXX. ZARIUS JOANNES ZAMOSCHIUS Magnus Polonorum Archiſtrategus, 1605
ſupremuſque Chartophylax ſeu Cancellarius Regni Sarmatici, magnum quoque decus eſt gymnaſii noſtri. Natus patre Stanislao Toparcha Caſtelli Chelmenſis militiæ claro, & regio Senatore, poſt tyrocinium primæ literaturæ poſitum Craſtnocovii, auditoſque in Gallia, Turnebum, Lambinum, Carpentarium, Pennenſem, majorem adoleſcentiæ partem exegit Patavii auditor clariſſimorum ſua ætate Profeſſorum, arctâque cum Sigonio familiaritate conjunctus. Hic ille non ſolùm diſcipulus, verùm

(1) Ghilin. Vol. 2. Theatr. p. 125. (2) Elog. Brix. p. 437. (3) Salom. Miſcell. ad Inſcript. Gymn.
(4) Præf. in car. Bionis & Moſchi. (5) ibid. (6) lib. 2. de Poet. (7) lib. 4. Epiſt. 28.
(8) in Apparatu. (9) d. lib. 4. Epiſt. 48.

etiam ſcholaſticæ juventutis princeps, Rectorque artium gymnaſii fuit an. MDLXII. ut Rectorum catalogus in hoc opere noſtro teſtatur (1), & apertè ſignificant Simon Stravolſcius (2) & Gerardus à Stochen (3). In Poloniam reverſus Pro-Chartophylax factus Regni Sarmatici, legationem obivit, miſſus ab auguſta Sarmatarum Republicâ in Galliam cum Senatoribus aliquot, quorum ipſe princeps fuit, ut Henrieum Andegavenſium Ducem, Henrici II. Regis Gallorum filium, lectum Poloniæ Regem in publico Caroli IX. Regis & omnium Galliæ Ordinum conventu renunciaret. Poſt Henrici III. reditum ad ſuos, jam magnus Chartophylax egregiè laboravit in novo Rege creando, ac Stephanum Bathoreum Dacorum Principem, ſeu Tranſilvaniæ, adverſus Auſtriacorum prenſationes voce, & manu, domi foriſque validiſſimè tutatus eſt. Hinc à Bathoreo Imperator Poloniæ creatus, non minorem ſe in re bellica, quàm in Politicis artibus exhibuit. Quantus bello vir fuerit, acta ejus heroica fidem faciunt, nec ſatis laudat hiſtoria (4). Maximilianum Auſtriacum electum Regem deinde rejectum prælio vicit, triduoque poſt captum miſit Lublinum. Vix myriade militum inſtructus, Scytharum, quos Tartaros Precopenſes vocant, myriadas ſeptem in eâ Daciæ parte, quam fluvius Molda denominat, profligavit, eorumque Regem inducias petere, pacem jurejurando perpetuam promittere, totâque Daciâ intra triduum excedere coegit. Eandem fidem & ex virtute bellica gloriam præſetulit in tuendo Sigiſmundo Suecorum Principe in Livonicis bellis adverſus Moſchos, & Carolum Sudermaniæ Ducem, Regis patruum, nepoti ſemper iniquum. Fertur, inter has curas, nunquam tamen à literarum ſtudiis vacaſſe; nec unquam deſuiſſe Martiali viro Palladium animum, qui ſemel apud nos imbutus optimis diſciplinis, has in ſe ſovit, aluit in aliis, alendaſque perpetuò curavit. Nam in urbe, quam ſibi cognominem condidit, in præfectura Belſienſi ſeptimo Leopoli lapide, Academiam inſtituit anno MDXCIII., in eamque ſuis, & quidem eximiis ſumptibus atque ſtipendiis profeſſores accivit. Devexâ in ſenium ætate aulæ pertæſus, quam, licet à ſe magnis beneficiis cumulatam, ingratam expertus eſt, recepit ſe Zamoſchium: ſibi ipſe modeſtiſſimum fecit hoc Epitaphium.

Joannes Zamoſchius
Quidquid mortale habuit
Hìc deponi juſſit.

Ibidemque dum in ſellâ ſecum quædam ex more meditatur, gravi Apoplexi repentè ictus occubuit an. MDCV. ætatis LXIII. Edidit

De Senatu Romano librum.
Syntagma de Perfecto Senatore.
Orationem diſertiſſimam, quam habuit ad Henricum Valeſium, cùm legatus à Republica, ipſum ad Regnum Poloniæ capiendum invitavit.

1622 CCLXXI. VINCENTIUM FUSARIUM celeberrimum Juriſconſultum Brixia progenuit, Patavinum Gymnaſium ad Juriſprudentiam (5), qua maximè claruit, claretque etiamnum, clarebitque olim, inſtituit. Doctor laureatus cauſas egit in patria diu, mox Advocatus Fiſci patrimonium Principis & nervos Reipublicæ ſummâ integritate, diligentiâ tutatus eſt ultra annum MDCXX., nam vixiſſe eum ultra annum MDCXXII. conſtat, cum ex ejus operibus, in quibus citantur auguſti Senatûs Decreta eo anno edita, tum ex eo, quòd ejus non meminit Octavius Rubeus in elogiis editis anno MDCXX., quamvis ne illos quidem Brixienſium illuſtres viros qui tunc vivebant, prætereat. Quamobrem licet annus emortualis Fuſarii palam conſtitui minimè poſſit, attamen circa notatum omnino fuerit. Editum eſt pluries ejus doctiſſimum, & utiliſſimum opus *de Subſtitutionibus*, quod Fideicommiſſariam latè materiem, impeditiſſimam in Juriſprudentia, negotiorumque pleniſſimam aleam proſequitur; teriturque Cauſidicorum nocturnis diurniſque manibus.

1642 CCLXXII. CHRISTOPHORUS A SACROBOSCO natione Hibernus ex Anglorum indicibus Patavii inter Artium ſtudioſos verſatus eſt per annos circiter quatuor ab an. MDLXXIX. Frequens apud Patres Societatis Jeſu (6), ab iiſque ex pietate ac doctrina probatus in cœtum cooptatus eſt. Miſſus Romam, ſacriſque, ac Theologicis diſciplinis

(1) T. 1. lib. 2. c. 17. (2) Elog. 100. illuſt. Polon. Scriptor.
(3) in Thuano Enucleato. (4) Vid. Stravolſcium loc. cit.
(5) Matricul. Brix. ad An. 1587. (6) Poſſevin. Epiſt. ad Lionet. Gagliard.

Digitized by Google

diſciplinis egregiè imbutus, Philoſophiam (1) in Italia, Theologiam Dolę, ſacras literas Patavii aliquandiu explanavit. Inde in Britanniam profectus, carceres & vincula paſſus, ex illis iterum iterumque cum Hęreticis diſputavit. Liber vel ab obſervatione iniquiſſimorum judiciorum, præfuit Sociis in Hibernia totis Annis XXII., ibidemque deceſſit circa Annum MDCXXII. Edidit

Defenſionem Decreti Tridentini & ſententiæ Bellarmini de auctoritate editionis Vulgatæ.
Libellum de inveſtiganda vera & inviſibili Ecleſia Chriſti.
Librum de Meteoris Plaſtepigraphon.

Operum editiones notat Allegambe (2).

CCLXXIII. HIERONYMUS HASTEUS natus in Portu Carnorum Navonio Diœceſis Concordienſis, Minoritarum, quos Cœnobitas vocant, Sacrum Ordinem profeſſus eſt, ſtuduitque Patavii, & in Patavino Theologorum collegio artium (3) ac Theologiæ lauream obtinuit, meruitque ſubſellium. Functus omnibus (4) ſuę ſodalitatis officiis cum laude, Quæſitor adverſus perfidiam hæreticam per annos fermè duodecim fuit, in Utinenſi & Concordienſi ditione conſtitutus, inclaruitque omnium virtutum ac diſciplinarum ornamentis, quodque mirum eſt magis, Juriſconſultum ſe non vulgaris doctrinæ comprobavit, nam & Juriſprudentiam Utini profeſſus eſt, & Fratres Socioſque ſuos eandem docuit, ſcripſitque, atque edidit libellum non contemnendum de Juriſprudentiæ Methodis, quem Paulo V. Pont. Max. dicavit. Typis Venetis excuſus eſt ejus doctiſſimus Commentarius ad l. diffamari Cod. de ingen. Manumiſſ. Multa alia præclara ingenii monumenta moriens reliquit non edita, quæ recenſet Ughellus. Vocatus à Paulo Verulanæ apud Hernicos Eccleſiæ præfectus eſt, ubi Pręſulis officio ſingulari cum eruditionis, tum probitatis famâ defunctus, occubuit an. MDCXXVI. 1626

CCLXXIV. LUDOVICUS BAITELLUS Brixiæ natus Patavii poſt moram diuturnam legibus addiſcendis impenſam, Juriſprudentię retulit ornamenta, horumque titulis latè conſpicuus rediit in patriam, ubi aliquandiu patronus in foro placuit adeo, ut è re ſuâ judicaverit domicilium transferre Venetias, quo glorioſiùs eloquentiam ſuam regiis tribunalibus ſiſteret, ea ibi commoda relaturus, quę ſatis circumſcripta & exilia ſunt in foris municipalibus. Nec eum ſua ſefellit opinio, nam Venetiis ſummum adeptus eſt nomen inter Cauſidicos, tantique ex eloquentiâ Juriſque prudentia eſt habitus, ut rerum difficilium nexus expediendi ab Auguſto Senatu illi paſſim delegarentur: quin & finium regundorum gratia unà cum Scipione Ferramuſca ad Padi ripas ejuſque oſtium, qua in Adriaticum ſe exonerat, delegatus (5), ita, quę adverſus Rempublicam Venetam excitabantur, diffidia multa, difficilia, periculoſa compeſcuit, ut re ex voto feliciter confectâ ſummam commendationem à gratiſſimis Patribus, ingentia pręmia retulerit ab Excelſi Senatûs munificentiâ. Nec diu poſt Cornelio Frangipane defuncto, conſultationibus publicis habendis reddendiſque juſſu Senatus ſuffectus eſt, quo in munere graviſſimo vitę ſatur obiiſſe dicitur: certè non ante an. MDCXL. quo de eo Imperialis, ut adhuc ſuperſtite ſcribit. Vixerit ergo ultra quadrageſimum ſęculi ſuperioris, nec tamen octavum poſt quadrageſimum attigerit. Edidit 1647

Reſponſa, & Deciſiones in Jure: magna tamen Scriptorum ejus pars anecdota eſt.

CCLXXV. PETRUS JOANNES RESENIUS (6) Joanne Lutherano Epiſcopo, & Thaliâ itidem Epiſcopi Lutherani filiâ parentibus natus eſt Hafnię. In patria prima literarum ſpatia decucurrit; fuitque mox ibi ludimagiſter; deinde in Belgium profectus, Lugduni Batavorum Profeſſores audivit, atque inter hos Salmaſium ſępe conſuluit, ac civitates per inferioris Germanię Provincias clariores inviſit. Peregrinationem poſtea ſuſcepit per Galliam & Hiſpaniam, ac luſtratis harum Academiis & urbibus in Italiam trajecit, ſubſtititque Patavii, ubi audito ad humaniorem inſtitutionem Ferrario, Curſus legalis periodum abſolvit ſub Caimo. Fuiſſe illum Alumnum gymnaſii noſtri gymnaſtica monumenta teſtantur, & notę quęſtorię, in quibus I.N.G. Conſiliarius aſſeritur, cum Eraſmus Vindingius (7) Pro-Syndicum illum ſignet lycęi Patavini: & fortè magiſtratum hujuſmodi extra ordinem geſſerit an. MDCLIII. ſubſtitutus Pro-Rectori Franciſco Luſco Comiti Vicentino, quem exauctoratum noſces ex Rectorum faſtis, quos dedimus. Eo anno ſupremo Juriſprudentię decoratus honore, auſpice Marco Marchiano, Patronis Caimo, Galvano, Sala, Sacco, Aldregbetto, & Gonemio doctor utriuſque Juris rediit in patriam, ſtatimque in ea publicè Ethicam Philoſophiam profeſſus eſt. Fuit deinde Academię Hafnienſis Juriſconſultus ſecundarius, Ordinarius, denique etiam Conſul, quo in 1666

(1) Allegamb. Biblioth. Societ Jeſu p. 77. (2) ibid. (3) Salom in Collect. ad inſcrip. Gymn.
(4) Ughell. Tom 1. pag. 1399. n. 48. (5) Imper. Muſæi Parergo. p. 211.
(6) Preher. P. 2. Tom. 2. Sect. 4. p. 1170. (7) in Academia Hafnienſi.

munere ac dignitate videtur obiiſſe circa an. MDCLXVI. Scripſit multa Islandice & Danicè, quę tamen ipſe latina fecit.

Diſputationem Inauguralem Ethico-Juridicam de Juſtitia & Jure.

Eddam Iſlandorum Snorronis, cum diplici Præfatione, Rationibus docendi Ethicam, & Scriptoribus Ethicis plurimis.

Philoſophiam Antiquiſſimam Norvego-Danicam.

Ethicam Odini cum Appendice.

Orationes I. de uſu & neceſſitate Philoſophia in Juriſprudentiâ. II. De excellentia Juris Danici. III. de Fato Stoico. IV. quam Jubilæam inſcripſit, & in qua comparat Catechiſmum Lutheri cum ſcriptis moralibus Ethnicorum & Poetarum.

Inſcriptiones Danicas & Norvegicas.

Lexicon Iſlandicum auctum.

Tractat. de Origine & Propagatione Ethices uſque ad tempora noſtra per Scriptores Hebræos, Arabas, Græcos, Latinos, Italos, Hiſpanos, Gallos, Germanos, Anglicos, Danicos, & Iſlandicos.

Chronologiam Juris Civilis & Eccleſiaſtici Danici, Norvegici, Iſlandici, Groelandici.

Fundamenta Iuris Canonici & Civilis.

Juriſprudentiam Romano-Danicam.

1686 CCLXXVI. Doctoria Familia cùm inter Antenoreas clareat ab ultima ſtirpe nobilis, ac numeroſo comitum titulo latè conſpicua, claruit multò glorioſiùs doctorum virorum gloria, unde nomen habet, ac decus ſibi ipſi coęvum; occurruntque paſſim in faſtis gymnaſticis, atque in hoc ipſo, quod edimus, opere ſapientiſſimi Profeſſores, Alumni doctiſſimi, quorum virtus patrium gymnaſium illuſtravit, & avitum agnomen familię re probavit, & facto meruit. Hos inter, abſit invidia dicto, principem obtinet locum Comes CAROLUS DE DOCTORIBUS, vir noſtra ętate celeberrimus, Patavini gymnaſii, Patavinę urbis ornamentum eximium, atque annumerandus iis proceribus literarię reipublicę, quos, quod proximè elapſum eſt, ſęculum vero judicio fore immortales exiſtimavit. Natum ad ſapientiam ingenium ab adoleſcentia opibus bonarum artium omnium inſtruxit; atque ita in patrio gymnaſio majoribus inſtitutionibus imbuit, ut certiùs firmiùſque, queis illud factum voluit, Muſis aptaret. Has juvenis coluit, has vir toto concepit pectore, ac feliciter adeo in lucem publicam protulit, ut ex iis ſuâ ætate inter vates Italos maximus domi foriſque claruerit, domi foriſque ſibi ſingularem oomiois famam conciliarit. Nam & à Literatiis Triumviris ſæpè ad publicas exedras invitatus, ne in has aſcenderet, unâ imbecilli corporis habitudine prohibitus eſt; & doctorum per Italiam virorum eo uſque laudem & exiſtimationem emeruit, ut cum horum præcipuis conſtans literatum commercium, quod admodum ejus judicio deſerret, habuerit. Nec aliunde illi ſummorum fuit Principum amor, ſtudium, ac dignitas, operoſa, ſingularis, eximia, quam ex gloriâ Poeſeos. Hanc cum Principe ſuo Maronis patria ſuſpexit. Hanc cum Principe ſuo Etruſcæ linguæ urbs magiſtra probavit, laudavit, præcipuâque beoevolentia proſecuta eſt: hanc illa ingeniorum æſtimatrix, & index noſtra ætate literatorum hominum, Chriſtina Svecorum Regina tanti ſemper & fecit, & habuit, ut noo alibi Sophoclæum apud Italos Cothurnum agnoverit, quam in Tragœdia Doctorii. Sed præ aliis hæc merita Caroli, hanc virtutem memorabilem omnibus dilexit aula Cæſarea. Quippe illum Auguſta Eleonora Comitum titulis clarioribus exornari curavit, largo & honorario ſtipendio ſibi voluit obligatum, ac pretioſis muneribus, & auguſtâ ſuæ frontis effigie donatum longè pretioſioribus Epiſtolis, crebràque patrocinii ſtudioſioris ſignificatione devinxit. Auguſtus verò Leopoldus illum familiaribus ſuis laureato Diplomate commendatum accenſuit; ejus alteri filio, quem ad Crumerum Paononiæ militantem mors pręporpera ſuſtulit, martiales titulos dedit: alteri ſe io anulo maritali ſponſorem dixit, cujus filio Caroli nepoti patrem ſe luſtricum dedit, ac ſuo nomioe decoratum in eoque victuturum Poſterorum glorię Leopoldum Comitem ad ſpem fortunę majoris erexit: quam ſaoè nuper feliciſſimus hęres Leonię familię ex non inani Sanguinei Comitum ſtemmate auget, ac novâ decorum acceſſione avi doctiſſimi nomeo exaggerat, quod poſt mortem X. Kal. Auguſti an. MDCLXXXVI. ętatis LXIV. obitam nunquam interiturum in ejus carminibus perennabit. Hęc ſcripſit Italico ſermone cultiſſima, ſpiritu lyrico erecta, pondere tragico gravia, quorum pleraque ſunt apud hęredes anecdota: vulgata typis leguntur.

Ariſtodemus Tragœdia maximi nominis. Zenobia. Blanca. Rubea. Confeſſiones. Variorum Sylloge.

F I N I S.

CATA-

CATALOGUS

Illuſtrium Virorum, quorum præſidio Gymnaſium claruit.

DUCES VENETI.

Barbadicus Auguſtinus. tom. 1. p. 53. num. 2
Marcus. tom. 1. p. 53. n. 1
Bembus Joannes. tom. 1. p. 62. n. 3
Ciconia Paſchalis. tom. 1. p. 59. n. 4
Contarenus Aloyſius. tom. 1. p. 66. n. 7
Carolus. tom. 1. p. 64. n. 1
Dominicus. tom. 1. p. 65. n. 5
Franciſcus. tom. 1. p. 63. n. 6
Nicolaus. tom. 1. p. 63. n. 8
Cornelius Franciſcus. tom. 1. p. 64. n. 2
Joannes. tom. 1. p. 63. n. 7
Joannes II. tom. 1. p. 69. n. 4
Donatus Franciſcus. tom. 1. p. 55. n. 7
Leonardus. tom. 1. p. 61. n. 1
Nicolaus. tom. 1. p. 62. n. 4
Ericius Franciſcus. tom. 1. p. 63. n. 9
Foſcari Franciſcus. tom. 1. p. 50. n. 3
Grimanus Antonius. tom. 1. p. 54. n. 4
Gritti Andreas. tom. 1. p. 54. n. 5
Juſtinianus M. Antonius. tom. 1. p. 66. num. 8.
Landus Petrus. tom. 1. p. 55. n. 6
Lauretanus Leonardus. tom. 1. p. 54. num. 3.
Petrus tom. 1. p. 57. n. 12
Mocenico Aloyſius. tom. 1. p. 57. n. 1
Aloyſius II. tom. 1. p. 69. n. 3
Aloyſius III. tom. 1. p. 70. n. 5
Joannes. tom. 1. p. 52. n. 10
Petrus. tom. 1. p. 52. n. 8
Thomas. tom. 1. p. 50. n. 2
Marcellus Nicolaus. tom. 1. p. 52. num. 7.
Maripetrus Paſchalis. tom. 1. p. 51. num. 4.
Maurocenus Franciſcus. tom. 1. p. 67. num. 1.
Maurus, vel Morus Chriſtophorus. tom. 1. p. 51. num. 5.
Memus M. Antonius. tom. 1. p. 61. num. 2.
Molinus Franciſcus. tom. 1. p. 64. n. 10
Piſaurus Joannes. tom. 1. p. 65. n. 4
de Ponte Nicolaus tom. 1. p. 58. n. 3
Priolus Antonius. tom. 1. p. 62. n. 5
Hieronymus. tom. 1. p. 56. n. 11
Laurentius. tom 1. p. 56. n. 10
Sagredus Nicolaus. tom. 1. p. 66. n. 6
Stenus Michael. tom. 1. p. 49. n. 1
Thronus Nicolaus. tom. 1. p. 52. n. 6
Triviſanus M. Antonius. tom. 1. p. 56. num. 8.
Valerius Bertuccius. tom. 1. p. 65. n. 3
Silveſter tom. 1. p. 28. n. 7. & p. 68. num. 2.
Vendramenus Andreas tom. 1. p. 52. num. 9.
Venerius Franciſcus tom. 1. p. 56. n. 9
Sebaſtianus. tom. 1. p. 58. n. 2

TRIUMVIRI LITERARII

Moderatores Clari Gymnaſii.

Amulius M. Antonius. Card. tom. 1. p. 75. num. 3.
Baſadonna Petrus D. M. P. Card. tom. 1. p. 78. num. 3.
Bragadenus Laurentius Philoſophus. tom. 1. p. 75. num. 3.
Caballi Marinus. tom. 1. p. 75. n. 2
Contarenus Gaſpar Card. tom. 1. p. 75. num. 3.
Cornelius Franciſcus D. M. P. tom. 1. p. 79. num. 4.
Dandulo Matthæus Eques. tom. 1. p. 75. num. 2.
Foſcarenus Jacobus. tom. 1. p. 74. n. 2
Sebaſtianus Senior. ibidem
Sebaſtianus Junior. D. M. P. tom. 1. p. 79. num. 5.
Georgius Marinus Senior. tom. 1. p. 71. num. 5.
Marinus Junior. tom. 1. p. 79. n. 6

Grimanus Petrus Eq. D. M. P. tom. 1. p. 80. num. 10.
Juſtinianus Antonius. tom. 1. p. 71. n. 4
Hieronymus. tom. 1. p. 78. n. 3
Lando Joannes Eq. D. M. P. tom. 1. p. 79. num. 5.
Lauretanus Franciſcus Eq. D. M. P. ibid.
Marcellus Federicus D. M. P. tom. 1. p. 78. num. 4.
Maurocenus Andreas. tom. 1. p. 75. nu. 3
Jo. Franciſcus. tom. 1. p. 80. n. 8
Michael. ibidem
Molinus Dominicus. tom. 1. p. 75. n. 3
Naugerius Bernardus Card. ibidem
Nanius Baptiſta Eq. D. M. P. tom. 1. p. 78. num. 2.
Paſchalicho Jo. Petrus. tom. 1. p. 80. num. 10.
Piſanus Aloyſius Eq. D. M. P. tom. 1. p. 72. n. 6. & p. 80. num. 8.
Priolus Laurentius Card. tom. 1. p. 75. num. 3.
Ruzinus Carolus Eq. D. M. P. tom. 1. p. 79. num. 7.
Superantius Franciſcus D. M. P. tom. 1. p. 80. num. 9.
Laurentius Eq. D. M. P. tom. 1. p. 79. num. 6.
Surianus Antonius Eques D. M. P. tom. 1. p. 75. num. 3.
Jacobus. ibid. num. 2
Michael. ibid. num. 3
Theupolus Laurentius Eq. D. M. P. tom. 1. p. 6. n. 3. & p. 80. num. 9.
Venerius Hieronymus Eq. D. M. P. tom. 1. p. 79. num. 7.

MAGNI CANCELLARII.

Barbadico Gregorius Card. tom. 1. p. 114. num. 9.
Jo. Franciſcus. Card. tom. 1. p. 115. num. 11.
Barbo Petrus Card. Papa. tom. 1. p. 109. num. 5.
Barocius Petrus. tom. 1. p. 110. n. 9
Carrarienſis Stephanus. tom. 1. p. 108. num. 18.
de Comitibus Patavinis Princiſvallis. tom. 1. p. 105. n. 5.
de Comitibus Romanis Hildebrandinus. tom. 1. p. 106. num. 10.
Cornelius Aloyſius. tom. 1. p. 112. n. 2
Federicus I. Card. tom. 1. p. 111. n. 1
Federicus II. Card. tom. 1. p. 112. num. 5.
Georgius I. tom. 1. p. 113. n. 8
Georgius II. tom. 1. p. 115. n. 10
M. Antonius. tom. 1. p. 112. n. 6
Marcus I. Card. tom. 1. p. 110. n. 12
Marcus II. tom. 1. p. 112. n. 3
Dandulus Fantinus. tom. 1. p. 108. n. 4
Petrus. tom. 1. p. 110. n. 10
Donatus Petrus. tom. 1. p. 108. n. 3
Enſelminus Joannes. tom. 1. p. 107. n. 16
Foſcari Petrus Card. tom. 1. p. 109. n. 7
Helias Tranſalpinus. tom. 1. p. 107. n. 14
Joanninus Bernardus. tom. 1. p. 105. n. 6
Marcellus Petrus. tom. 1. p. 108. n. 2
Michaelius Albanus. tom. 1. p. 108. n. 1
Joannes Card. tom. 1. p. 109. n. 8
Ormanettus Nicolaus. tom. 1. p. 110. n. 15
Piſanus Aloyſius Card. tom. 1. p. 110 num. 14.
Franciſcus Card. ibid. n. 13
de Placentinis Joannes tom. 1. p. 107. n. 13
de Prata Pileus Card. tom. 1. p. 106. n. 12.
Raymundus Gallus tom. 1. p. 107. n. 15
de Razzis Othobonus tom. 1. p. 105. n. 8
de Robertis Ugo. tom. 1. p. 107. n. 17
Roboreus Sixtus Gara Card. tom. 1. p. 110. num. 11.
Sabellus Joannes. tom. 1. p. 105. n. 7
Stella Lucas tom. 1. p. 113. n. 7
Tranſalgardus Joannes. tom. 1. p. 105. num. 4.
Turrianus Paganus. tom. 1. p. 105. n. 9
Valerius Petrus. Card. tom. 1. p. 112. num. 4.
Urſinus Joannes. tom. 1. p. 106. n. 11
Zeno Jacobus. tom. 1. p. 109. n. 6

PRO-

PROFESSORUM CATALOGUS.

A

Accolti Franciſcus. tom. 1. p. 222. n. 51
Accorambonus Fabius. t. 1. p. 252. n. 1 to
Hieronymus. tom. 1. p. 304. n. 46
Accurſius Reginus. tom. 1. p. 193. n. 2
Achilles Senenſis. tom. 1. p. 244. n. 95
Achillinus Alexander. tom. 1. p. 298. n. 38
Adami Antonius. tom. 1. p. 187. n. 1.
Advocatus Albericus. tom. 1. p. 211. n. 30
Alalcona Joſeph. tom. 1. p. 162. n. 9
Albaneſius Guid. Antonius. t. 1. p. 170. n. 1
Albanius Albaneſius. t. 1. p. 187. n. 7. & ibid. cap. 53. n. 5. & ibid. cap. 54. n. 2. & p. 187. n. 5
Albericus Chriſtophorus. tom. 1. p. 11. n. 6. & p. 235. n. 79
Albertarius Æneas Lucius. t. 1. p. 180. n. 2
Aldreghettus Aldreghettus. t. 1. p. 357. n. 125
Ant. Aloyſius. t. 1. p. 12. n. 7. & p. 158. n. 2. & 159. n. 3. & p. 273. n. 148
Alpagus Andreas. tom. 1. p. 293. n. 28
Alpinus Proſper. t. 1. p. 13. n. 1. & p. 345. n. 108
Alvarotus Jacobus. tom. 1. p. 216. n. 40
Amaſæus Romulus. tom. 1. p. 310. n. 56
de Amatis Petrus. tom. 1. p. 155. n. 6. & ibid. cap. 3. n. 5
Ancharanus Petrus. tom. 1. p. 204. n. 21
Andreæ Joannes. tom. 1. p. 198. n. 13
Angeli Aloyſius. tom. 1. p. 161. n. 6. & p. 163. n. 1. & p. 164. n. 5. & ibid. c. 20. n. 2
de Angelis Stephanus. tom. 1. p. 188. n. 2. & p. 381. n. 160
Anguſſola Joannes. tom. 1. p. 195. n. 6
Anſelmi Rinaldini Ferdinandus Carolus. tom. 1. p. 179. n. 5
Aponenſis Petrus. tom. 1. p. 278. n. 4
Aquapendente Fabritius Hieronymus. tom. 1. p. 346. n. 110
Arculanus Joannes. tom. 1 p. 287. n. 17
de Arena Jacobus. tom. 1. p. 193. n. 3
Argoli Andreas. tom. 1. p. 12. n. 9. & p. 188. n. 1. & p. 367. n. 140
Arnù Nicolaus. tom. 1. p. 165. n. 4. & p. 167. n. 4. & p. 379. n. 158
Arſendus Rainerius. tom. 1. p. 197. n. 11
Augenius Horatius. t. 1. p. 12. n. 9. & p. 338. n. 99

B

Acchettus Laurentius. tom. 1. p. 177. n. 5
Badiolus Aloyſius. tom. 1. p. 178. n. 6
Leonardus. tom. 1. p. 157. n. 3
Bagarotus Petrus. tom. 1. p. 226. n. 59
Bagelardus Paulus. tom. 1. p. 290. n. 23
Bagolinus Hieronymus. tom. 1. p. 299. n. 40
Barbaroſſa Nicolaus. tom. 1. p. 163. n. 10. & p. 164. n. 7
Barbobus Petrus. tom. 1. p. 226. n. 58
Bariſonus Albertinus. tom. 1. p. 181. n. 1
Barocius Franciſcus. tom. 1. p. 322. n. 72
Bartholus. tom. 1. p. 199. n. 14
Bartholuccius Salvator. tom. 1. p. 338. n. 100
Barziza Chriſtophorus. tom. 1. p. 291. n. 26
Barzus Benedictus. tom. 1. p. 205. n. 22
Baverius M. Antonius. tom. 1. p. 229. n. 68
Becichemus Marinus. tom. 1. p. 299. n. 39
Bellacatus Aloyſius. tom. 1. p. 323 n. 75
Bellinus Conſtantini Antonius. tom. 1. p. 157. n. 4. & ibid. cap. 6. n. 4
Matthæus. tom. 1. p. 163. n. 8
Toldus. t. 1. p. 157. n. 1. & p. 164. n. 4
Benalea Cyprianus. t. 1. p. 155 n. 5. & p. 156. n. 4
Bencius Hugo. tom. 1. p. 287. n 16
Bendandus Hieronymus. tom. 1. p. 166. n. 1. & p. 366. n. 139
Benius Paulus. tom. 1. p. 350. n. 117
Berenadon Martinus. tom. 1. p. 171. n. 5
Berigardus Claudius. tom. 1. p. 12. n. 10. & p. 172. n. 2. & p. 173. n. 1. & p. 370. n. 144
Bernoullius Nicolaus. tom. 1. p. 189. n. 5
Bertepalca Leonardus. tom. 1. p. 285. n. 11
Betottus Franciſcus. tom. 1. p. 167. n 1
Bimbiolus Annibal. tom. 1. p. 179. n. 4
Blancus Marcus. tom. 1. p. 247. n. 102
de Blanchis Antonius Maria. t. 1. p. 167. n. 3
Bombardinus Antonius. tom. 1. p. 155. n. 6. & p. 160. n. 3
Bonafides Franciſcus. tom. 1. p. 13. n. 1. & p. 312. n. 59
Bonamicus Lazarus. tom. 1. p. 307. n. 54
Bonardus Franciſcus. tom. 1. p. 172. n. 1
Bonhomo Jo. Baptiſta. tom. 1. p. 179. n. 6. & p. 181. n. 7
Bonfius Achilles. t. 1. p. 159. n. 4. & p. 161. n. 2
Bonvicinus Valerianus. tom. 1. p. 180. n. 3
Bonus Jo. Antonius. tom. 1. p. 154. n. 2
Bordegatus Matthæus. tom. 1. p. 187. n. 7
Borromæus Alexander. tom. 1. p. 170. n. 4. & p. 177. n. 5. & p. 185. n. 2
Borromæus Antonius. tom. 1. p. 232. n. 74
Boſellus Franciſcus. tom. 1. p. 183. n. 3. & ibid. c. 46. n. 2
Bottonus Albertinus. tom. 1. p. 335. n. 95
Bovetinus. tom. 1. p. 195. n. 7
Bradiolus Solimanus Militia. t. 1. p. 177. n. 3
Franciſcus. tom. 1. p. 222. n. 50
Branditius Jo. Georgius. t. 1. p. 234. n. 76
Brexellus Proſper. tom. 1. p. 180. n. 8

Buicò

Buicò Nicolaus Spinazzola. t. 1. p. 166. n. 4
Burgos Antonius. tom. 1. p. 238. n. 85
Burgos Alexander. tom. 1. p. 168. n. 5
Burla Jo. Franciſcus. tom. 1. p. 238. n. 86
Buſinellus Alexander. tom. 1. p. 173. n. 6
Butigella Hieronymus, tom. 1. p. 235. n. 80

C

CAballus Franciſcus. t. 1. p. 304. n. 48
Cadenedus Jacobus. tom. 1. p. 173. n. 3. & p. 186. n. 2. & p. 187. n. 2
Cæpolla Bartholomæus. t. 1. p. 224. n. 56
Cæſarinus Julianus Card. t. 1. p 214. n. 35
Cagnolus Hieronymus. t. 1. p. 12. n. 6. & p. 249. n. 105
Caimus Jacobus. t. 1. p. 159. n. 1. & ibid. c. 10. nu. 1
Pompejus. tom. 1. p. 361. n. 129
Calaphates Georgius. tom. 1. p. 172. n. 8. & p. 177. n. 5. & p. 179. n. 4. & p. 185. n. 3
Calliachius Nicolaus. t. 1. p. 12. n. 9. & p. 180. n. 3. & p. 186. n. 6. & p. 190. n. 2. & p. 383. n. 163
Calphurnius Joannes. tom. 1. p. 292. n. 27
Campana Albertus. tom. 1. p. 362. n. 131
Campegius Laurentius Card. t. 1. p. 244. n. 96
Joannes. tom. 1. p. 12. n. 5. & p. 234. n. 78
Campolamperius Aloyſius. t. 1. p. 163. n. 7
Gregorius. tom. 1. p. 157. n. 7
Hieronymus. tom. 1. p. 250. n. 108
Campolongus Æmilius. t. 1. p. 340. n. 102
Campolongus. t. 1. p. 181. n. 4. & p. 186. n. 5
Joannes. tom. 1. p. 181. n. 7
Canis Jacobus. tom. 1. p. 228. n. 65
Capiliſtii. tom. 1. p. 220. n. 47
Capiliſtius Gabriel. tom. 1. p. 194. n. 5
Capivaceus Bartholomæus. t. 1. p. 198. n. 12
Hieronymus. tom. 1. p. 330. n. 87
Joannes. t. 1. p. 161. 3. & 5. & p. 164. n. 1
Cardeira à Nivibus Andreas. t. 1. p. 161. n. 10
Stephanus. t. 1. p. 158. n. 5. & p. 160. n. 7. & p. 161. n. 8. & p. 162. n. 7. & ibid. c. 15. n. 6
Carduccius Baltaſſar. tom. 1. p. 249. n. 106
Carletonus Gualterus. tom. 1. p. 171. n. 3
Carlottus Joſeph. tom. 1. p. 181. n. 3
Carreſius Ludovicus. tom. 1. p. 304. n. 47
Caſalius Antonius. tom. 1. p. 177. n. 6
Caſſerius Julius. tom. 1. p. 346. n. 109
Caſſolus Philippus. tom. 1. p. 201. n. 17
Caſtellanus Laurentius. t. 1. p. 259. n. 124
Caſtellus Jo. Baptiſta. tom. 1. p. 160. n. 19. & p. 162. n. 5. & ibid. c. 5. n. 5. & p. 163. n. 5
Caſtrenſis Angelus. t. 1. p. 11. n. 4. & p. 229. n. 67
Paulus. t. 1. p. 11. n. 4. & p. 213. n. 33
Catena Petrus. tom. 1. p. 325. n. 82
Cattaneus David. tom. 1. p. 163. n. 4
Cattaneus Thomas. t. 1. p. 180. n. 6. & p. 181. n. 5
Cephalus Joannes. tom. 1. p. 254. n. 115
Ceſſis Jo. Baptiſta. t. 1. p. 158. n. 6. & p. 162. n. 8
Petrus Dominicus. tom. 1. p. 164. n. 4
Cermiſonus Antonius. t. 1. p 285. n. 12
Cervini Paulus. tom. 1. p. 187. n. 8
Chartularius Jo. Mericus. t. 1. p. 243. n. 93
Cicala Joannes. t. 1. p. 180. n. 4. & ibid. c. 41. n. 4. & 186. n. 4. & p. 187. n. 4. & p. 376. n. 154
Cogroſſus Carolus Franciſcus. t. 1. p. 186. n. 7
à Colle Joannes. tom. 1. p. 359. n. 127
Columbina Sebaſtianus. tom. s. p. 156. n. 1
Columbus Matthæus Realdus. t. 1. p. 318. n. 67
Comes Proſdocimus. tom. 1. p. 216. n. 38
à Comitibus Elcii Achilles V. Achilles Senenſis.
Comnenus Papadopoli Nicolaus. tom. 1. p. 31. & p. 154. n. 6. & p. 155. n. 4. & p. 156. n. 3
Contarenus Vincentius. tom. 1. p. 348. n. 111
C rneanus Bernardinus. tom. 1. p. 164. n. 2
Corradinus Aloyſius. tom. 1. p. 267. n. 137
Corſettus Antonius. tom. 1. p. 237. n. 83
Cortuſius Jacobus Antonius. tom. 1. p. 13. n. 1. & p. 334. n. 93
Ludovicus. tom. 1. p. 208. n. 26
Coſtæus Jo. Franciſcus. tom. 1. p. 348. n. 112
Cotunius Joannes. tom. 1. p. 12. n. 10. & p. 172. n. 1. & p. 368. n. 142
Cottonus Antonius. tom. 1. p. 167. n. 2
Craſſus Paulus. tom. 1. p. 322. n. 74
Cremoninus Cæſar. T. 1. p. 359. n. 128
Cumanus Raphael. tom. 1. p. 211. n. 29
Curtius Franciſcus Junior. t. 1. p. 241. n. 91
Matthæus. t. 1. p. 12. n. 9. & p. 316. n. 65
Curtivo de Sanctis Parmeſanus. tom. 1. p. 163. n. 2

D

DEcianus Tiberius. tom. 1. p. 12. n. 6. & p. 256. n. 118
Decius Philippus. t. 1. p. 12. n. 6. & p. 241. n. 92
Delphinus Federicus. tom. 1. p. 305. n. 51
De Nores Jaſon. tom. 1. p. 334. n. 90
Diſcalcius Ottonellus. tom. 1. p. 262. n. 128
Ubertinus. tom. 1. p. 155. n. 2. & p. 160. n. 2. & p. 164. n. 4
de Doctoribus Ant. Franciſcus. t. 1. p. 239. n. 88
de Doctoribus Jo. Baptiſta. tom. 1. p. 155. n. 3. & p. 164. n. 6
Doctus Paulus. t. 1. p. 12. n. 7. & p. 158. n. 3. & ibid. cap. 8. n. 3. & p. 161. n. 1. & p. 274. n. 150
Doctus Paulus. tom. 1. p. 216. n. 39
Doglioli Rinaldus. tom. 1. p. 185. n. 4
Dojonus Julius. tom. 1. p. 307. n. 53
de Dominicis Dominicus. tom. 1. p. 289. n. 21
de Domninis Domninus. tom. 1. p. 178. n. 8
Donatus Bernardinus. tom. 1. p. 300. n. 41
Donoli Alfonſus. tom. 1. p. 177. n. 7. & ibid. c. 35. n. 4
Andreas. tom. 1. p. 164. n. 4

E

EGhen Simon. tom. 1. p. 177. n. 6

F

FAber Philippus. tom. 1. p. 353. n. 120
Faciolatus Jacobus. tom. 1. p. 187. n. 9
Faeius Franciſcus. tom. 1. p. 229. n. 69
Fallopius Gabriel. tom. 1. p. 315. n. 63
Fantonus Michael. tom. 1. p. 163. n. 11
Fardella Michael Angelus. tom. 1. p. 173 n. 5. & p. 182. n. 4. & p. 387. n. 166.
Faſeolus Joannes. tom. 1. p. 322. n. 73
Ferchius Matthæus. tom. 1. p. 165. n. 1. 2
Ferrarius Octavius. tom. 1. p. 12. n. 10 & p. 190. n. 1. & p. 374. n. 151.
Ficardus Joannes, tom. 1. p. 255. n. 116
Fina Donatus. tom. 1. p. 253. n. 13
Flexato Petrus Antonius. tom. 1. p. 163. num. 9.
Fonſeca Rodericus. tom. 1. p. 12. nu. 9 & p. 349. num. 113.
Forolivienſis Jacobus. tom. 1. p. 279. n. 5
Fortis Raymundus. tom. 1. p. 12. n. 10 & p. 171. nu. 2. & p. 371. num. 146
Fracantianus Antonius. tom. 1. p. 318. n. 68
Fracaſtorius Hieronymus. t. 1. p. 308. n. 55
Franciſconus Vincentius. tom. 1. p. 157 num. 3. & p. 163. num. 1.
Franzanus Petrus. tom. 1. p. 180. n. 2 & p. 183. num. 1. & p. 186. num. 1.
Fraſcà Placidus. tom. 1. p. 157. nu. 2
Frigimelica Hieronymus. tom. 1. p. 168 num. 3. & p. 172. nu. 2. & p. 178. num. 1
Franciſcus. tom. 1. p. 313. num. 61
Fulgoſius Raphael. tom. 1. p. 11. nu. 3 & p. 210. num. 28.
Furlanus Daniel. tom. 1. p. 324. num. 78

G

GAgliardus Nicolaus. tom. 1. p. 161 num. 4. & p. 162. num. 2.
Galdiolus Anaſtaſius. tom. 1. p. 172 num. 3. & p. 173. num. 2. & p. 180. n. 1
Galilæus Galilæi. tom. 1. p. 363. n. 139
Gallus Jacobus. tom. 1. p. 268. n. 138
Galvanus Alexander. tom. 1. p. 267. n. 135
Joannes. tom. 1. p. 12. num. 7. & p. 160. n. 1. & p. 273. num. 147.
M. Aurelius. tom. 1. p. 12. num. 7. & p. 157. n. 1. & p. 158. n. 1. & 272. n. 146
Gambarus Antonius. tom. 1. p. 177. n. 1
Garzo Joannes. tom. 1. p. 218. nu. 42
Genua de Paſſeribus M. Antonius. tom. 1. p. 314. num. 62.
Giacometti Jacobus. tom. 1. p. 182. n. 4
Glorioſus Jo. Camillus. tom. 1. p. 362. n. 132
Gnagnotus Jo. Baptiſta. t. 1. p. 159. n. 4. & p. 161. n. 3. & ibid. c. 15. n. 3. & p. 163. n. 3
Golzadius Hieronymus. tom. 1. p. 176. n. 1
Gomberti Jo. Baptiſta. tom. 1. p. 160. n. 5
Gomeſius Ludovicus. tom. 1. p. 245. n. 98
Gonemius Scipio. tom. 1. p. 163. nu. 1 & p. 275. num. 154.
Gratianus Joannes. tom. 1. p. 173. nu. 6. & ibid. c. 31. num. 7. p. 182. num. 5
Gribaldus Matthæus. tom. 1. p. 252. n. 111
Guarnacia Carolus. tom. 1. p. 247. n. 100
Guerra Joſeph. tom. 1. p. 178. num. 9
Guglielmini Dominicus. tom. 1. p. 12. n. 10. & p. 168. n. 5. & p. 188. n. 3. & p. 384. n. 164
Guillandinus Melchior. tom. 1. p. 13. n. 1. & p. 339. num. 88.

H

HErmanus Jacobus. tom. 1. p. 188. n. 4
Homodæus Signorolus. t. 1. p. 200. n. 15

I

JOnas Franciſcus.. tom. 1. p. 171. nu. 6
Jordani Jordanus. tom. 1. p. 187. nu. 5
Imola Joannes. tom. 1. p. 210. nu. 32
Juſtachinus Ludovicus. tom. 1. p. 163. n. 2. & p. 164. num. 3.

L

LAmbertacius Jo. Ludovicus. tom. 1. p. 204. num 20.
Landus Baſſianus. tom. 1. p. 12. num. 9. & p. 310. num. 64.
Languidis Laurentius. tom. 1. p. 179. n. 3
Lavagnolo Bartholomæus. tom. 1. p. 179 num. 7. & p. 181. num. 5. & p. 182. n. 7.
de Laurentiis Bernardinus. tom. 1. p. 181. n. 1
de Lazara Leo. tom. 1. p. 212. num. 31.
Lazarinus Dominicus. tom. 1. p. 191. n. 4
Leali Leal. tom. 1. p. 172. n. 9. & p. 178 n. 7. & p. 179. n. 5. & p. 183. n. 4. p. 184. n. 4
Leonicenus Nicolaus. tom. 1. p. 297. n. 36
Leoniſſa Jacobus. tom. 1. p. 224. nu. 55
Leonius Paulus. tom. 1. p. 258. nu. 120
Petrus. tom. 1. p. 289. num. 22
Licetus Fortunius. tom. 1. p. 12. num: 10 & p. 168. num. 1. & p. 368. num. 141
Lignamineus Chriſtophorus. t. 1. p. 321. n. 71
Lipſius Juſtus. tom. 1. p. 341. nu. 103.
Livellus Octavius. tom. 1. p: 269. n. 142
Lonigo Gaſpar Ventura. tom. 1. p. 182 num. 1.
Lyus Bartholomæus. tom. 1. p. 192. n. 1

M

MAcedo Franciſcus. tom. 1. p. 181. n. 2 & p. 272. num. 150.

Macoppe

Digitized by Google

Macoppe Knips Alexander. tom. 1. p. 170. num. 7. & p. 584. num. 5.
Madius Viocentius. tom. 1. p. 305. n. 49
Maggius Vide Madius.
Malacreda Petrus Laurentius. tom. 1. p. 155. num. 4.
Malchioſtrus Franciſcus. t. 1. p. 235. n. 72
Malumbra Riccardus. tom. 1. p. 196. n. 8
Manciuus Lælius. tom. 1. p. 154. num. 1. & p. 272. num. 145.
Mantica Franciſcus Card. t. 1. p. 265. nu. 132
Mantua Marcus. tom. 1. p. 256. nu. 119
Maraſca Angelus. tom. 1. p. 155. nu. 10
Maraviglia Joſeph. tom. 1. p. 181. nu. 1. & p. 375. num. 152.
de Marchettis Antonius. tom. 1. p. 176. n. 2. & p. 183. num. 5.
Dominicus. tom. 1. p. 174. num. 3. & p. 178. n. 3. & p. 183. n. 2. & p. 378. n. 156
Petrus. tom. 1. p. 176. n. 1. & p. 183. n. 1
Marchianus Marcus. tom. 1. p. 156. n. 1
Marchius Joſeph. t. 1. p. 161. n. 2. & p. 564. n. 2
Maripetro Franciſcus. tom. 1. p. 168. n. 4
Marta Jacobus. tom. 1. p. 268. nu. 139
Martinius Matthæus. tom. 1. p. 188. nu. 8
Maſſaria Alexander. tom. 1. p. 12. num. 9. & p. 336. num. 97.
Matina Leo. tom. 1. p. 166. num. 3. & p. 373. num. 149.
Mattarellus Nicolaus. tom. 1. p. 197. n. 10
Matthæacius Angelus. t. 1. p. 260. n. 126
Maurocenus Petrus Card. tom. 1. p. 215. n. 36
Mazzuchius Hyacinthus. tom. 1. p. 167. n. 5.
Maynus Jaſon. tom. 1. p. 12. num. 5. & p. 236. num. 82.
Medices Anſuinus. tom. 1. p. 248. n. 503
Melchiorius Sebaſtianus. tom. 1. p. 191. n. 3
Melioratus Remigius. tom. 1. p. 305. n. 50
Menochius Jacobus. tom. 1. p. 262. n. 129
Mercenarius Archangelus. t. 1. p. 328. n. 84
Mercurialis Hieronymus. tom. 1. p. 12. n. 9. & p. 343. num. 104.
Miliaria Michael. tom. 1. p. 220. nu. 46
Minadous Jo. Thomas. tom. 1. p. 345. n. 107
Moletius Joſeph. tom. 1. p. 329. nu. 86
Molinettus Antonius. tom. 1. p. 12. n. 10 & p. 168. n. 2. & p. 174. nu. 1. & p. 370. n. 145
Michael Angelus. t. 1. p. 174. nu. 4. p. 576. num. 3. & p. 183. num. 3.
Montagnana Angelus. tom. 1. p. 179. 1
Bartholomæus Senior. t. 1. p. 288. n. 18
Bartholomæus Junior. t. 1. p. 298. n. 37
M. Antonius. tom. 1. p. 334. n. 76
Petrus. tom. 1. ibid. num. 77
Montanarius Poeta. tom. 1. p. 277. n. 2
Montanarius Geminianus. tom. 1. p. 182. num. 3. & p. 377. num. 155.
Montanus Jo. Baptiſta. tom. 1. p. 306. n. 52
Monticulus Sebaſtianus. tom. 1. p. 263. n. 130
Morgagni Jo. Baptiſta. tom. 1. p. 170. nu. 6. & p. 174. num. 5.
Moroſinus Joannes. tom. 1. p. 186. nu. 3. & p. 187. num. 3.
Moti Jo. Antonius. tom. 1. p. 155. nu. 8
Muſurus Marcus. tom. 1. p. 294. num. 32

N

NÆvus Alexander. tom. 1. p. 227. n. 61
Navarra Marcus. t. 1. p. 178. n. 8. & p. 179. num. 6.
Nigronus Jo. Baptiſta. tom. 1. p. 186. n. 5

O

ODdus Marcus. tom. 1. p. 333. nu. 91
de Oddis Oddus. tom. 1. p. 313. nu. 60
de Oriano Lanfranchus. tom. 1. p. 227. n. 63
Paulus. tom. 1. p. 236. num. 81
Oſius Felix. tom. 1. p. 357. num. 126
Othellius Aloyſius. tom. 1. p. 158. nu. 4
Camillus. tom. 1. p. 162. nu. 8
M. Antonius. tom. 1. p. 12. n. 7. & p. 269. num. 140

P

de PAce Fauſtus. tom. 1. p. 159. nu. 5
Pacius Julius. tom. 1. p. 12. nu. 7. & p. 270. nu. 143
Palanterius Hieronymus. t. 1. p. 335. n. 96
Palatius Joannes. tom. 1. p. 155. nu. 3
Palariolus Laurus. tom. 1. p. 214. nu. 34
Palumbus Hyacinthus. tom. 1. p. 154. nu. 3
Paneirolus Guido. tom. 1. p. 52. num. 6. & p. 259. num. 125
Panizola Attilius. tom. 1. p. 187. num. 3
Panzetta Camillus. tom. 1. p. 269. n. 141
Panzoldi Antonius. tom. 1. p. 160. n. 4
Papadopoli V. Comnenus.
Pariſius P. Paulus Card. tom. 1. p. 12. n. 6. & p. 247. nu. 191
Paſinus Ludovicus. tom. 1. p. 311. n. 57
Ottonellus. tom. 1. p. 255. nu. 117
Paſſarellus Almericus. tom. 1. p. 154. & p. 159. n. 2. & p. 274. nu. 151
de Paſſeribus V. Genua.
Paternus Bernardinus. tom. 1. p. 12. n. 8. & p. 333. num. 92.
Patinus Carolus tom. 1. p. 178. num. 4. & p. 183. n. 4. & p. 186. n. 2. & p. 379. n. 159
Pavinus Jo. Franciſcus. tom. 1. p. 227. n. 62
Pauluccius Antonius. tom. 1. p. 156. n. 2 & p. 161. num. 1.
Pectenellus Naſcimbenius. t. 1. p. 250. n. 107
Pera Hermenegildus. tom. 1. p. 177. n. 3
Peregrinus M. Antonius. tom. 1. p. 185. num. 1. p. 266. num. 134.
Perillus Angelus. tom. 1. p. 218. nu. 41
Petrarcha Franciſcus. tom. 1. p. 280. n. 7
Petrella Bernardinus. tom. 1. p. 334. n. 94

Phi-

Philippinus Cyprianus. tom. 1. p. 165. n. 1
Philologus Thomas. tom. 1. p. 312. n. 58
Picinardus Seraphinus. tom. 1. p. 165. nu. 3. & p. 167. nu. 3. & p. 375. nu. 153.
Piccolomineus Franciſcus. t. 1. p. 339. n. 101
Pieruccius Bondichius Michael. tom. 1. p. 157. num. 2. & 159. num. 2.
Pighius Jacobus. tom. 1. p. 174. n. 2. & p. 184. num. 2.
Ludovicus. tom. 1. p. 162. num. 9
Pimbiolus Annibal Dominicus. tom. 1. p. 179. num. 4.
Pinellus Dominicus Card. t. 1. p. 264. n. 131
Pincinus Innocentius. tom 1. p. 167. n. 1
Piſani Angelus. tom. 1. p. 179. num. 8
Piſonus Homobonus. tom. 1. p. 185. n. 3
Pivatus Auguſtinus. tom. 1. p. 183. nu. 3. & p. 185. num. 2. & p. 186. num. 3
Placiolo Rolandus. tom. 1. p. 194. nu. 4
Plazzonus Franciſcus. tom. 1. p. 350. n. 116
Plumbinus Baldus Bonifacius. tom. 1. p. 11. num. 3. & p. 209. num. 27.
Pochinus Carolus. tom. 1. p. 155. n. 7
Pochinus Firmanus. tom. 1. p. 163. nu. 6
Marinus. tom. 1 p. 188. num. 6
Pola Franciſcus. tom. 1. p. 267. nu. 136
Polcaſtrus Sigiſmundus. tom. 1. p. 285. n. 13
Polentonus Modeſtus. tom. 1. p. 227. n. 64
Polenus Joannes. tom. 1. p. 174. num. 8. & p. 182. num. 6. & p. 189. num. 6
Pomponatius Petrus. tom. 1. p. 300. n. 42
Pontadera Julius. tom. 1. p. 13. num. 2. 3. 4. & p. 184. num. 4.
de Ponte Oldradus. tom. 1. p. 196. num. 9
Porcellinus Antonius. tom. 1. p. 239. n. 89
Françiſcus. tom. 1. p. 218. num. 43
Portinarius Angelus. tom. 1. p. 350. n. 115
à Prato Veteri Antonius. t. 1. p. 222. nu. 49.
Joannes. tom. 1. p. 224. num. 54
Pratus Joannes. tom. 1. p. 223. num. 52
Puſterla Dominicus. tom. 1. p. 166. nu. 2
à Puteo Jacobus. tom. 1. p. 226. num. 60
Julius. tom. 1. p. 159. nu. 3. & p. 275. num. 153.

Q

QUærengus Flavius. t. 1. p. 365. n. 136.
Quainus Hieronymus. t. 1. p. 326. n. 82

R

RAchia Jacobus. tom. 1. p. 166. n. 2
Raguſæus Georgius. t. 1. p. 349. n. 114
Rainis Jo. Baptiſta. tom. 1. p. 159. n. 4. & p. 160. n. 6. & p. 161. n. 7. & p. 162. n. 7
Ramazzinus Bernardinus. tom. 1. p. 171. num. 8. & p. 172. num. 7. & p. 385. n. 165
Realdus Matthæus Columbus V. Columbus.
Renaldinus Carolus. tom. 1. p. 12. nu. 10. & p. 172. num. 4. & p. 381. n. 161
Riccobonus Antonius. t. 1. p. 337. n. 98
Richerius Cœlius Rhodiginus. tom. 1. p. 296. num. 34.
à Ripa Ludovicus. tom. 1. p. 182. num. 8
Rivetta Michael Angelus. t. 1. p. 165. n. 2
Robortellus Franciſcus. t. 1. p. 318. n. 69
Rolandinus Grammaticus. t. 1. p. 277. n. 1
Ronchalitrius Matthæus. t. 1. p. 277. n. 3
Ronchonus Antonius. tom. 1. p. 181. n. 6
Rorarius Bartholomæus. t. 1. p. 244. n. 94
Roſſi Jo. Maria. tom. 1. p. 178. num. 7. & p. 184. num. 6.
Rotundus Felix. tom. 1. p. 165. num. 3. & p. 382. num. 162.
Roverella Laurentius. tom. 1. p. 289. n. 20
Roycellus Antonius. tom. 1. p. 221. n. 48
Jo. Baptiſta. tom. 1. p. 233. num. 75
Rubeus Octavius. tom. 1. p. 354. n. 121
Rubeus Felix. tom. 1. p. 162. num. 1
Rubeus Jo. Antonius. tom 1. p. 12. nu. 6. & p. 246. num. 99.
Rudius Euſtachius. tom. 1. p. 12. num. 9. & p. 345. num. 106.
Rugerius Bonifacius. tom. 1. p. 258. n. 122
Ruinus Carolus. t. 1. p. 12. n. 6. & p. 240. n. 90

S

SAcco Pompejus. tom. 1. p. 168. n. 4. & p. 178. num. 5. & p. 388. num. 167
Saccus Ludovicus. tom. 1. p. 180. n. 7
Sala Jo. Dominicus. tom. 1. p. 364. n. 135
Sala Jacobus. tom. 1. p. 154. nu. 2. & ibid. cap. 2. num. 1.
Salandus Joſeph. tom. 1. p. 355. nu. 122
Saliceti tres. tom. 1. p. 11. num. 3. & p. 206. num. 24.
Salicis Jo. Baptiſta. tom. 1. p. 363. n. 133
Salinetius Franciſcus. tom. 1. p. 160. n. 1. & p. 164. num. 3.
Salviolus Vincentius. tom. 1. p. 238. n. 84
Samblaſius Jo. Baptiſta. t. 1. p. 228. nu. 66
Sancta Juliana Adrianus. t. 1. p. 181. n. 2
Sancta Sophia Bartholomæus. tom. 1. p. 286. num. 15.
Hieronymus. tom. 1. p. 176. nu. 2. & p. 177. nu. 2. & ibid. c. 36. num. 1.
Joannes. tom. 1. p. 283. num. 9
Marſilius. tom. 1. p. 282. num. 8
Nicolaus. tom. 1. p. 280. num. 6
à Sancto Angelo, ſeu Sanctangelus Antonius. tom. 1. p. 205. num. 23
Sanctorius Sanctorius. t. 1. p. 361. n. 130
Saviolus Octavius. t. 1. p. 179. n. 3. & p. 186. n. 4
Savonarola Aloyſius. tom. 1. p. 157. nu. 5
Franciſcus. tom. 1. p. 160. num. 2
Michael. tom. 1. p. 286. nu. 14
Saxonia Hercules. tom. 1. p. 177. nu. 2. & p. 344. num. 105.

Ludovicus

Ludovicus Maripetro. t. 1. p. 177. n. 4
Scarabicius Sebaſtianus. t. 1. p. 185. nu. 1.
Scottus Gulielmus. tom. 1. p. 178. nu. 10
Julius Clemens. t. 1. p. 156. n. 2. & p. 181. num. 1.
Pompilius. t. 1. p. 170. n. 3. & p. 176. nu. 4. & p. 185. num. 1.
Serry Hyacinthus. tom. 1. p. 165. num. 5
Sfondratus Franciſcus Card. t. 1. p. 248. n. 104
Sigonius Carolus. tom. 1. p. 327. num. 83
Silvaticus Bartholomæus. t. 1. p. 261. nu. 127
Benedictus. tom. 1. p. 171. num. 1
Soacia Piſo Guarinus. tom. 1. p. 259. n. 123
Thaddæus. tom. 1. p. 266. nu. 133
Socinus Bartholomæus. t. 1. p. 12. n. 5. & p. 230. num. 71.
Marianus Senior. tom. 1. p. 219. n. 45
Marianus Junior. t. 1. p. 12. n. 6. & p. 251. num. 109.
Solari Jo. Antonius. tom. 1. p. 155. n. 9
Soverus Bartholomæus. t. 1. p. 352. n. 119
Speronus Aloyſius Blaſius. tom. 1. p. 181. num. 6. & p. 188. num. 7.
Speronus. tom 1. p. 328. nu. 85
Spigelius Adrianus. tom. 1. p. 352. nu. 118
Spinellus Hilarius. t. 1. p. 172. n. 5. & p. 179. nu. 2. & ibid. c. 39. nu. 1. & p. 184. n. 2
Nicolaus. tom. 1. p. 201. num. 16
Spoleti Franciſcus. tom. 1. p. 171. n. 7. & p. 172. nu. 6. & p. 173. nu. 5. & p. 180. n. 5
Syncliticus Alexander. t. 1. p. 12. n. 7. & p. 271. num. 134.

T

TArtagnus Alexander. tom. 1. p. 11. n. 4. & p. 225. num. 57.
Tebaldus Carolus. tom. 1. p. 162. n. 6. & p. 275. num. 152.
Terentianus Terentius. t. 1. p. 258. n. 121
Tergulinus Hieronymus. t. 1. p. 245. nu. 97
Terrarubea Vitalis. tom. 1. p. 173. num. 4
Teſtoris Hieronymus. tom. 1. p. 166. num. 4
Thulius Joannes. tom. 1. p. 355. num. 123
Tienæus Cajetanus. tom. 1. p. 288. num. 19
Todeſchi Proſper. tom. 1. p. 170. num. 2
Tomæus Leonicus. t. 1. p. 301. num. 44
Tomaſius Petrus Franciſcus. t. 1. p. 233. n. 77
Tomitanus Bernardinus. tom. 1. p. 324. n. 79
Tonrus Hyacinthus. tom. 1. p. 166. nu. 5
Torniellus Hieronymus. tom. 1. p. 12. nu. 6. & p. 252. num. 112.
Trapolinus Petrus. tom. 1. p. 293. nu. 30
Trincavellus Victor. tom. 1. p. 320. n. 70
Tubetta Antonius. tom. 1. p. 295. nu. 33
Turchettus Antonius. tom. 1. p. 230. n. 70
Turchus Thomas. tom. 1. p. 366. nu. 138
à Turre Georgius. t. 1. p. 13. nu. 1. & p. 171. nu. 4. & p. 172. num. 4. & p. 178. num. 2 & p. 183. n. 1. & p. 184. n. 1. & p. 379. n. 157
Tutrianus Hieronymus. tom. 1. p. 293. n. 29
M. Antonius. tom. 1. p. 293. n. 31

V

VAira Antonius. tom. 1. p. 154. n. 5. & p. 162. num. 4. & ibid. c. 15. n. 4
Valisneri Antonius. tom. 1. p. 169. n. 6. & p. 170. num. 5. & p. 178. num. 6.
Ubaldus Angelus. tom. 1. p. 203. num. 19
Ubaldus Baldus. tom. 1. p. 202. num. 18
Vergerius Hieronymus. tom. 1. p. 172. n. 3. p. 176. num. 3. & p. 371. num. 147.
Petrus Paulus. tom. 1. p. 284. nu. 10
Verius Michael. tom. 1. p. 187. num. 8
Vernia Nicolaus. tom. 1. p. 291. num. 25
Veſalius Andreas. tom. 1. p. 316. num. 66
Veslingius Joannes. t. 1. p. 13. n. 1. & p. 365. num. 137.
Verzelesii. tom. 1. p. 223. num. 53
Viali Felix. t. 1. p. 13. n. 2. & p. 17. n. 2. & p. 184. num. 3.
Vincentius. t. 1. p. 160. n. 8. & ibid. c. 11. num. 3. & p. 161. num. 9.
Victorius Franciſcus. tom. 1. p. 297. nu. 35
Vielmus Hieronymus. t. 1. p. 325. num. 81
Vigontia Alexander. t. 1. p. 179. nu. 2. & p. 181. num. 3.
de Vio Thomas Cajetanus Card. t. 1. p. 302. num. 45.
Viſcardus Jacobus. tom. 1. p. 176. n. 4. & p. 184. num. 3. & p. 187. num. 6.
Vizzanius Carolus Emmanuel. t. 1. p. 369. num. 143.
Urbinus Bartholomæus. t. 1. p. 239. n. 87
Urſatus Antonius. tom. 1. p. 232. nu. 73
Jo. Antonius. tom. 1. p. 166. num. 6
Jo. Baptiſta. t. 1. p. 179. n. 7. & p. 186. n. 6
Sertorius. tom. 1. p. 182. nu. 2. & p. 372. num. 148.
Vulpius Jo. Baptiſta. tom. 1. p. 176. nu. 5

Z

ZAccus Alverius. tom. 1. p. 187. nu. 4
Zaccus. tom. 1. p. 164. num. 1
Zabarella Aloyſius. tom. 1. p. 157. num. 6
Bartholomæus. tom. 1. p. 216. nu. 37
Franciſcus Card. tom. 1. p. 207. n. 25
Jacobus. tom. 1. p. 331. num. 89
Zanfortius Raymundus. V. Fortis Raymundus Jo.
Zimara M. Antonius. tom. 1. p. 301. n. 43
Zocchus Jacobus. tom. 1. p. 219. num. 44
Zuichemus Viglius tom. 1. p. 253. nu. 114

ALU-

ALUMNORUM CATALOGUS.

A

Abiatus Franciſcus. tom.2.p.295.n.217
Acidalius Valens. t.2.p.254.nu.156
Adamus Jo: tom. 2. p. 104. num. 173
Æguatius Jo. Baptiſta. tom.2.p.200.n.73
Albanus Jo. Hieronymus Card. t.2. p.91. num. 155.
de Albertis Albertus. tom.2.p.315.n. 254
Albertus Patavinus. tom. 2. p. 154. nu. 6
Aldobrandinus Cynthius Card. t.2. p. 109 num. 180.
Silveſter. tom. 2. p. 75. num. 128
Aleander Hieronymus Card. t.2.p.194.n.65
Alexander V. Pont. Max. t.2.p.160. nu.17
Alexander VIII. Pont. Max. t.2.p.142.n.242
Alumnus Franciſcus, tom. 2.p.235.n.127
Amalthei Fratres. tom. 2. p. 228. nu. 16
Amuleus M. Antonius Card. t.2.p.67.n.112
Anagninus Andreas. tom. 2. p. 152. nu. 3
Angeli Marinus, tom.2.p.137. num.231
de Aptis Franciſcus Card. tom. 2.p. 10. nu. 10
Ardizonus Jacobus. tom. 2. p. 10. num. 9
Areoſtus Ludovicus. tom. 2. p. 40. num. 74
Argentinus Franciſcus. tom. 2. p. 33. n. 59
Argolus Joannes. tom. 2. p. 140. nu. 238
Argyropulus Joannes. tom. 2. p. 179. n. 40
Arigonius Pompejus Card. t.2.p.113.n.186
Arminius Jacobus. tom. 2. p. 268. n. 178
Arnigius Bartholomæus. t. 2. p. 230. n. 120
Areſtinus Alexander Card. t. 2. p. 119. n. 199
Hieronymus. tom. 2. p. 191. nu. 59
Hippolytus Card. t.2. p. 324. n. 267
Atratus Hugo Card. tom. 2. p. 152. num. 2
Avantius Jo. Marius. tom. 2. p. 117. n. 196
Averoldus Alcobellus. tom. 2. p. 40. nu. 73
Auguſtus Dux Brunſuicenſis. t.2.p.140.n.239
Auguſtinus Antonius. tom. 2. p. 84. nu. 142

B

Baduarius Joannes Card. t.2.p.145.n.248
Baglivus Georgius. tom.2.p.319.n.261
Baitellus Ludovicus. tom. 2. p. 327. n. 274
Balbus Petrus. tom. 2. p. 175. num. 35
Baldus Bernardinus. tom. 2. p. 257. n. 161
Baratella Antonius. tom. 2. p. 168. n. 28
Barbadico Angelus Card. tom. 2. p. 12. n. 15
Petrus. tom. 2. in Præfat.
Barbarus Daniel Card. tom. 2. p. 69. n. 118
Hermolaus. tom. 2. p. 27. num. 47
Franciſcus Senior. t. 2. p. 22. n. 35
Franciſcus Junior. tom. 2. p. 112. n. 185
Barbus Marcus. tom. 2. p. 25. num. 42
Bartachinus Joannes. tom. 2. p. 29. n. 51
Bartholinus Eraſmus. tom. 2. p. 313. nu. 252
Thomas. tom. 2. p. 311. num. 249
Baſelius Benedictus. t. 2. p. 280. nu. 197
Bathoreus Stephanus Rex. t.2.p.87.n.147
Beccatellus Ludovicus. t. 2. p. 74. nu. 126
Betellus Thomas. tom. 2. p. 79. num. 133
Belegno Carolus. tom. 2. p. 114. num. 188
Bellinus. tom. 2. p. 189. num. 55
Bembus Bernardus. tom. 2. p. 35. n. 63
Petrus Card. tom. 2. p. 50. num. 87
Benedictus XI. Pon. Max. t. 2. l. 2. p. 152. n. 4
Benitius S. Philippus. tom. 2. p. 151. n. 1
Benius Paulus Andreas. tom. 2. p. 69. n. 117
Bentivoleus Guido Card. t.2.p.135.nu.225
Beroa Joannes Andreas. t. 2. p. 125. nu. 206
Beſſario Cardinalis. tom. 2. p. 171. n. 32
Betuſſius Joſeph. tom. 2. p. 302. nu. 233
Bevilaqua Bonifacius Card. t.2.p.124.n.205
à Boodt Anſelmus Boethius. t.2.p.260.n.164
Bolognīnus Angelus. tom. 2. p. 194. nu. 64
Bonladius Jacobus. tom. 2. p. 57. nu. 95
Joſeph. tom. 2. p. 115. nu. 190
Bonifacius Balthaſſar. tom. 2. p. 139. n. 235
Joannes. tom. 2. p. 129. nu. 216
Bonſius Jo. Baptiſta Card. t. 2. p. 117. n. 194
Borgaſius Paulus. tom. 2. p. 46. nu. 83
Borgia Hieronymus. tom. 2. p. 196. n. 68
de Borſano Simon Card. tom. 2. p. 10. nu. 11
Bovius Thomas. tom. 2. p. 269. nu. 179
Bragadenus Antonius Card. t. 2. p. 138. n 234
Brancius Nicolaus. tom. 2. p. 128. nu. 213
Brencius Andreas. tom. 2. p. 177. num. 38
Brenzonus Alexander. tom. 2. p. 284. n. 206
Brevius Franciſcus. tom. 2. p. 34. num. 61
Britannicus Joannes. tom. 2. p. 185. n. 48
Bronzerius Joan. Hieronymus. tom. 2. p. 284. num. 207.
Brunus Vincentius. tom. 2. p. 253. n. 154
Buccafocus V. Sernano Cardinalis.
Buccherius Ægidius. tom. 2. p. 297. n. 224
Bulgari Nicolaus. tom. 2. p. 317. n. 257
Busbequio Augerius Giſlenius. t.2.p.92.n.158

C

Cagnatus Marſilius. tom.2.p.269.n.180
S. Cajetanus Tienęus. t. 2. p. 54. n. 89
Caunus Euſebius. tom. 2. p. 132. num. 219
Calderius Pantaleo. tom. 2. p. 35. n. 64
Calludius Arſenius. tom. 2. p. 319. nu. 260
Calvus Felix. tom. 2. p. 307. num. 243
Camerarius Joachimus. tom. 2. p. 259. n. 163
Camotius Jo. Baptiſta. tom. 2. p. 241. n. 135
Campanus Joannes. tom. 2. p. 174. nu. 33
Capellarius Michael. tom. 2. p. 143. n. 245
Capranica Angelus Card. tom. 2. p. 19. n. 28
Dominicus Card. tom. 2. p. 19. n. 28
de Capua Annibal. tom. 2. p. 95. num. 161
Carafa Antonius. tom. 2. p. 90. nu. 151
Oliverius Card. tom. 2. p. 33. nu. 60

Cardanus Hieronymus. t.2.p.228.n.157
Carena Cæſar. tom.2. p. 137. num. 229
Carrarius Petrus. tom. 2. p. 68. num.113
Carrerius Alexander. tom.2.p.282. n. 202
Petrus. tom. 2. p. 185. num. 46
Carus Annibal. tom. 2. p. 217. num. 97
Caſonus Guidus. tom. 2. p. 296. nu. 219
Caſtellanus Leo. tom. 2. p. 155. num. 8
Caſtellinus Lucas. tom. 2. p. 284. n.205
Caſtelvetrus Ludovicus. t.2. p.223.n.109
Cavacius Jacobus. tom.2.p.275. nu. 189
Cavalcantes Bartholomæus. t.2.p.213.n.91
Cautius Camillus. tom. 2. p. 69. nu. 116
Cerchiarius Jo. Martius. t. 2. p. 144.nu. 247
Cartularius Antonius. tom. 2. p. 14. n. 19
Chioccus Andreas. tom. 2.p. 280. nu. 198
Chifletius Jo. Jacobus. tom. 2.p.285.n.208
Chortacius Georgius. t. 2. p. 306. nu. 240
Chriſoloras Emmanuel. tom.2.p.162.n.19
Cippicus Coriolanus. tom. 2. p. 27. nu. 45
Clarius Iſidorus. tom. 2. p. 201. num. 75
Clavena Andreas. tom. 2.p.137.num.230
Clemens VIII. tom. 2. p. 105. num. 175
Clericatus Joannes. tom. 2. p. 145. n. 249
Clericatus Leonellus. tom. 2. p. 32. n. 56
de Cluniaco Federicus Card. t. 2. p.23. nu. 37
Cochanovius Joannes. tom. 2.p.266.n.174
Codretus Annibal. tom. 2. p.260. nu. 165
Collenucius Pandulfus. tom. 2.p. 30.n.52
Commendonus Franciſcus Card. t. 2. p. 78. num. 130.
de Comitibus Nicolaus. tom. 2. p. 171.n. 31
Condulmerius Franciſcus Card. t.2 p.18.n.26
Conradus Sebaſtianus. tom. 2.p.204. n. 78
Conſtantinus Toldus. tom. 2.p.135.n.224
Contarenus Aloyſius. tom. 2.p.302.n.232
Gaſpar Card. tom. 2. p. 47. nu. 84
Nicolaus. tom. 2. p. 126. num. 210
Copernicus Nicolaus. tom. 2.p. 195. n. 66
Coquilius Vidus. tom. 2. p. 103. nu. 172
Coraſius Joannes. tom. 2. p. 73. num. 125
Coreſſius Georgius. tom. 2. p. 296. n. 221
Cornelia Helena Lucretia. t.3.p.316.n.256
Cornelius Aloyſius. tom. 2. p. 218. nu. 98
Andreas Card. tom. 2. p. 57. n. 94
Federicus Card. tom. 2. p. 90. n. 152
Franciſcus Card. tom. 2. p. 49. n. 85
Franciſcus Junior Card. t.2.p.99.n.165
Joannes Primicerius. t.2.p.149.n.252
Corrarius Antonius Card. tom 2.p.16.n.22
Corſinus Accurſius. tom. 2. p. 125. nu. 208
Corſinus Petrus Card. tom. 2. p. 12. n. 14
Corteſius Gregorius Card. t. 2. p. 54. nu. 90
Corydaleus Nicephorus. t. 2.p.298.n.225
Craſſus Nicolaus. tom. 2. p. 138. nu. 233
Crato Joannes. tom. 2. p. 244. nu. 140
Cromerus Martinus. tom. 2. p. 248. nu.147
Cromuel Oliverius. tom.2.p.306.n.241
Cuccus M. Antonius. tom. 2. p. 36. nu. 66
Curio Cœlius Secundus. tom.2.p.222.n.107
Curtius Senior Franciſcus. t. 2. p. 29. n. 48
Cuſpinianus Joannes. t. 2. p. 190. num. 58
Curzola Nicolaus. tom. 2. p. 290. nu. 214
Cynus Piſtorienſis. tom. 2. p. 8. num. 7
Cynthius Giraldus Jo. Baptiſta. t. 2 p.225.n.112

D

DAmhouderius Jodocus. t. 2. p. 80. n. 135
Danielius Bernardinus. t.2.p.219.n.101
Davianus Xaverius Æmilius. t.2.p. 318 n.259
Davila Henricus Catcrinus. t.2.p.126.n.211
Delminius Julius Camillus. t.2.p.256.n. 159
Delphinus Joannes Card. Senior. t.2. p. 117. num. 195.
Joannes Card. Junior. t. 2.p.142.n.243
Zacharias Card. tom. 2. p. 81. nu. 137
Diplovatacius Thomas. tom. 2. p. 43. n. 76
Doctorius Carolus. tom.2.p.328. n. 276
Doleonus Joannes Nicolaus. t. 2.p.284.n.204
de Dominis M. Antonius. t. 2. p. 120. nu. 200
Donato Antonius. tom. 2. p. 22. num. 33
Donatus Ludovicus Card. tom.2.p.157.n.11
Ludovicus. tom. 2. p. 24. num. 38
Dondus Jacobus. tom. 2. p. 156. nu. 9
Joannes. tom. 2. p. 158. num. 13.
Dubravius Schala. tom. 2. p. 59. num. 98
Dudithius Andreas. tom. 2. p. 88. nu. 149
Dulcius Ludovicus. tom.2.p.221.n.104
Dumbenius Cattus Vincentius Card. tom. 2. p. 16. num. 23.
de Durantibus Durantes Card. t. 2.p. 60.n.102

E

ERaſtus Thomas. tom. 2. p. 241. n. 137
Ericius Sebaſtianus. tom. 2.p.81.138
Eudemoniannes Andreas. t. 2.p. 281.n.202
Eugenius. IV. tom. 2. p. 166. num. 25
Expilius Claudius. tom.2.p.129.num.215

F

FArneſius Ranuccius Card. t.2.p.66.n 109
Farolſus Michael Angelus. t. 2. p. 322. num. 265.
Favorinus Varinus. tom. 2.p. 192. n. 61
Felinus V. Sandæus.
Ferrus Galeotus. tom. 2. p. 112. nu. 183
Finchius Thomas. tom. 2. p. 303. nu. 238
Finettus Joannes. tom. 2. p. 325. n. 268
Finius Vincentius. tom. 2. p. 139. n. 236
Flamminius M. Antonius. t. 2. p. 197. n. 69
Flanginus Thomas. tom. 2. p. 136. nu.227
Follius Cæcilius. tom. 2. p. 296. nu. 220
Fontana Publius. tom. 2. p. 268. num. 177
Foſcarus Petrus Card. t. 2. p. 24. num. 39
Foſſa Andreas. tom. 2. p. 136. num.226
Frangipanus Cornelius. t. 2. p.124.nu.206
Fraſcata Gabriel. tom. 2. p. 141. nu.134
Fuſius Andreas. tom. 2. p. 205. num. 81
Fuſarius Vincentius. tom. 2. p. 326.n. 271
Fuſcus ſeu Niger Palladius. t.2.p.177.n.37

Gabrielius

G

GAbrielius Gaſpar. tom. 2. p. 201. n. 74
Gagliardus Achilles. t. 2. p. 267. n. 176
Gailius Andreas. tom. 2. p. 86. nu. 145
Gambara Jo. Franciſcus. t. 2. p. 86. n. 146
Laurentius. tom. 2. p. 325. n. 269
Ubertus Card. tom. 2. p. 55. n. 92
Gambelionus Angelus. tom. 2. p. 20. n. 30
Gandinus Albertus. tom. 2. p. 17. num. 25
Gatarius Galeatius. tom. 2. p. 162. nu. 18
Gaza Theodorus. tom. 2. p. 174. nu. 34
Gazius Antonius. tom. 2. p. 191. n. 60
à Gemingen Uriel. tom. 2. p. 34. num. 62
Genua de Paſſeribus Nicolaus. t. 2. p. 112. n. 184
Genuenſis M. Antonius. tom. 2. p. 121. n. 201
Gerardus Maffeus Card. tom. 2. p. 181. n. 42
Giannotus Donatus. tom. 2. p. 72. n. 123
Gliſentius Fabius. tom. 2. p. 273. nu. 185
Goes Damianus. tom. 2. p. 200. nu. 72
Gonzaga Jo. Vincentius Card. t. 2. p. 91. n. 154
Scipio Card. tom. 2. p. 251. nu. 151
Gratarolus Gullielmus. t. 2. p. 213. nu. 90
Gratianus Antonius M. t. 2. p. 109. nu. 181
Gregorius XII. Pont. Max. t. 2. p. 163. n. 20
Gregorius XIV. Pon. Max. t. 2. p. 91. n. 156
Grimanus Dominicus Card. t. 2. p. 37. n. 68
Marinus Card. tom. 2. p. 50. nu. 86
Grottus Aloyſius. tom. 2. p. 245. nu. 141
Gualdus Paulus. tom. 2. p. 116. nu. 193
Guarinonus Chriſtophorus. t. 2. p. 263. n. 170
Guarinus Baptiſta Eques. t. 2. p. 110. n. 182
Guazzius Marcus. tom. 2. p. 205. nu. 80
Guicciardinus Franciſcus. t. 2. p. 45. nu. 81
Guſtavus Adolfus Rex. tom. 2. p. 287. n. 213
Gygas Hieronymus. tom. 2. p. 63. nu. 105

H

HAlloander Gregorius. t. 2. p. 40. n. 72
Haſteus Hieronymus. t. 2. p. 327. n. 273
Hervetus Gentianus. tom. 2. p. 242. n. 138
Heurnius Joannes. tom. 2. p. 262. n. 169
de Hippolyto Hieronymus. t. 2. p. 190. n. 57.
ab Homburg Daniel. t. 2. p. 81. n. 136
Hofmannus Gaſpar. t. 2. p. 300. n. 228
Hoſius Stanislaus Card. t. 2. p. 233. n. 125
Hoſpitalius Michael. t. 2. p. 76. n. 129
Huſanus Henricus. t. 2. p. 85. n. 143

I

IMperiales Jo. Baptiſta & Joannes. tom. 2. p. 303. nu. 235
Innocentius VIII. Pont. Max. t. 2. p. 26. n. 43
Jo. Adamus Archiepiſc. Moguntinus. tom. 2. p. 104. num. 173.
Joannes Siculus Card. t. 2. p. 167. nu. 26
Jovius Paulus. t. 2. p. 198. n. 71
Juſtinianus Auguſtinus. t. 2. p. 250. n. 149
Benedictus Card. t. 2. p. 116. n. 192

Bernardus. t. 2. p. 24. n. 40
Petrus. t. 2. p. 230. n. 118
de Juſtis Lælius. t. 2. p. 22. n. 34

K

KEller Jacobus. t. 2. p. 287. n. 211
Kentmannus Joannes. t. 2. p. 219. n. 102

L

LÆlius Theodorus. t. 2. p. 21. n. 31
Landus Franciſcus Card. t. 2. p. 13. n. 17
Lanfranchinus Chriſtophorus. t. 2. p. 25. n. 48
à Langeſtein Henricus. t. 2. p. 13. n. 16
Langius Chriſtianus. t. 2. p. 309. n. 245
Joannes. t. 2. p. 214. n. 93
Laſcares Joannes. t. 2. p. 187. n. 51
Lauretanus Jo Franciſcus. t. 2. p. 307. n. 242
Marcus. t. 2. p. 79. n. 131
Laurius Jo: Vincentius. t. 2. p. 93. n. 159
Lemnius Lævinus. t. 2. p. 218. n. 99
Leonicus Angelus. t. 2. p. 59. n. 99
Ligdar Joannes. t. 2. p. 165. n. 22
Lignamineus Deſiderius. t. 2. p. 237. n. 131
Franciſcus. t. 2. p. 168. n. 27
Lippomanus Aloyſius. t. 2. p. 62. n. 104
Liſca Alexander. t. 2. p. 105. n. 174
Locarellus Ludovicus. t. 2. p. 306. n. 239
Lollinus Aloyſius. t. 2. p. 122. n. 203
Lombardus Hieronymus. t. 2. p. 281. n. 200
Longolius Chriſtophorus. t. 2. p. 36. n. 67
Longus Guglielmus Card. t. 2. p. 7. n. 5.
Lubienski Stanislaus. t. 2. p. 132. n. 220
Lucaris Cyrillus. t. 2. p. 292. n. 216
Ludovicus Romanus V. Pontanus.
Luiſinus Franciſcus. t. 2. p. 221. n. 105
Lupatus. t. 2. p. 11. n. 13
Luſignanus Hugo Card. t. 2. p. 14. n. 20
Stephanus. t. 2. p. 249. n. 148

M

MAdruccius Card. Chriſtophorus. t. 2. p. 79. nu. 132
Maffejus Bernardinus Card. t. 2. p. 58. n. 97
Jo. Petrus. t. 2. p. 266. n. 173
Maggius Alexander. t. 2. p. 29. n. 49
Hieronymus. t. 2. p. 71. n. 122
Maginus Jo. Antonius. t. 2. p. 276. n. 191
Malatinus Andreas. t. 2. p. 68. n. 114
Maninus Octavianus. t. 2. p. 224. n. 111
Manucius Aldus Junior. t. 2. p. 256. n. 160
Paulus. t. 2. p. 227. n. 115
Marcanova Ioannes. t. 2. p. 166. n. 24
Marguntius Maximus. t. 2. p. 264. n. 172
Mariſius Paravinus. t. 2. p. 154. n. 7
Martinengus M. Antonius. t. 2. p. 141. n. 240
Marullus Tarchaniotta Michael. t. 2. p. 184. n. 44
Maſſa Nicolaus. t. 2. p. 214. n. 92
Matthiolus P. Andreas. t. 2. p. 231. n. 122

Maurocenus Andreas. tom. 2. p. 113. n. 187
Jo. Franciſcus. tom. 2. p. 99. nu. 164
Nicolaus. tom. 2. p. 264. nu. 171
Paulus. tom. 2. p. 130. num. 219
Paulus F. Zilii. tom. 2. p. 23. nu. 36
Maurocordatus Alexander. t. 2. p. 319. n. 262
Mazzius Jo. Marius. tom. 2. p. 261. n. 167
Mazzonus Jacobus. tom. 2. p. 260. n. 166
Mediarota Ludovicus Card. t. 2. p. 169. n. 30
Memus Jo. Maria. tom. 2. p. 58. num. 96
Michaelius Joannes Card. t. 2. p. 31. nu. 54
Petrus. tom. 2. p. 138. num. 232
Michovius Matthias. tom. 2. p. 188. n. 52
Monacbus Joannes Card. tom. 2. p. 6. n. 4
Montagnonus Hieremias. tom. 2. p. 6. n. 3
à Monte S. M. Franciſcus M. Card. t. 2. p. 123 num. 204.
Montius Petrus. tom. 2. p. 20 num. 29
Montmorencius Franciſcus. t. 2. p. 133. n. 221
Moronus Joannes Card. tom. 2. p. 80. n. 134
Moſcatellus Philippus. tom. 2. p. 287. n. 212
Muſſatus Albertinus. tom. 2. p. 7. nu. 6
Muſſus Cornelius. tom. 2. p. 226. nu. 114
Murius Auguſtinus. tom. 2. p. 95. nu. 162
Hieronymus Juſtinopolitanus. t. 2. p. 72. num. 124.
Myſingerus Joachin. tom. 2. p. 87. n. 148

N

NAiboda Valentinus. t. 2. p. 252. n. 153
Naldinus Paulus. tom. 2. p. 321. n. 264
Nanius Baptiſta Senior. tom. 2. p. 134. n. 223
de Nateriis Antonius. tom. 2. p. 11. num. 12
Naugerius Andreas. tom. 2. p. 39. num. 71
Bernardus Card. tom. 2. p. 64. n. 107
Nevizanus Ioannes. tom. 2. p. 46. nu. 82
Nicheſola Fabius. tom. 2. p. 103. nu. 171
Notarus Chryſanthus V. Chryſanthus.

O

ODaxii Fratres Ludovicus & Typhis. tom. 2. p. 185. num. 49.
Oſorius Hieronymus. tom. 2. p. 235. n. 128

P

PAcius Angelus. tom. 2. p. 27. nu. 46
Fabius. tom. 2. p. 275. n. 190
Paganus Joſeph. Antonius. t. 2. p. 150. n. 254
Palazzolus Aurelius. tom. 2. p. 301. n. 229
Pallavicinus Ferrantes. tom. 2. p. 301. n. 231
Joan. Baptiſta Card. tom. 2. p. 38. n. 69
Palmerius Andreas Mattheus Card. tom. 2. p. 44. num. 78.
Palmerius Simon Card. tom. 2. p. 5. n. 2
Pamelius Jacobus. tom. 2. p. 247. nu. 144
Panigarola Franciſcus. tom. 2. p. 253. n. 155
Panvinius Onuphrius. tom. 2. p. 108. n. 103
Paruta Paulus. tom. 2. p. 100. num. 167
Patina Benedictus. tom. 2. p. 230. n. 119
Patricius Franciſcus. tom. 2. p. 258. n. 162
Paulus V. Pont. Max. tom. 2. p. 116. n. 191
Paulus Venetus. tom. 2. p. 164. num. 21
Pax de Paſino. tom. 2. p. 297. num. 223
Pegas Meletius. tom. 2. p. 279. num. 196
Peireſco Nicolaus Claudius. t. 2. p. 130. n. 218
Perago Bonaventura Card. t. 2. p. 157. n. 12
Perottus Nicolaus. tom. 2. p. 176. num. 36
Perſona Jo. Baptiſta. tom. 2. p. 278. n. 194
Perſonius Robertus. tom. 2. p. 270. n. 181
Petricius Sebaſtianus. tom. 2. p. 178. n. 195
Pianerus Vincentius. tom. 2. p. 223. n. 108
Picolomineus Alexander. t. 2. p. 233. n. 124
Picus Jo. Franciſcus. tom. 2. p. 42. n. 75
Pierius Valerianus. tom. 2. p. 207. n. 83
Pighettus Jacobus. tom. 2. p. 140. n. 237
Pignorius Laurentius. tom. 2. p. 286. n. 209
Pilatinus Jacobus. tom. 2. p. 324 num. 266
Pilumnus Georgius. tom. 2. p. 90. num. 153
Pindemontius Franciſcus. t. 2. p. 214. n. 94
Pinellus Jo. Vincentius. t. 2. p. 102. n. 170
Pircheimerus Bilibaldus. tom. 2. p. 193. n. 73
Piſanus Franciſcus Card. tom. 2. p. 70. n. 119
Pius Albertus Card. tom. 2. p. 38. num. 70
Rodulfus Card. tom. 2. p. 63. nu. 106
Pizzamanus Antonius. tom. 2. p. 186. n. 50
Planerius Joannes. tom. 2. p. 262. nu. 168
Plumatius Bernardinus. tom. 2. p. 184. n. 45
Plumius Claudius. tom. 2. p. 136. nu. 228
Podocatharus Ludovicus Card. t. 2. p. 32. n. 57
Podovovius Hieronymus. t. 2. p. 274. n. 188
Polancus Joannes. tom. 2. p. 231. n. 121
Polentonus Xycus. tom. 2. p. 169. n. 29
Politus Ambroſius Caterinus. t. 2. p. 202. n. 76
Polus Reginaldus Card. tom. 2. p. 61. n. 103
Poma Petrus. tom. 2. p. 297. num. 222
Pona Franciſcus. tom. 2. p. 299. nu. 226
Pontanus Ludovicus. tom. 2. p. 13. nu. 18
à Porta Ardicinus Card. tom. 2. p. 26. nu. 44
Portius Simon. tom. 2. p. 203. num. 77
Portus Franciſcus. tom. 2. p. 338. nu. 132
Poſſevinus Antonius. tom. 2. p. 272. n. 184
Poſtellus Gullielmus. tom. 2. p. 239. n. 133
Premolus Victorianus. tom. 2 p. 125. n. 209
Prezatus Gabriel. tom. 2. p. 185. num. 47
Prierius Silveſter. tom. 2. p. 188. nu. 52
Priolus Laurentius Card. tom. 2. p. 102. n. 169

Q

QUærengus Antonius. t. 2. p. 291. n. 215
Quintianus Stoa Jo. Franciſcus. t. 2. p. 206. num. 82.
Quiſtellius Ambroſius. t. 2. p. 196. n. 67

R

RAgazonus Hieronymus. t. 2. p. 90. n. 160
Raichſpalt Petrus. tom. 2. p. 153. n. 5
Rambaldus Jo. Franciſcus. t. 2. lib. 2. c. 49. n. 236
Ramuſius Jo. Baptiſta. tom. 2. p. 60. n. 101
Paulus. tom. 2. p. 102. num. 168
Rapicius Jovita. tom. 2. p. 210. num. 86
Raſarius Ludovicus. tom. 2. p. 232. n. 123
Regius Ludovicus. tom. 2. p. 234. n. 126
Remondus Franciſcus. tom. 2. p. 287. n. 210
Reſcius Stanislaus. tom. 2. p. 267. n. 175

Reſe-

Reſcnius Petrus Joannes. t.2.p.327.n.275
Riarius Alexander Card. tom.2.p.82.n.139
Ricciardus Antonius. tom.2.p.271.n.182
Ridus Nicolaus. tom. 2. p. 156. num. 10
Ripa Jo. Franciſcus. tom. 2. p. 43. nu. 77
Roboreus Hieronymus Card. t.2.p.92.n.157
Rochus Antonius. tom. 2. p. 395. n. 218
Rolfinchius Guernerus. t.2.lib.2.c.52.n.253
Roſate Albericus. tom. 2. p. 9. num. 8
Roſellus Lucius Paulus. tom. 2. p.59.n.109
Rota Michael Angelus. t.2.lib.2.c.51.n.246
Roverella Bartholomęus Card. t.2.p.22.n.32
Rozieuski Albertus. tom. 2. p.278.n.193
de Rubeis Alexander. t.2.lib.2.c.53.num.255
Ruſcellus Hieronymus. tom.2.p.222.n.106
Rutilius Bernardinus. tom. 2. p. 44. n.79
Ruzinus Aloyſius. tom.2. p. 144. nu. 246

S

SAbellus Jacobus Card. t. 2. p.86.n.144
Sacroboſco Chriſtophorus. t.2.p. 326. num. 272.
Sadoletus Jacobus Card. tom. 2.p.53.n.88
Sakſius Philippus Jacobus. t. 2.p.313.n.251
Saleſius S. Franciſcus. tom. 2.p.118.n.197
Salomonius Jacobus. tom. 2. p. 320.n. 263
Sambucus Joannes. tom.2.p.243. nu. 139
Sanctacrucius Proſper Publicola Card. t. 2. p. 83. num. 141
S. Sophia Marſilius. tom. 2.p.160.n.16
Sandæus Felinus Maria. tom.2.p.31.n.55
Sanſovinus Franciſcus. tom.2.p.246.n.143
Sarnano Conſtantinus Card. t.2.p.255.n.158
Saulius Antonius Card. tom.2.p.119.n.198
Savonarola Franciſcus. tom. 2.p.193.n.62
Hieronymus. tom. 2. p. 182. n. 43
Scaliger Julius Cæſar. tom. 2.p.208.nu.84
Scarampus V. Mediarota.
Scardeonius Bernardinus. t.2.p.226.n.113
Schenchius Jo. Theodorus. t.2.p.312.n.250
Sclerus Pierus Arbanaſius. t.2.p.311.n.248
Schlinchius Gaſpar. tom.2. p. 17.n. 24
Schottus Andreas. tom.2. p. 283. n. 203
Schroterus Joannes. tom.2.p.251.n.152
Segnius Jacobus. tom. 2. p. 204. num. 79
Seldius Georgius Sigiſmundus.t.2.p.65.n.108
Sericus Lombardus. tom. 2. p. 158. nu. 14
Sgualdus Vincentius. tom. 2. p. 301.n.230
Silveſtrius Camillus. tom. 2. p. 149. n. 253
Simonetta Jacobus Card. tom.2.p.44.n.80
Sirigus Meletius. tom. 2. p. 309. n. 244
Sirlerus Gullielmus Card. t.2.p.245.n.142
Sixtus IV. Pont. Max. tom. 2. p. 177. n. 39
Sobieſchi Joannes Rex. tom.2.p.143.n.244
Sonerus Erneſtus. tom. 2. p. 274. n. 187
Sorianus Antonius. tom. 2. p. 33. nu. 58
Sozomenus Ioannes. t. 2. p. 121. n. 202
Spazzarinus Io. Dominicus. t.2.p.36.n.65
Spinula Horatius Card. tom.2.p.107.n.177
Statius Achilles. tom. 2. p. 236. nu.130
Stenus Iacobus Ioannes. tom. 2. p. 5. n. 1
Strozzius Laurentius Card. t.2.p.71.n.121
Struthius Ioſeph. tom. 2. p.218. n. 100
Suardus Sempronius. tom. 2. p.109. n. 179
Summoripa Hieronymus. tom.2.p.19.n.50

T

TArtalea Nicolaus. t.2.p.210. nu. 87
Taſſara Antonius. tom. 2. p.69.nu.115
Taſſus Torquatus. tom. 2. p. 96. num. 163
Teleſius Bernardinus. tom. 2. p.248.n.146
Tertius Joannes. tom. 2. p. 224. nu.110
Theupolus Joannes. tom. 2. p.127.nu.212
Tomaſinus Jacobus Philippus. t.2.p.304.n.327
Paulus. tom. 2. p. 134. num.222
Tomaſius Taxaquera Michael. t.2.p.82.n.140
Torrentius Lævinus. tom. 2. p. 254.n.157
Tradelius Georgius. tom. 2. p.100. nu.166
Trapezuntius Georgius. tom.2.p. 180.n.41
Trapolinus Nicolaus. tom. 2. p.210.n.85
Trenro Io. Baptiſta. tom. 2. p. 146.nu.250
Triſſinus Io. Georgius. tom. 2. p.56.n.93
Truxes Card. Otho. tom. 2. p.75. n. 127
Tudiſcus Nicolaus Card. tom. 2. p. 14. n.21
à Turre Philippus. tom. 2. p. 147. nu. 251
Tuſcus Dominicus Card. t. 2.p.114.n. 189

V

VAdianus Ioachim. tom. 2.p.198.n.70
Valareſſo Fantinus. tom.2.p.18.n.27
Valerius Auguſtinus Card. t.2.p.107.n.178
Valle Hieronymus. tom. 2.p.165. nu. 23
Valſignanus Alexander. t.2.p. 106. n. 176
Valſtain Albertus. tom. 2. p. 128. n. 214
Varchius Benedictus. tom. 2. p. 215. n.96
Vendramenus Franciſcus Card. t. 2. p. 277. num. 192.
Venerio Franciſcus. tom. 2. p. 241. n. 136
Venturatus Stephanus. tom. 2. p.190.n.56
Vergerius P. Palus Iunior. tom.2.p.66.n.110
Veritas Hieronymus. tom.2.p.55.nu:n.91
Vermilius Petrus Martyr. t.2.p. 211.n. 89
Verus Io. Baptiſta. tom. 2.p. 317.n. 258
Vida Hieronymus. tom. 2. p. 215. num. 95
Viſcherus Ioannes. tom. 2. p. 257. n. 145
Vitalius Io. Baptiſta. tom. 2.p. 141.n. 241
Vitellius Vitellotius Card. t. 2.p. 67.n. 111
Vivaldus Ludovicus. t. 2. p.300.nu. 227
Ulmus Franciſcus. tom. 2. p. 274. nu. 186
Valerianus. tom. 2. p. 211. nu. 88
Vorſtius Ælius Everardus. t.2.p.281.n.199
Vorſtius Adolfus. tom. 2. p. 310. nu. 247
Urbanus VII. Pont. Max. tom.2.p.89.n.150
Wolfius Hieronymus. t. 2.p.236. nu. 129

Z

ZAbarella Paulus. tom. 2. p. 189. nu.54
Zamoſcius Zarius Joannes. t. 2. p. 325 num. 270.
Zanchius Hieronymus. tom.2.p.250.n.150
Zaſius Joannes Uldricus. tom.2. p.71. n.120
Zeno Jo. Baptiſta Card. tom. 2. p. 30. n. 53
Zuvingerus Jacobus. tom.2.p. 272. n. 183

INDEX

INDEX RERUM.

A

Academia Delia Collegiis Gymnaſticis annumeranda. Ejus laus & Auctores tom. 1. p. 41. nu. 1. & 4. Ejus initium ibid. nu. 2. locus ei conceſſus ibid. Stipendium ex Arca Gymnaſtica ibid. & p. 42. nu. 4. 5. Leges & functiones p. 42. num. 6.

Academia Recouratorum. t. 2. p. 119. n. 197.

Adſeſſores primùm dati Prętori non Doctori, tom. 1. p. 82. ad an. 1415.

Adſeſſorum ad Inſignia Scholaſtica munus antiquum, & hodiernum. t. 1. p. 92. n. 7. 8

Ærarium Gymnaſticum. Ejus dos, & incrementum ſub Venetis. tom. 1. p. 8. nu. 1. 2. Ejus uſus, & ſumptus ibid. nu. 3. 4. Vide in Carrarienſibus.

de Alano Henricus Profeſſor Juris. Ejus Plebiſcitum pro dedendo Patavio Venetis. tom. 1. p. 49. An. 1405.

Aldreghettus Co. Alfonſus. t. 1. p. 116. n. 11

Anguillara Aloyſius. tom. 1. p. 13. num. 1

B

Bagnarius Pędagogus. t. 2. p. 260. n. 165

Barbus Ludovicus. tom. 2. p. 167. n. 26

Baſſaraba Jo. Conſtantinus. t. 2. p. 193. n. 62

Belegno Paulus Antonius D. M. P. tom. 2. p. 114. num. 188.

Bibliotheca Beſſarionis Venetiis. tom. 2. p. 173. num. 32.

Bibliotheca Gymnaſii Publica. t. 1. p. 9. nu. 5

Bibliotheca Vaticana. tom. 2. p. 178. nu. 39

Biza Pacificus. tom. 2. p. 124. num. 206

Bobadilla Nicolaus. tom. 2. p. 303. nu. 76

Bubulbus Nicolaus. tom. 2. p. 318. n. 256

Buccaticum Vectigal. Quando de eo agi cęptum. tom. 1. pag. 4. n. 2. quo auctore dilatum. t. 1. p. 47. ad an. 1350. à quibus conſtitutum, ac decretum Gymnaſio ibid.

Bulgara Familia. V. Familia.

Bulgari Artemius. tom. 2. p. 219. nu. 257

Buzzachareni Ducis Equeſtris virtus t. 1. p. 42

C

Campanula. Quid ſit, ejus ſonitus & ratio, ut ſpectat ad Gymnaſium, cum Schediaſmo tom. 1. p. 119. num. 1. & ſeqq.

Cancellarii Magni Origo & dignitas; ratio & jus in Gymnaſium. t. 1. p. 3. nu. 3. 4. & p. 104. num. 1. & ſeqq. Catalogus & Acta ſingulorum. ibidem

Carbonus Matthæus. tom. 1. p. 37

Carrarienſes Principes. Franciſcus Senior. tom. 1. pag. 4. n. 2. 3. Franciſcus Junior ibid. p. 48. An. 1355. & 1388. Jacobus Grandis. ibi. p. 46. An. 1318. & ſeqq. Jacobus II. ſeu Jacobinus. t. 1. p. 4. nu. 1. 2. 3. Marſilius Senior. t. 1. p. 47. An. 1338. Marſilius Junior. ibid. An. 1345. Ubertinus An. 1339.

Charteſianæ ſectæ origo in Italia ante Charteſium. t. 2. p. 248. n. 146. Ejuſdem innovatio. ibid. p. 25. num. 162.

Chiabrera Gabriel & alii ſæculi XVII. ſcriptores caſtigatiſſimi. t. 2. p. 308. nu. 242.

Chriſtina Svecorum Regina. t. 2. p. 290. n. 213

Chryſanthus Notara Patriarcha Hieroſolym. t. 2. Præfat.

Cicala Hilarion. Ejus laus, infortunium & inde dignitas. tom. 1. p. 38. n. 5

Ciceronis ſepulcrum illuſtratum. tom. 2. p. 237. num. 131.

Collegia Cypriorum varia Patavii. Eorum Auctores, exitus, & bodierna conditio. tom. 1. p. 37. nu. 2. 3.

Collegia Græcorum Venetiis quis inſtituit, & eorum Notitia. t. 1. p. 36. num. 1. & ſeqq.

Collegia Patavina Privata. Eorum numerus, Auctores, exitus, & hodierna conditio, atque adminiſtratio. t. 1. p. 36. nu. 1. & ſeqq.

Collegia Patavina Publica, & eorum initia. t. 1. p. 3. n. 4. 5.

Collegium Cottunianum deſcribitur. t. 1. p. 38. n. 4. 5. Ejus cataſtrophe, & hodierna conditio. ibid. n. 6.

Collegium Græcorum Venetum Patavii. Ejus hiſtoria. t. 1. p. 39. nu. 7. & ſeqq. Ejus conſtitutio Senatuſconſulto. ibid. p. 40. n. 12. Leges à Triumviris latę & à Senatu confirmatæ ibid. Ejus numerus, ſtipendia, Miniſter, habitatio ibid. n. 12. 13. Præſes & hujus auctoritas cum Catalogo Præſidum ibid. p. 41. num. 14.

Collegium Gymnaſticum. Ejus Origo & Antiquitas. t. 1. p. 23. n. 1. & ſeqq. Quibus conſtiterit ibid. n. 2. Qui illi præfuerint ibid. n. 3. Corruptela ex Comitibus Palatinis ibid. & n. 4. 5. Prætorum & Comitum in eo Auctoritas ibid. p. 24. n. 7. Quandiu duraverit ibid. Ejus intermiſſio & intermiſſionis ratio ibid. n. 8. Querelæ ob intermiſſionem ibid. n. 9. 10. 11. 12. Mos provehendi in eo ad laureas etiam poſt Pianam Conſtitutionem ibid. p. 25. n. 14. 15. 16. Collegii reſtitutio procurata. tom. 1. p. 26. n. 1. Reſtitutio quomodo facta ibid. p. 27. n. 2. Quibus conditionibus conſtituta & intra quos fines ibid. n. 3. Ejus Collegæ, Miniſtri, Inſignia, Sigillum, ibid. nu. 4. Ejus Sedes, Inſcriptiones, ac Tituli Magnifici ibid. n. 5. Dignitas Prǽſidum, auctoritas, & Catalogi ibid. p. 29. num. 1. & ſeqq.

Collegium Pontificium Artiſtarum Philoſophorum & Medicorum. t. 1. p. 33. Ejus Exortus poſterior Collegio Juriſconſultorum ibid. n. 1. 2. Ab initio Profeſſores tantùm Primarios recepit, reliquos non niſi Re-

ſcripto

ſcripto Senatûs ibid. n. 2. Ejus initium malè & inconſtanter ponitur à Tomaſino ibid. p.34.n.3. Leges à Senatu confirmatę ibi.n.4. Magiſtratus, Miniſtri, Sigillum, Elogium ibid. num. 5. & ſeqq.
Collegium Pontificium Juriſconſultorum. Ejus Origo à Gymnaſtica. t. 1. p. 31. n. 1 Unde admiſſi in illud Patavini ibid. n. 2. Quomodo, & quando ſeparaverit ſe à Gymnaſtico ibid. n.3.4. Collegii hujus laus. ibid. p. 32. n. 5. An unquam inde fuerint excluſi Publici Profeſſores ibid. nu. 5. 6. Ejus leges, Magiſtratus, Miniſtri, Sigillum, & M. Cancellarii Jus ibid. nu 7. Ejus auctoritas extra Collegium ibid. p. 33. n. 8. Ejus Exiſtimatio apud omnes ob doctrinam, & virtutem Collegarum ibi.n.9
Collegium Pontificium Theologorum. Ejus initium. t. 1. p 35. n. 1. & ſeqq. Corrigitur dictum Tomaſini circa id, quod in hoc Collegium fertur contuliſſe Franciſcus Carrarienſis ibid. Ejus conſtitutio quando ibid. n.3.4. Sedes antiqua & hodierna, ejuſdemque modeſtia ibid. n. 4. Ejus dignitas, leges, Magiſtratus, Miniſtri, Sigillum, & Virtus Collegarum, atque conditio. t. 1. p. 42. n. 6.
Condulmerius Dominicus. t. 2. Præfat.
Cornelius Andreas. tom. 2. p.149. n. 252
Cornelius Marcus Prætor Patavii deinde Dux Venetus; ejus magnanima Virtus laudatur. t. 1. p. 48. An. 1355.
Critonius Scotus. tom. 2. p. 261. num. 166
Curriculum Studiorum. t. 1. p. 127. n. 1. Anni Gymnaſtici ratio ibid. p. 128. n. 2.

D

DElphinus Dionyſius. tom. 2. Præfat.
Diſcipulorum Onera & Officia. t. 1. p. 139. c. 14. & 15. Arma illis interdicta ab Anno 1647. ibid.
Doctorius Leopoldus. tom. 2. l. 2. nu. 276
Dodus de Daulis Hieronymus Comes. t. 2. p. 162. n. 18.
Jo. Baptiſta Eques Commendatarius Hieroſol. d. p. 162.
Drago Marinus. tom. 2. Præfat.

E

EPhemeris Gymnaſtica, ſeu Diarium cum ejus Schediaſmo. t. 1. p. 128. c. 9.
Eudęmon Joãnes Meſazon C.P. t. 2. p. 162. n. 19
Exercitationes ſacrę S. Ignatii Loyolę. t. 2. p. 206. nu. 18.

F

FAletro Marinus. Ejus ingenium & exitus. tom. 1. p. 47. An. 1350.
Familia Argyra C.P. t. 2. p. 179. num. 13
Bulgara. tom. 2. p. 319. num. 257
Comitum Patavinorum. t. 2. p. 171. n. 31
Cornelia. tom. 2. p. 149. num. 252
Doctoria. tom. 2. lib. 2. num. 276
Frangipana. tom. 2. p. 124. nu. 206
de Lazara. t. 1. p. 41. & t. 2. p. 124. nu. 29
Marina. tom. 2. p. 218. num. 93
Michaelia. tom. 2. p. 138. num. 222
Piſana. tom. 1. p. 71. 72
S. Sophia. tom. 1. p. 280. num. 6
Veneria. tom. 1. p. 7. 8. num. 4
Faſti Gymnaſtici Rectorum & Pro-Rectorum, Syndicorum & Pro-Syndicorum ab An. 1263. ad An. 1723. t. 1. p. 93. n. 12. & ſeqq.
Faſti Prætorii ab A. 1257. ad A. 1405. t. 1. p. 43. & ſeqq.
Ferrarius Bernardinus. tom. 1. p. 37
Fœminæ non promovendæ ad lauream, nec admittendæ ad functiones Gymnaſticas ex lege, niſi annuentibus Triumviris. t. 1. p. 133 ad A. 1679. 26. Januar.
Foleugus Theophilus aliàs Merlinus Coccai. tom. 2. p. 186. n. 49.
Fontaninus Juſtus. t. 2. p. 150. num 253
Foreſtus Co. Foreſtus. tom. 2. Præfat.
Formula prçſcripta in laureis conferendis. t. 1. p. 136. ad An. 1687.
Frigimelica Co: Hieronymus. t. 1. p. 9. nu. 5

G

GAdaldinus Auguſtinus. tom. 2. Præfat.
Garphranus Petrus. tom. 1. p. 37
Garzonius Petrus. tom. 1. Præfat.
Gemiſtus Pletho. tom. 2. p. 171. nu. 32
Georgius Marinus Franciſcus D.M.P. t. 1. p. 71. num. 5.
Gradonico Marcus Patriarcha Venetus. t. 2. Præfat.
de Graſſis Petrus. tom. 2. Præfat.
Griſonius Annibal. t. 2. p. 67. n. 110. & p. 177. n. 37
Griſonius Petrus. tom. 2. p. 67
Guarinus Alexander. tom. 2. p. 111. n. 183
Gygas Antonius. tom. 2. p. 74. num. 126
Gymnaſium. Ejus Origo. t. 1. p. 1. n. 1. & ſeqq. Status ibid. p. 2. n. 5. Incrementum primum ibid. c. 2. n. 1. & ſeq. Dos primùm conſtituta, & quis ejus auctor. ibid. p. 4. c. 3. n. 1. 3. & c. 4. n. 4. Incrementum ſub Carrarienſibus ibid. n. 2. An fuerint interdictum ibid. Privilegia conceſſa à Carrarienſibus ibid. p. 5. n. 4. 5. Venetę Reipub. erga Gymnaſium ſtudium ibid. n. 1. 2. 4. Incrementum & ſplendor ſub Venetis ibid. à n. 1. & ſeqq. Cenſus & ejus quantitas ibid. p. 4. nu. 2. 3. auctus à Venetis. V. Ærarium.

H

HErculanus Thomas. tom. 1. p. 9
Horologii Patavini auctor, & tempus. tom. 2. p. 156. n. 9.
Hortus Botanicus. Ejus Inſtitutio. t. 1. p. 13. n. 1. Ordo, & facies hodierna ibid. p. 17. n. 3. Machina Hydraulica ibid. n. 4. 5. Ædificia & inſcriptiones ibid. Præfecti uſque ad hæc tempora ibid. p. 13. nu. 2. Deſcriptio accurata duabus Epiſtolis Cl. Viri Julii Pontadera

Digitized by Google

dera Profeſſoris Publici & Horto Præfecti. ibid. p. 14. & 16.
Hunis Henricus. tom. 2. p. 170. n. 30

I

IMmunitates Gymnaſticæ circa Vinum & Frumentum taxatæ. tom. 1. p. 91. num. 5. 6. & p. 138.
Interpretationes Artiſtis præſcriptæ & earum Schediaſmus. tom. 1. p. 123. & ſeqq.
Juſtinianus Benedictus. tom. 1. p. 44. n. 3
Hieronymus D.M.P. t. 1. p. 71. n. 4
Marcus. tom. 2. Præfat.
M. Antonius D.M.P. tom. 1. p. 71. n. 4

L

LAmbertus Hieronymus. tom. 1. p. 37
de Lazara Comes Joannes & ejus clara Familia. tom. 1. p. 41. num. 2.
Leonis mira manſuetudo. t. 2. p. 256. n. 159
Leonius Hieronymus. tom. 2. p. 147. n. 251
Lucas Notara M. Dux. C. P. V. Notara.

M

MAgiſtratus Gymnaſio Præfecti. tom. 1. p. 43. & ſeqq. per librum totum.
Magiſtratus Triumviralis. Origo ejus quæ fuerit. tom. 1. p. 70. num. 1. Catalogus Triumviralis omiſſus à Tomaſino ab A. 1528. ad 1572. ibid. p. 72. Qui claruerint ab An. 1572. ad An. 1653. ibid. p. 74. nu. 2. Faſti Triumvirales ab An. 1653. ad 1723. ibid. p. 76. & ſeqq.
Majus Menſis olim Purgationibus conceſſus. tom. 1. p. 128. num. 2.
Manina Familia V. Familia.
Matriculæ quid ſint, & earum diſtributio, quomodo, & quando fiat. t. 1. p. 91. n. 5. 6
Michaelia Familia V. Familia.
Minatus Felix. tom. 1. p. 210. 211. n. 28
Miniſtrorum Gymnaſii nomina, onera, Privilegia. tom. 1. p. 146. & ſeqq.
Mundella Aloyſius. tom. 1. p. 13. nu. 1

N

NAtionis Dalmatæ Privilegia. t. 1. p. 145
Nationis Germanicæ Prærogativa in Pro-Syndicis. tom. 1. p. 92. num. 10.
Nonius Jacobus. Ejus mors Gymnaſio funeſta. tom. 1. p. 103. ad an. 1722.

P

PAlæocappa Georgius Eques. t. 1. p. 39
Pallavicinus Sfortia Card. t. 2. p. 194. n. 65
Patavium Venetis deditum, modus deditionis, & ſtudium erga Gymnaſium. t. 1. p. 5. num. 1. 2.
Phaletro Marinus. tom. 1. p. 47.
Philoſophia Scholaſtica utilis. tom. 2. p. 262. num. 168.
Pilius de Prata Cardin. tom. 1. p. 106. nu. 12
Pilumnus Pilumnus. tom. 2. p. 91. & 122. & alibi ſæpe.
Piſanæ familiæ laus. tom. 1. p. 71. num. 6
Piſanus Joannes. tom. 1. p. 50
Piſaurus Jo. Eques. tom. 2. p. 172. num. 32
Pivatus Adamus. tom. 1. p. 149. n. 2. & p. 208. & p. 302. num. 45.
Podocatharus Livius. tom. 1. p. 36
de Ponte Co. Hieronymus. tom. 1. p. 116
Prælectionum in Jure Materiæ & diſtributio. tom. 1. p. 120. & ſeqq.
Præſes Collegii Gymnaſtici præcedit omnes in functionibus Doctoralibus. t. 1. p. 29. num. 2. & p. 71. ad An. 1653.
Prætorum & Præfectorum Patavii Jus in Gymnaſium. tom. 1. p. 81. num. 1. 2.
Priolus Petrus Card. tom. 2. Præfat.
Profeſſores Artium omiſſi à Riccobono & Tomaſino. tom. 1. p. 151.
Profeſſores Juriſconſulti omiſſi ab iiſdem. tom. 1. p. 150.
Profeſſorum onera, officia, & obligationes ex legibus & Reſcriptis. t. 1. p. 131. Eadem alia onera ex novis legibus ibid. p. 133. & 136.
Profeſſorum Privilegia. tom. 1. p. 138

Q

QUirinus Marcus. tom. 1. p. 44. n. 3

R

REctorum, Prorectorum, Syndicorum & Profyndicorum Dignitas, Officia, functiones & præmia. tom. 1. p. 91. & ſeqq.
Receputus Philippus. tom. 2. p. 74. n. 126
Rolandini Grammatici ætas. t. 1. p. 34. n. 3
Rotulus Artiſtarum hodiernus. t. 1. p. 126
Rotulus Juriſconſultorum hodiernus. t. 1. p. 121.
Rugerius Annibal. tom. 1. p. 35

S

SÆculi XVI. cenſura. tom. 2. p. 291. n. 215
Sæculi XVII. ineuntis ſtylus damnatus. tom. 2. p. 308. num. 242.
Sancta Sophia Familia V. Familia.
Sancti Patroni Gymnaſii. tom. 1. p. 35. n. 2
Scaliger Joſeph. tom. 2. p. 200. nu. 84
Scarella Joſeph. tom. 2. p. 319. nu. 259
Scioppius Gaſpar. tom. 2. p. 315. n. 254
Sclengia Joannes. tom. 2. p. 172. nu. 32
Strategus Antonius Collegii Cottunii Rector. tom. 1. p. 39. num. 6.
Sedes ſeu Cathedræ Juris in Gymnaſio. t. 1. p. 118. n. 1. Earum numerus hodiernus ibid. p. 119. nu. 3. Antiquus & ejus ratio ibid. p. 118. n. 2. Tempus docendi cuique aſſignatum ibid. p. 119. num. 4. 5.
Sleidanus confutatur. tom. 2. p. 194. n. 65
Societatis Jeſu laus à præſtantiſſimis viris. tom. 1. p. 65. n. 3. 4. tom. 2. p. 75. nu. 127 & p. 79. nu. 132. & p. 80. nu. 134. & p. 81. n. 137 & p. 86. n. 144. & p. 94. n. 159. & p. 95. n. 161. & p. 147. num. 250.

Teupolus

T

THeupolus Laurentius Dux Venetus. t. 1. p. 6. num. 3.
Theupolus Laurentius, D.M.P. Eques. t. 1. p. 80. num. 9.
Torta Carolus. tom. 1. p. 318. nu. 156
Tranſmarinorum Onera & Privilegia. t. 1. p. 144.
Trevifanus Bernardus. tom. 2. p. 218. n. 110

V

VAlerii Silveſtri Ducis Venetorum in Collegium Gymnaſticum amor. Ejus ibi ſtatua & Monumentum cum Inſcriptione. tom. 1. p. 28. num. 7.
Veneriæ Familiæ laus. tom. 1. p. 7. num. 4
Venetius Sebaſtianus. tom. 2. Præfat.
Veneti Prætores in omnibus Italiæ Urbibus recepti, ctebrius Patavii. tom. 1. p. 6. n. 2.
Veneti Senatus ſtudium erga Gymnaſium. tom. 1. p. 6. nu. 2. & 4. Ejus Munificentia in Gymnaſium ibid. p. 7. num. 4. & ſeq. Erga Profeſſores univerſim ibid p. 9. nu. 1. & ſeqq. Erga Profeſſores clari nominis ibid. p. 11. num. 1. & ſeqq.

Z

ZAcco Auguſtus. tom. 2. Præfat.
Zeno Apoſtolus. tom. 2. p. 22. num. 32. p. 25. num. 40. p. 35. num. 63. p. 51. 52. num. 87. p. 101. num 161. p. 114. n. 187.
Zeno Petrus Catherinus. t. 2. p. 264. n. 127

Pag.	linea	Errata	Corrige
9	ult.	Rolandinus.	*adde:* nominat
15	7	Thaſealis	Phaſcolis
27	9	poſt anno	poſt annum
27	31	MCCLXVI.	MCCLXXVI.
55	18	Lauretani	Grimani
62	7	MDCII.	MDCVII.
ead.	48	indicias	indicns.
63	16	ſupergreſſæ	ſupergreſſa
65	29	injectos	injectas
67	14	ſolutos	ſolutas
91	22	dicaturis	dicaturus
94	2	[illegible]	[illegible]
99	47	Pirna	Pima
100	1	conſtitutas	conſtitutum
102	3	Vulemenus	Vulturenus
113	9	Urbano VII.	Urbano VIII.
116	42	Campi	Campique
117	6	niſu	viſu.
125	48	floribus	febribus
126	45	Socus	Scotus.
167	23	Maszachius	Masaucchius:
ibid.	28	inſtructiſſimus:	*adde*, auget
169	25	[illegible]	[illegible]
171	14	Berendon	Berenclon
174	35	[illegible]	[illegible]
216	39	Comitorum	Comitum
250	1	Extremo	Exteron
272	1	datum	datam
289	10	Emiſſione	remiſſione
290	14	[illegible]	[illegible]
296	22	[illegible]	[illegible]
320	pen.	moribus	morbis
321	21	[illegible]	[illegible]
359	14	præfectus	præfectis
ibid.	17	quorum	quocum
361	34	dominus	domitus
366	ult.	perfunctus	*adde*, eſt, ut elogium
379	ult.	[illegible]	[illegible]
382	41	[illegible]	[illegible]
384	21	ad Pailologi	ac Philologi
386	12	policiendus	prolicienduas
		TOMO II.	
P. 6	14	Joannes XXI.	Joannes XXII.
27	33	Sumnariga	Sumnaripa
52	53	familiarum	familiarium
59	44	adulteri	adulterii
79	31	mœniis	mœnibus
89	2	ornatum	ornatus.
91	43	Anconæ	Ancone. Sic p. 16. 19. & pag. 159. 33. ais, & ſi forte alibi
95	2	Innocentio IV.	Innocentio IX.
97	31	taoula	taoule
117	8 & pen.	decucurrit	decurrit
139	43	in tres diſtinctum	in tres libros.
140	43	Jatrolameam	Jatrolauream
164	41	cunctos ætatis,	*adde*, ſuæ
175	3	[illegible]	[illegible]
182	51	docebat	decebat
185	50	contente	contenta
209	52	aptimum	optimum
227	38	Baſilicæ	Bibliothecæ
239	38	Amaniacus	Armeniacus
262	29	legatus	legatum.
274	3	Androthous	Andrathous.
300	44	&	ex.
306	22	hydrophebia	hydrophobia
ead.	26. 34.	Philodelphienſem	Philadelphienſem
309	32	finit	fivit
313	33	Pyrathecniam	Pyrtechniam
317	22	Cyro	Cypro
320	9	Panhagite	Panhagiota

Leviora Lector benignus emendes.

5267102

9936ε773

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google